I.
Theologie.

№ 6226 *

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-23885/fragment/page=0002

Universitäts- u. Landesbibliothek Halle (Saale)

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-23885/fragment/page=0006

Tomus Secundus
DISPUTATIONUM THEOLOGICARUM,

In Academiâ WITTEBERGENSI ab Anno 1606. usq; ad 1611. publicè habitarum,

Auctoribus ac Præsidibus

GEORGIO MYLIO D.
LEONHARTO HÜTTERO D.
FRIDERICO BALDUINO D.
WOLFGANGO FRANZIO D.
JOHANNE FÖRSTERO. D.

Cum quadruplici Indice

Et privilegio Electorali Saxonicô speciali.

M. Nic. Rebhun.

WITTEBERGÆ,

Apud CASPARUM HEYDEN, Bibliopol.

ANNO M. DC. XXV.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-23885/fragment/page=0007

L 39

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-23885/fragment/page=0008

ILLUSTRISSIMO AC CELSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, DOMINO

IOHANNI PHILIPPO,

Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ ac Montium Duci, Landgravio Thuringiæ, Marchioni Misniæ, Comiti in Marca & Ravenspurg, Dynastæ in Ravenstein, &c.

DOMINO NOSTRO Clementissimo,

Gratiam Spiritus Sancti, à Patre cœlesti, per Jesum Christum Dominum nostrum precamur,

ILLUSTRISSIME ac CELSISSIME PRINCEPS, DOMINE CLEMENTISSIME; Notitia DEI hac in vita quatuor potissimum modis communicatur homini: Per CREATIONEM, Per GENERATIONEM, Per EXPERIENTIAM, Per REVELATIONEM. Nam, quum Deus crearet Adamum, formavit eum ad imaginem sui, atque sic scientiam quandam indidit. Lapso autem homine, manserunt quædam semina & rudera primæ Theologiæ, quæ per generationem propagantur in posteros. Amplificatur hæc γνῶσις & illustratur, si accedat rationis cultura, &

ra, & diligens creaturarum consideratio, quæ de suo opifice & creatore testantur. Quia verò hæc omnia sunt imperfecta & languida, Deus revelavit verbum, & in illo seipsum, ut ita plenam quandam pro more viatorum, & sufficientem inde notitiam haurire valeamus.

Hæ sunt illæ quatuor Theologiæ species, quæ in hac vita cum homine communicantur, nempè Theologia CONCREATA, CONNATA, ACQUISITA, REVELATA. Si quis velit διχοτμεῖν, ita efferre poterit: Theologia hominis

in hac vita existentis vel communicata est ante lapsum, & dicitur concreata; vel etiamnum communicatur, post lapsum, & fit hoc dupliciter: Principium enim hujus κοινωνίας vel NATURA est, vel GRATIA, unde oritur Theologia naturalis & supernaturalis. HÆC est, quæ ex verbo gratiosè patefacto petitur. Illa vicissim bipartita est. Vel enim per naturam imprimitur; vel per discursum naturalem acquiritur, unde ista ἔμφυτος vel connata; hæc ἐπίκτητος vel acquisita dicitur.

Quod verò attinet Theologiã SUPERNATURALEM

&no-

& notitiam fidei salutarem, dupliciter Jehovah illam communicat nobis viatoribus: Vel sine labore & statim; vel per laborem & paulatim. Ibi Theologos facit subitanea illuminatio; hîc diuturna exercitatio. Illud paucis proprium est; hoc omnibus convenire potest. Hinc igitur gemina Theologiæ revelatæ species exoritur, quarum priorem EXTRAORDINARIAM; posteriorem ORDINARIAM nuncupamus.

EXTRAORDINARIA THEOLOGIA est notitia rerum spiritualium, scitu ad salutem ne-

ceſſariarum, per immediatam, ſubitaneamque illuminationem & inſpirationem Dei acceptâ. Hoc modo Theologi facti ſunt Prophetæ & Apoſtoli, qui accuratam myſteriorum divinorum notitiam non multis laboribus & vigiliis, non adminiculis aliis acquiſiverunt; ſed per occultam & prorſus extraordinariam Dei ἔλλαμψιν acceperunt, unde & ὑπὸ πνεύματος ἁγίου φερόμενοι, à Spiritu Sancto afflati dicuntur, 2. Pet. 1. v. 21. Hunc ſanctum Spiritum ſemper habuerunt doctorem, immediatè aſſiſtentem, unde non opus fuit præmeditatione λογίας, ſed promiſſum iis erat, Luc. 21. v. 15

EGO

EGO DABO VOBIS OS & SAPIENTIAM, CVI NON POTERVNT RESISTERE & CONTRADICERE OMNES ADVERSARII VESTRI. Quò ſpectat & illud Johan. 14. v. 26. SPIRITVS SANCTVS DEDVCET VOS IN OMNEM VERITATEM.

ORDINARIA THEOLOGIA eſt notitia myſteriorum fidei, diuturnâ religioſæ lectionis & meditationis exercitatione, aliisq; adminiculis accepta, Spiritu Sancto per verbum intus in cordibus noſtris operante & fidem excitante. Atque hâc ratione omnes ii,

qui αὐτόπῳ sancti Spiritus affatu destituti sunt, rerum Theologicarum cognitionem sibi comparare & possunt, & solent. Ordinariè enim nemo derepentè fit excellens Theologus; sed requiruntur linguarum studia, aliaq; subsidia; requiritur diligens lectio, attenta auscultatio, sedula inquisitio, continua meditatio, & diuturna exercitatio, si ad aliquam θεογνωσίας perfectionem adspirare volumus: qualis quidem accurato Theologo necessaria est: Nec enim huic sufficit qualiscunque locorum communium cognitio, aut formandæ habendæque concionis peritia; sed exigitur solida

lida & plena Christianæ fidei scientia, exigitur accurata controversiarum intelligentia, exigitur excellens δύναμις fidem veram confirmandi, & omnes adversariorum strophas refutandi. Hoc enim ab Episcopo Paulus efflagitat, Tit. 1. v. 9. ut sit δυνατὸς VEL POTENS, (quo vocabulo non superficiale aliquid innuitur) καὶ παρακαλεῖν ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ, καὶ τοὺς ἀντιλέγοντας ἐλέγχειν, & EXHORTARI IN DOCTRINA SANA, & EOS, QUI CONTRADICUNT ARGUERE. Talis verò δύναμις ordinariè non nisi per multos labores continuatum studium, & certa media acquiritur. Quæ

inter

inter non postremum est mutua sententiarum collatio, & frequens disputationum exercitium, ubi veritas firmis solidisq; argumentis munitur, à quorumvis contradicentium strophis vindicatur, & ita paulatim requisita illa δύναμις vel virtus adversariis ora obstruendi feliciter comparatur.

Unde factum, ut in hac semper illustri Academia crebræ de rebus fidei, gravissimisq; controversiis Theologicis disputationes tum olim institutæ sint; tum etiamnum institui & haberi soleant.

Ea-

Earum tomum sive faciscu-
lum alterum nunc in lucem
damus, ac studiosæ juventuti
communicamus, qui συζητήσεις
continet ab anno M. DC. VI.
usque ad annum M. DC. XI.
publicè propositas ac ventila-
tas.

Hoc ipsum verò opuscu-
lum VESTRÆ, ILLUSTRIS-
SIME PRINCEPS, CELSI-
TUD. sacrum ac dicatum vo-
luimus, non solùm ut Patro-
num haberet, sub cujus tutela
luce frueretur publicâ; sed et-
iam ut eo ipso nostræ humili-
mæ erga Celsit. Vm. subjectio-
nis & reverentiæ monumen-
tum

tum aliquod erigeremus. Meretur illam eximia Væ. Celsit. pietas & probitas, singularis in orthodoxa religione Zelus, erga subditos clementia & humanitas, munifica erga Ecclesiæ Scholarumq; doctores beneficentia, & virtutes aliæ, publico, æternoq; præconio dignissimæ. Accipiat ergo Celsit. Vest. hunc secundum disputationum Theologicarum Tomum fronte & mente Serenissimâ, nosq; ad quævis humiliora studia promtissimos Ducali clementiâ prosequi ne dedignetur.

DEUS PRÆPOTENTISSIMUS Illustris-

Iustriſs. Vm. Celſi-
tudinẽ cum Con-
juge, & DDnn.
Fratribus Illu-
ſtriſsimis quàm
diutiſsimè ſal-
vam, incolumem
atque florentem
conſervet, in ve-
ræ fidei patroci-
nium, Eccleſiæ
emolumentum,
ac

ac bonorum deniq; omnium asylum & solatium. Dabantur VVittebergæ, Calend. Maji, Anno θεογονίας M. DC. XXIII.

Illustrissæ. Væ. Celsitud.

subjectissimi,

FRIDERICUS BALDUINUS D.
Pastor & Superintendens.
BALTHASAR MEISNERUS, D.
NICOLAUS HUNNIUS, D.

DISPU-

DISPUTATIO I.

DE ASCENSIONE CHRISTI IN COELUM, ET SESSIONE ad dextram Dei Patris omnipotentis.

Præside WOLFGANGO FRANZIO D.
Respondit M. THEODORUS CUPECIUS,
Neoburgo-Saxo.

24. Octob. 1606.

I.

SUmmos Christianæ confessionis articulos *de ascensione Christi in cœlum, & sessione ipsius ad dextram Dei Patris omnipotentis*, brevissimis quidem, sed tamen admodum nervosis verbis Evangelista Lucas nobis descriptos reliquit. *Luc. 24. 50. 51. Act. 1. 9. 10. 11.*

II. Initio enim Christus, postquam discipulos, antea per quadraginta horas mortis suæ, in summo mœrore versatos, nunc per totidem dies à resurrectione sua

iterum lætificaverat, ut loquitur *Radulphus Ardentius*, ipso quadragesimo illo die cum eisdem è civitate Hierusalem foras in Bethaniam sese contulit.

III. Deinde, postquam ibidem multis de regno suo apud ipsos egit, moxque sublatis in altum manibus suis benedixit ipsis, ecce, dum benediceret eis, sublatus est in altum, & nubes subduxit eum ab oculis eorum. *Dominus enim assumtus est in cœlum, & sedet à dextrâ Dei. Marc. ult. 19.*

IV. Mox tandem adsunt duo viri albis vestibus amicti, qui dicunt discipulis: *Quid aspicitis in cœlum? HIC JESUS, quemadmodum assumtus est in cœlum, ita veniturus est ad judicandum vivos & mortuos.*

De ascensione Christi in cœlum.

V. In priore articulo ad duo potissimum, nimirum ad considerationem vocabuli *cœli*, &, ad sensum istius, quid sit *adscendere in cœlum*, respiciendum erit.

Prima significatio cœli.

VI. *Cœlum* in hac παραγωγῇ non accipimus pro *aëre*, terram & maria undique ambiente, in quo passim & liberè volitant aves, & in quo meteora nubium, ventorum & alia procreantur. In qua significatione usurpatur *Psalm. 104, 12. & Matth. 6, 26.* Volucres cœli. *Proverb. 30, 19.* Via aquilæ in cœlo.

7. De-

VII. Deinde neq; in hac πραγματεία cœlum sumimus pro *firmamento*, in quo Sol cum reliquis planetis, & cum toto stellarum fixarum exercitu suum motum habet circa terram. In qua interpretatione legitur *Gen. 15, 5.* suspice cœlum & numera stellas si potes. Item *Deut. 4, 19.* Ne forte elevatis oculis ad cœlum videas solem & lunam & omnia astra cœli. *Secunda significatio cœli.*

VIII. Præterea neque cœlum in hac πραγματεία capimus pro *maximo spacio, proximè supra firmamentum*: Quod spacium Theologi recentiores, referente Luthero, *cœlum crystallinum*, seu glaciale, seu aqueum indigitarunt, super quod cœlum sunt *aquæ*, quæ idcircò dicuntur aquæ supra firmamentum. *Gen. 1, 7.* item aquæ super cœlos *Psal. 148, 4.* *Tertia significatio cœli. Super 1. c. Genes.*

IX. De quo cœlo *Lyra* super Gen. 1, 6. 7. *cœlum crystallinum dicitur etiam aqueum propter similitudinem quam habet cum aqua in diaphanenitate, & sub ipso cœlo Crystallino est firmamentum.* Idem ibid. *Firmamentum, prout includit sphæras septem planetarum, medium est inter cœlum crystallinum & elementa.* Idem ibid. *Et hoc est, quod dicitur, Aquas ab aquis, id est, cœlum crystallinum ab elementis.*

X. Cujus classis est illud, quod habet *Elias Cretensis* super orat. 1. Nazianz. de pace in hanc formam: *Duos esse cœlos, ex literis sacris accepimus, alterum quod philosophi exteri vocant ἄναστρον sive sydorum expertem sphæram, aut globum, Mosis in hoc dogmata sibi quasi vendicantes; alterum quod firmamentum appellatur.* Similia multis in locis habet *Cæsarius* Gregorii Nazianzeni germanus frater in dialogo. 1.

Quarta significatio cœli, hujus loci propria.

XI. Sed *cœli* notione in hac πραγματεία primò *credulorum seu fidelium ex hac vita decedentium receptaculum seu domicilium* beatissimum: deinde *simul spirituale regnum majestatis divinæ*, in quo Deus est omnia in omnibus, scripturarum authenticarum tenorem secuti complectimur.

I. De situ beatorum mansionum controvertitur.

XII. Cumq; *in primâ parte significationis cœli*, de loco vel situ domicilii beatorum agitata fuerit controversia inter nos Lutheranos & inter adversarios nostros Calvinianos acerrima, *utrũ supra firmamentum & supra cœlum crystallinum, an verò alibi consistat?* rem illam paulò attentiùs sub initium æstimemus.

XIII. Absit autem, ut nos *cœli* vocabulo in hac πραγματεία negemus *primò significari certum locum, seu certam sedem*: absit

sit item, ut hanc sedem ab inferno & hoc mundo, etiam *spatiis & intervallis distinctum* esse longissimis, inficiemur.

XIV. Esse enim istud domicilium *in loco seu τῆ certo*, ambabus manibus cuivis pro concesso & amplectendo quidem porrigimus: at utrum supra cœlum sic cognominatum *Crystallinum*, id est, supra & extra hunc mundum aspectabilem, quod vult Bullingerus, Beza, Danæus, Martyr & alii Sacramentarii, an verò intra hunc mundum alicubi extet, non ex humani cerebri tripode, sed ex divinorum instrumentorum ancilibus decidi debet.

XV. Nos asserimus, quòd in verbo Domini clarè & expresè nuspiam definiatur certus situs mansionum cœlestium, unde potius cum nostræ ignorantiæ confessione illum *alicubi* esse credemus, quàm ut vel omnem locum impiè negemus, vel nimium audacter pro nostro captu certum situm istius τῆ comminiscamur. *Situs cœlestium mansionum in scripturis nuspiam exprimitur.*

XVI. Fieri posset, ut supra aquas cœlestes situm suum obtineret sedes Beatorum: fieri posset, ut alio in loco *intra hunc mundum* à terra intervallis separato reperiretur, ita tamen, ut neutra ratione pars

hujus mundi perhiberetur, siquidem in illo cœlo omnes physicæ conditiones rerū mundanarum cessare necesse habent.

XVII. Videamus autem, quibus argumentis adducti supra cœlum Crystallinum collocent cœlum *Empyreum*, quasi dicas, *igneum*, hoc est, planè & toraliter lucidum cœlum, quod ipsum & non aliud sit Dei, sanctorum angelorum & beatorum omnium ex mundo discedentium habitatio & sedes.

Primum argumentum Calvinianorum pro cœlo empyreo.

XIIX. Suppetias suæ opinioni petunt isti primum ex *2. Cor. 12, 2.* ubi Paulus fatetur, *se in tertium usq. cœlum & in paradisum* fuisse raptum. Mox enim hinc, & ex aliis scripturæ locis ad calculos diversorum cœlorum distinctionem & nomina vocant & aëri primum, firmamento secundum, beatorum domicilio tertium locum, eiq; tertium, extra mundanum ultra-mundanum seu supra-mundanum, vel supra-cœleste m situm assignant.

Responsio ad primum argumentum.

XIX. Etsi verò *tertii* quidem *cœli* mentionem audimus, tamen quia nusquam aër primum cœlum, nec firmamentum secundum cœlum διαδοχικῶς cognominatur, deinde, quia hic *tertii cœli* nomen sine ullo situ a Paulo exprimitur, quo jure hoc

quod

quod intendunt, ex dicto Pauli eruere queant, certè non video.

XX. Imò, si pro diversa acceptione *cœli* diversos numeros apponere, & ordinem cœlorum recensere voluerimus; aër primum, firmamentum secundum, cœlum cæruleum tertium, deniq; ex hypothesi illorum assumtum cœlum empyreū ultra mundanum, quartum erit cœlum & erit necessariò, siquidem cœlum cæruleū ex sacris à Theologis expressè cœlum & distinctum quoddam cœlum statuitur.

XXI. *Elias Cretensis super orat. 2. Nazianz. de Theologiâ*, cœlum tertium in loco allegato, non tantùm diversum quiddam à Paradiso esse putat, sed etiam exponit de doctrinâ valdè reconditâ & de mysteriis magis abditis, quorum revelationem Apostolo Dominus indulserit, præsertim, cùm sub initium capitis testetur, se de visionibus gloriari velle.

XXII. Et certum est, *tertium cœlum* non quoad numerum, sed quoad perfectionem inæstimabilem & ineffabilem, quasi dicas sublimissimum, perfectissimum & absconditum intelligendum esse.

XXIII. Usitatum quippè est *ternario & septenario* multitudinē & majestatē ex-

primere, cujus rei exemplum suppeditat Apostolus eodem capite: *ter Dominum rogavi*, id est, sæpè, multùm, & ardenter.

Secundum argumentum Calvinianorum pro cœlo empyreo, cum responsione ad illud.

XXIV. Minus præsidii sperare poterunt ex reliquis, quæ proferunt, dictis. *Col. 3, 1. quæ sursum sunt, quærite, ubi est Christus.* Hîc enim Beza quoq; ex toto contextu rectè superna quærere, & inferna relinquere, exponere cogitur de iis, quæ ibidem latissimè instillantur, nimirum mortificare terrestria membra, & induere novum hominem: etsi interim paradisum cœlestem deorsum in terrâ esse non asserimus, & nequaquam inficias imus, Christum respectu terræ, à quâ in altum adscendit, sursum esse, ubicunq; etiam cœlum beatorum in aliquo *sursum* reperiatur.

XXV. Eidem expositioni assurgit *Calvinus lib. 3. Institut. c. 6. §. 3. Johan. Jacobus Grynæus in aphoristica expositione hujus epistolæ ad Coloss. fol. 22. Christophorus Hofmannus*, qui tempore Lutheri Ecclesiæ Jenensis Pastorem egit, super illa verba ad *Phil. 3. nostra conversatio in cœlis est.*

XXVI. *Hieronymus* quoq; super eadem verba sic commentatur; *Quæ sursum sunt*

sunt quærite, non quæ super terram; cœlestem sectamini sapientiam, sed nos laboriosius humanæ sapientiæ studium impendimus.

XXVII. Adducunt item ad copias suas adversus nostram sententiam augendas hæc: *Hebr. 4, 14.* Penetravit cœlos. *Hebr. 7, 26.* excelsior factus est cœlis. *Eph. 4, 10.* Ascendit super omnes cœlos. Sed si τὸ ἔσχατον illud strictè & ex conscientiâ urseris, nihil aliud extorquebis, nisi hoc, in cœlo nullo mansisse Christum, quia penetravit omnes, excelsior factus est omnibus, adscendit super omnes, super primum, secundum, tertium, quartum, & quotquot adjicere poteris & voles alios. Si enim adscendit super omnes, tum penetravit omnes, & excelsior factus est omnibus, & in nullo cœlo resedit.

Tertium argumentum Calvinianorum pro cœlo empyreo. Responsio ad tertium argumentum.

XXIIX. Quapropter iterum Beza ipse illud *adscendere suprà omnes cœlos* declarare cogitur ex Ephes. 1, 2. pro eo quod est *adscendere super omnem principatum & potestatem & virtutem & dominationem & omne nomen, quod nominatur, non solùm in hoc seculo, sed etiam in futuro.*

XXIX. Apostolo enim sermo est de exaltatione Christi, secutâ ejusdem de-

scensum seu humilimam & subjectissimam exinanitionem & peracta in actu & per actum visibilis adscensionis in cœlum.

Quartum & ultimum argumentum Calvinistarum pro cœlo empyreo.

XXX. DENIQUE advocare in subsidium nituntur, veterum Ecclesiæ doctorum testimonia, sicut à Petro Martyre in dialogo de Corporis Christi loco citantur auctoritates Basilii, Ambrosii, Damasceni, Augustini, cùm tamen, si ad amussim examinentur, iisdem prorsus nihil causa ipsorum adjuvetur.

Responsio ad quartum argumentum.

XXXI. *Damascenus* lib. 2. c. 6. *cœlum cœlorum* appellat *primum cœlum*, supra firmamentum ipsum, de quo superius diximus, firmamentum secundum, undè aërem tertium cœlum esse oportebit. Etsi verò adjicit, Paulum dicere, tres esse cœlos, tamen nequaquam determinat, quasi & in quodnam horum pervenerit, sed dicit, raptum fuisse in Paradisum, sicut etiam Apostolus non frustrà tum tertii cœli, tum ulterius Paradisi ipse meminit: qua de re supra ex Elia Cretensi.

XXXII. *Basilius in suo Hexaëmero homil. 2.* introducit supra-mundanam lucem, quam tamen ibidem *super cœlestem* vocat,

& de

& de statu conveniente spiritibus, ante mundi corruptibilis constitutionem exponit, qui in luce degerint, & in omni spirituali lætitiâ. Sed quid hoc ad certum situm cœli empyrei? sicut nec *Ambrosius* ullam syllabam profert de situ ejusdem. *l. 1. Hexaëm. c. 8.* nec *August. de civit. D. lib. 21. c. 4. & c. 21.*

XXXIII. Ex quibus omnibus planum evadit, vera de cœlo empyreo scripsisse *Thomam Aquinatem* in prima parte summæ quæst. 66. art. 1. ubi nimirum claris verbis ipse fatetur; *cœlum empyreum sine ullo sacræ scripturæ & veterum Patrum testimonio, tantummodo ex autoritate Strabi & Bedæ positum & inventum esse.*

Primi autores cœli empyrei secundum Thomam Aquinatem.

XXXIV. Ita enim *Beda* apud eundem: *Hoc superius cœlum, quod à volubilitate mundi secretum est, mox ut creatum fuit, sanctis angelis impletum est, quos in principio cum cœlo & terra conditos dominus testatur, dicente Jobo, Ubi eras, cum me laudarent astra matutina, & jubilarent omnes filii Dei. Astra matutina & filios Dei eosdem angelos filios Dei vocat. Cœlum enim in quo posita*

Beda.

posita sunt luminaria, non in principio, sed secundâ die factum est, &c.

Strabus. XXXV. Ita *Strabus* in expositione Geneseos apud Petrum Lombardum 2. lib. dist. 2. *Non visibile firmamentum sic appellat, sed empyreum, hoc est, igneum vel intellectuale, quod non ab ardore, sed à splendore dicitur, quod statim factum repletum est angelus &c.*

XXXVI. Quapropter sufficiat nobis hoc, esse *alicubi* certum locum & certam sedem seu habitationem beatorum, in quam etiam Christus sua adscensione pervenit, & in qua suo corpore secundum naturam & conditionem corporum glorificatorum est, & esse illum tum intervallo tum claritate à locis hujus mundi & à terrâ distinctum: Ubi verò situs sit locus & habitatio illa, nec in sacra scripturâ revelatum, nec ex probatis patribus determinari posse.

Quæstio de locis beatorum mansionum utrum physicæ sint.

XXXVII. Quæstionem cognatam quod attinet, *an corpora beatorum in hoc cœlo physica locatione certa spacia secundum longitudinem & latitudinem occupent?* sicut in hoc mundo corpora semper sunt in certo loco physica locatione, ubi stent, sedeant, jaceant, ambulent; *utrum* etiam *de uno in al-*

in alterum pedetentim moveantur? decidere difficile non est.

XXXIIX. Cùm enim ille ipse locus beatorum non sit physicus & terrestris, sed cœlestis & spiritualis; Deinde, cùm corpora beatorum futura sint cœlestia & spiritualia, non, quòd in spiritus mutari debeant, sed quòd habitura sint conditiones & proprietates quasdam excellentes Spirituum, qui nullo loco externo & corporali, quo sustententur & sulciantur, opus habent, utiq; in certo quidem aliquo πῦ hyperphysico erunt, sed non physicâ locatione. *Resp. 1.*

XXXIX. Sicut enim spiritus nullo loco corporali sustentatur, sed illocaliter est in summo spiritu, Deo, ita quoque corpora beatorum non amplius pedibus opus habebunt ad ambulandum, sed ubi voluerit spiritus, ibi statim erit corpus, nulli gravedini, nullis spaciis, nullis dimensionibus, nulli ponderi subjectum, in illa vitâ, in qua in Deo ipso subsistet. *2.*

XL. Quòd enim omne corpus physicum non nisi loco physico contineri debere, contendunt, secundum ipsorum pro-

propriam opinionem in cœlo ultimò fallit.

XLI. Sed quid multis? valeat hîc illud *Augustini*, *ubi & quomodo sit in cœlo corpus Dominicum, curiosissimum & supervacaneum est quærere, tantummodo in cœlo esse credendum est. Non enim est fragilitatis nostræ, cœlorum secreta discutere, sed est nostræ fidei, de Dominici corporis dignitate sublimia & honesta cogitare.*

3. Augustin.

XLII. Si enim ex illo: *in domo Patris mei, multæ sunt mansiones*; item: *vado parare vobis locum*, Calviniani physicas, externas & locales habitationes distinctas jure sibi inferre videntur, idem etiam ex cæteris facere cogentur. Itaque cœlum, tanquam Paradisus, multis constabit arboribus, ex multis ædibus constituetur tanquam urbs vel patria, cùm *civitas Dei magna* dicatur, ex multis conclavibus componetur, cum *domus Patris* perhibeatur.

De beatarum mansionum gloria.

XLIII. Quin potius magna cum gratiarum actione & consolatione excipimus, quod (quoad priorem partem significationis *cœli*) illa beatorum sedes in sacris literis inprimis majestate & gloriâ ineffabili, dulcissimè & graviter ibi depin-

depingitur, cum dicitur *domus Patris*, DEI, Johann. 14. 2. *Paradisus*, Luc. 23. 43. *Vita æterna* Matth. 25, 46. *Lux inaccessa* 1. Timoth. 6, 16. *sinus Abrahæ.* Luc 16, 22. *cœlestis patria* Hebr. 11, 14. 16. ubi beata vita agitur, nimirum expers peccati & mortis, nec indigens ullius hujus vitæ adminiculis, sed fruens conspectu DEI, justitiâ, sapientiâ, lætitiâ, & omnibus bonis cœlestibus propter ipsum DEUM immediatè omnes inhabitantem, & omnia ad perfectam beatitatem, sine fine, & abundantissimè suppeditantem.

XLIV. Verè enim beati, qui habitabunt in illa domo in secula seculorum, ubi melior est una dies, præ multis myriadibus annorum inter voluptates hujus mundi, Verè enim bonum erit hîc habitare.

XLV. Et rectè *Augustinus*, *tanta est pulchritudo justitiæ, tanta jucunditas lucis æternæ, ut etiamsi non luceret amplius in ea delectari, quàm per unius diei horam, propter hoc solum innumerabiles hujus vitæ dies pleni delitiis & affluentia bonorum temporalium rectè & meritò despicerentur.*

XLVI. Huc illud *Bernhardi*: *Merces sanctorum tam est magna, quæ non potest mensurari, tam multa, ut non possit numerari, tam copiosa, ut non possit æstimari. Alii quoque recte dicunt, quod DEUS præparavit diligentibus se, illud spe non attingitur, charitate non comprehenditur, desideria & vota transgreditur, acquiri potest, æstimari non potest.*

XLVII. Necessaria ibi est absentia omnis mali, & necessaria præsentia omnis boni: hoc ulla lingua secundum Gregorium in homiliis dicere, vel ullus intellectus capere sufficit illa supernæ civitatis gaudia, angelorum choris interesse cum beatissimis spiritibus, gloriæ conditoris assistere, præsentem Dei vultum cernere, incircumscriptum lumen videre, nullo mortis metu affici, incorruptionis perpetuitate lætari.

XLIIX. Huic vitæ comparata omnis suavitas dolor est, omnis jucunditas est mæror, omne dulce amarum, omne decorum fœdum, omne aliud quicquid delectare posset, molestum: ibi nihil nisi pax, pietas, bonitas, lux, virtus, splendor, honestas, gloria, laus, requies, amor,

amor, concordia dulcis, gaudium, lætitia, dulcedo, securitas, vita æterna.

XLIX. Deinde, quod *ad alteram partem significationis vocabuli cœli* attinet, ejus nomine aliquid amplius & augustius hoc loco comprehenditur.

L. Sicut enim, cùm DEUS dicitur esse in cœlis, nequaquam hoc cogitamus vel volumus, quasi vel in aëre, vel intra firmamentum vel supra firmamentum delitescat divina ejus essentia, nequaquam etiam illud solum, quasi ipse Deus gaudio quodam ineffabili fruatur; sed hoc innuimus, quòd in abscondita & inaccessibili luce, potestate ineffabili, & arcanâ omnibus creaturis visibilibus & invisibilibus, ubiq; præsens dominetur.

Cœli notione in hoc articulo imprimis divina majestas venit.

LI. Ita Christi *adscensio in cœlum* non solùm elevationem corporis in altum, verùm longè divinius aliquid in sese continet, nimirum *cœlestem & divinam super exaltationem carnis* in cœlum, id est, *in super-cœlestem & divinam throni & majestatu divinæ potestatem.*

LII. Ad hanc significationem pertinet, quòd in statu exinanitionis de suæ carnis gloria, & majestate per unionem participata loquens, dicit, *se in cœlo esse: nemo ad-*

scendit in cœlum, nisi qui descendit, Filius hominis, qui est in cœlo. Joh. 3. 13.

LIII. Huc propriè spectat illud quod *Act. 3.* habemus; *Quem oportet cœlum capere, usq; ad restitutionem omnium.*

De dicto Act. 3. 21. Quem oportet cœlum capere.

LIV. Nequaquam enim hoc sibi vult dictum illud *Act. 3.* quasi contineretur & includeretur loco alicui Christus usq; ad finem mundi, ut ante illum non possit in his terris invisibiliter præsens esse suæ Ecclesiæ, sed illud, quòd ipse Dominus & rex cœli, *cœlum*, hoc est, cœli dominium & gubernationem occupaverit, ac regnum suum cœleste cœlesti majestate & omnipotentiâ administret.

LV. Supervacaneum est, quòd pro obtinendâ alia *cœli* interpretatione in hoc dicto, nobiscum in arenam Grammaticam descendunt Calviniani, & de significatione activâ vel passivâ vel deponentali τῶ δέχεσθαι contentionum telas contexunt, cùm nulla sit causa evidens, quæ aliam versionem persuaderet.

LVI. Impia enim & falsissima, verboque DEI & certissimis exemplis contraria hæc est ratio, quam afferunt ipsi, oportere passivum retineri, quia certum sit, Christi corpus in cœlo ita esse, ut ante extremum judi-

judicium, ante tempora restitutionis, in terrâ nunquam possit vel visibiliter, vel invisibiliter aliis præsens esse.

LVII. Vocatus fuit in subsidium annis superioribus ab adversariis explicationis hujus veræ *Gregorius Nazianzen.* apud quem orat. 2. de Filio DEI, ita legitur: *Quid secundò sequitur ex iis, quæ apud ipsos maxima sunt & inexpugnabilia? Oportet eum regnare huc usq; & à cœlo recipi, usq; ad tempora restitutionis, ac sedere à dextris usq; ad subjectionem hostium. Quid verò deinceps? An non regno potiri desinet? vel è cœlis expelletur? at quis regno ipsius finem imponet, aut quamobrem? Quam audax tu enarrator es, ac valdè regni impatiens.*

LVIII. Contextus verò coarguit, esse illam secundam Eunomianorum objectionem, constantem ex tribus dictis, quibus, tanquam inexpugnabilibus & indissolubilibus, filii regnum evertere conabantur, quod certis circumscriptum finibus esse volebant, ac filium regnare cum patre pronunciabant, saltem usq; dum hostes suos sibi subjecisset. Ab illo tempore futurum, ut regno excidat, & è cœlis pellatur, ut annotavit super Gregorium Nazianz. Elias Cretensis Episcopus.

LIX. Pessimè igitur illud, quod adversariis Eunomianis attribuit, & in sequentibus diluit Nazianzenus, adversarii nostræ enucleationis pro genuinâ sententiâ Nazianzeni arripuerunt.

LX. Si ad hanc significationem respexeris, omninò rectè dicitur: *Christum ne unius pedis latitudine à terrâ sublevari necesse habuisse die adscensionis*, ut ad patrem veniret, siquidem in terrâ cum hominibus terreno modo conversans fatebatur, Patrem in se & se in Patre esse. *Joh. 14. 10.*

An elevatione corporis in altissimam altitudinem opus fuerit Christo, ut ad patrem veniret?

LXI. Ac per se omnes Christiani profitebuntur, *gloriam regni cœlestis & divinitatis majestatem ad quam Christus die adscensionis super exaltatur, ubiq; locorum diffusam esse.*

LXII. Sed de his, quæ cum secunda parte significationis cæli affinitatem habent, paulò pòst plura in articulo de sessione.

LXIII. His enim ita prælibatis, de *cœli* genuina & huic proposito competente ac plenâ seu sufficiente significatione, de *adscendendi* notatione ut aliquid subjiciamus, operæ maximum fuerit precium, unde tandem dilucidius emerget genuinus intellectus articuli prioris.

LXIV.

LXIV. Quemadmodum igitur Hebraicæ voculæ עָלָה ita Latinæ dictionis *Adscendere* diversæ interpretationes in sacris fontibus deprehenduntur.

Tres significationes vocabuli Ascendere in sacris libris.

LXV. 1. Aliquando idem significat quod subduci è conspectu & oculis hominum, item *disparere & evanescere.* 2. aliquando *motum localem* denotat, cùm scilicet fit mutatio loci inferioris cum superiore, & elevatio seu evectio corporis in altum, ita ut duo termini occurrant, nimirum terminus à quo, & terminus ad quem: 3. deniq; *adscendere* interdum significat idem quod *exaltari & evehi* ex humilioris & miseræ sortis conditione ad dignitatis & virtutis altioris gradum, ita ut sequatur certissima statuum commutatio, sicut in communi vitâ *adscendisse* dicimus, qui ex senatore factus est consul.

1. Prima significatio vocabuli Ascendere exempla.

LXVI. Ad *primam* significationem pertinent sermones *de Deo & de gloriâ Dei* ad certum tempus in visionibus manifestâ hominibus.

LXVII. Ejusmodi enim insolitæ visiones & apparitiones DEI & gloriæ DEI, quando oculis inferius in terrâ constitutis ingeruntur, tunc non ex propinquâ terrâ vel aëre, sed longius, & ita cælitus adveni-

re & descendere, ideoq; res cœlestes esse dicuntur, & locus istarum patefactionum etiam *cœlum* dicitur: quando verò desinunt, & oculis hominum eripiuntur, tum terris subtrahi, & sursum ferri, & ascendere existimantur, perhibenturq;.

LXVIII. Huc pertinet illud *Exod.19.18. Mons Sinai fumabat totus, eò quod descendisset super eum Jehova in igne*; hoc est, Deus qui omnia implet & ubiq; præsentissimus adest, ideoq; humano more nec ascendit, nec descendit, multo igne suam præsentiam tunc in monte Sinai manifestabat.

LXIX. Quippè *mons ardebat igni usq; ad medium cœli*, Deut.4.11. & *locutus est Jehova ad Israelitas è medio ignis* Deut.9.12. qui locus ibidem *v.26.* modò *ignis*, modò *cœlum* vocatur, cum inquit: *E cœlo audire te fecit vocem suam ut erudiret te, & super terram ostendit tibi ignem suum magnum & verba ejus audivisti in medio ignis.*

LXX. Vice versa Gen.17.22. *Ascendit Deus ab Abraham*, id est, ei cui *vers.1.* visibili aliquâ specie apparet & loquitur, jam apparere & loqui desinit, subductâ ex oculis specie patefactionis visibili.

Secunda significatio.

LXXI. Ad *secundam* significationem referimus dicta de *visibili actu ascensionis Christi*,

Christi in cœlum, & rectè, quia Evangelistæ & Apostoli ad omnem suspicionem disparitionis & evanescentiæ, alteriusq; simulationis tollendam in descriptione visibilis actus adscensionis æquipollentibus talibus uruntur, quæ motum verè localem firmissimè comprobant.

nis vocabuli Ascendere exempla.

LXXII. Sic enim eam describit *Marcus cap. ult. Vers. penult.* ἀνελήφθη εἰς τὸν οὐρανὸν. *Luc. ult. vers. antepenult.* διέστη ἀπ' αὐτῶν καὶ ἀνεφέρετο εἰς τὸν οὐρανόν. Unde *Act. 10.* Apostoli ἀτενίζοντες ἦσαν εἰς τὸν οὐρανὸν πορευομένου αὐτοῦ, siquidem βλεπόντων αὐτῶν ἐπήρθη, καὶ νεφέλη ὑπέλαβεν αὐτὸν ἀπὸ τῶν ὀφθαλμῶν αὐτῶν.

LXXIII. Certè ἀνάληψις, διάστασις, ἀναφορὰ, πόρευσις, ὑπόληψις nihil aliud sunt, nisi symbola τοπικῆς corporalisq; μεταστάσεως seu ἐξόδου, ubi ἀναλαμβανόμενον idem esse quod ἄφαντον fieri nullâ ratione admittit Grammatica Lexicorum quorumvis interpretatio, præsertim ad antecedentium & consequentium privilegium examinata.

LXXIV. Etenim, verè Christus suo vero glorificato, sed tamen finito corpore, membrorum locatione circumscripta, adque humani nostri corporis modum deter-

minatâ formâ, videntibus, & quidem non simpliciter aspicientibus tantùm, sed etiam intentiores oculos ad cœlum dirigentibus Apostolis, â præsentiâ, corporibus, contactu, visuq; Apostolorum subinde subindeque, magisq; magisq; longius longiusq; sursum discessit.

LXXV. Factus est ille motus *localiter*, *visibiliter* & certo seu finito *tempore*.

LXXVI. *Localiter* evectum est corpus Christi, ita ut evectionis istius in altum certi sint constituendi termini, *â quo*, *per quem*, *ad quem* ut in scholis indicantur.

LXXVII. *Ex monte* siquidem oliveti, tanquam ex termino â quo, ubi priùs θρόμβους emiserat, seu sanguinem præter & contra omnem naturam sudaverat, & quidem *per* intermedium, seu interpositum *aërem*, paulatim, paulatim, longius longiusq; de loco inferiore ad nubes elevatum, & mox in cælo *ad dextram DEI*, tanquam verum terminum ad quem fuit collocatum.

LXXVIII. *Visibiliter* item peractum est hoc spectaculum in præsentia discipulorum. Etenim, si absentibus istis clàm discessisset, semper animorum dubii anxiiq; & attoniti hæsissent, sed nunc, quando in

loco

loco consueto illum ipsum, cujus conversatione plurimâ usi fuerant, quemq; adhuc loquentem audiunt, & satis agnoscunt, sursum evehi oculis suis ipsi notant, & à nube subduci itidem oculis perspiciunt, omnem evanescentiæ & simulationis & super terram visibilis commorationis suspicionem deponunt.

LXXIX. Et sicut in conceptione, in nativitate, in passione, in resurrectione, ita nunc quoq; in adscensione præsentes esse decuit testes angelos.

LXXX. Certo quodam & finito *tempore* cœpit & duravit visibilis ascensionis actus. Nam postquam quadraginta diebus luculenter resurrectionis suæ certitudinem Apostolis planam & probatam dedisset, deq; regno suo cum iisdem plenè disseruisset, tum demum sursum sublatus est in cœlum, ex edito, & undiq; patente loco, non ex domo aliqua; non ex urbe, ubi tantæ rei κρύπτειον obscurari potuisset.

LXXXI. Certo eriam duravit *tempore*, ita ut sive cœlum beatorum, in quod ascendit, fuerit, (ex hypothesi, non verò ex plena concessione loquendo) supra cœlum Crystallinum, sive in alio quocunq; loco, tamen postea virtute divina in momento

ascenderit, sicut virtute divinâ in momento plasmavit omnes cœlos. Id angeli exprimunt, cùm dicunt, *VIDISTI Seum ascendentem*, ut perfecta omnia esse, innuerent.

LXXXII. Lucas quousq; Apostoli Christum abeuntem *visu prosecuti* fuerint, in Actis Apostolicis dilucidius exprimit, donec nubes eum è conspectu ipsorum auferret.

LXXXIII. Quemadmodum autem fax magos ex oriente deducens non fuit instar ignis alicujus fatui & temerè errantis, sed absq; omni dubio DEI angelorumque sanctorum dispositione gubernabatur: ita non existimabimus, hanc nubem quotidianis meteoris à stellis motuq; cœli vel ventorum rapiditate agitatis, accensendam esse.

LXXXIV. Aufert enim discipulis conspectum Magistri in ipso ingressu in cœlestem suam majestatem, ut hæc omnia fide firmâ credere & nequaquam profundius rimari occiperemus. Scrutatores enim majestatis divinæ opprimentur ab ipsa.

LXXXV. Hac ascensione simul fit plenius, quod in resurrectione jam fieri ceperat, nempè *subtractio conversationis visibilis &*

fami-

familiaris cum hominibus in hac miseriarum valle, ut etiam depositio omnium mortalitatum & infirmitatis hujus vitæ egenæ, quoad cibum, potum, dolorem, laborem.

LXXXVI. Talis ascensio in cœlum Christo cum Enoch & Elia, cumque aliis sanctis quodammodo communis est.

LXXXVII. Enoch enim Gen. 5. 24. esse desiit, *quia tulit eum Dominus.* Unde Ecclesiasticus c. 44. 16. *translatus est:* & Hebr. 11. *per fidem Enoch translatus fuit, nec fuit inventus, propterea, quòd transtulerat eum Dominus:* priusquam enim transferretur, testimonium obtinuerat, quòd placuisset Domino. Eliam 2. Reg. 2. sustulit Dominus per turbinem in cœlum à capite Elisæi, vel ab Elisæo, & ita ascendit Elias per turbinem in cœlū, ut eum non amplius viderit Elisæus.

LXXXVIII. Cumq; existimarent filii Prophetarum, ipsum Eliam forsan aliò raptum, emiserunt quinquaginta viros, & quæsiverunt tribus diebus in montibus & vallibus, sed non invenerunt eum.

LXXXIX. De Elia *Eccle. 48. 8. Qui procella sublatus fuerit ignea, in curru equorum ardentiū.*

XC. Eosdem ad cœlestia gaudia, quæ nec auris audivit, nec oculus vidit, nec in cor homi-

hominis pervenerunt, *Esa.64. 1.Cor.2.* promotos quis in dubium vocabit? qui *Matth. 17.* perpenderit, quomodo in transformatione Christi apparuerit Elias, cum Christo etiam colloquens, ubi Petrus exorsus exclamabat: *Bonum est hic habitare, faciamus tria tabernacula*, ubi ex lucida nube eos involvente vox auditur: *Hic est Filius meus dilectus &c.*

Tertiæ significationis vocabuli ascendere declaratio & exemplum.

XCI. Ad *tertiam* significationem quadrant, *quæ de mutatione statuum Christi factâ per ascensionem ejus visibilem in cœlum* sacræ literæ graviter & emphaticis verbis & sententiis ita proferunt, ut ipsum hac ascensione ad dextram DEI consedisse affirment.

XCII. Dicitur enim *ascendisse in altum* Psal.68. 19. Eph.4. 8. ascendisse *ad DEUM*, & *ad Patrem.* Joh.20. 17. *transisse ad Patrem*, relicto mundo Joh.16. 28. *ascendisse super omnes cœlos* Eph.4. 10. transcendisse & *penetrasse omnes cœlos* Heb.4. 14. & 7. 26. *eo venisse, ubi erat prius* Joh.6. 62. *pervenisse ad antiquum dierum*, Dan.7. 13. *exaltatus super omne nomen* Philip.2. 9. nimirum quia antea descenderat in infimas partes terræ, *Eph.4. 9.* quia exiverat à patre & venerat in mundum: *Joh.16. 13.*

CXIII.

XCIII. Articulum igitur DE SESSIONE CHRISTI AD DEXTRAM PATRIS quod spectat, expendendum est, quid sit *dextra Dei*, & quid *sedere ad dextram*, secundum *quam naturam* sedeat, & *quomodo* sedeat ad dexteram patris. *2. articulus. De sessione Christi ad dextram Patris.*

XCIV. Nequaquam *dextram Dei* per Anthropomorphitarum stultissimas speculationes partem Dei corporei corpoream somniabimus.

XCV. Deinde dextera Dei non significat determinatum & *finitum locum in cœlo*, vel receptacula sanctorum in alto supra omnes aspectabiles cœlos, & felicitatem æternam, ut suo tempore *Bullingerus* somniavit in suâ, sic ab ipso nominata, *orthodoxâ confessione*, & in *comm. super epist. ad Corinthios primam*; & in *adhortatione ad ministros*.

XCVI. Non enim imaginari debemus vel in Deo, vel in dextrâ Dei, aliquid longum, latum, crassum, altum, extensum & expansum, sicut cœli ætherei machinam supra & circa terram undiq; diffusam, & quasi molem expansam esse, cernimus.

XCVII. Sed *dextera Dei, brachium Dei, potentia, robur, & majestas Dei*, & quæ sunt hisce similes appellationes aliæ, secundum sacra- *1. Dextera Dei quid sit.*

sacrarum literarum tenorem, ejusdem significationis esse statuantur.

XCVIII. Suntq; nihil aliud, quàm DEUS *ipse*, essentia indivisa, æterna, omnipotens, immobilis, & immutabilis, omnipræsens, & quæ omnia creavit, omniaq; conservat, quippe quæ fuit ante omnium rerum creationem.

XCIX. Et, ut dixerunt Theologi ex verbo Dei, quodq; nemo nisi fide vera ex verbo Dei instructus credit, nulla res est tam parva, quin minor sit dextra Dei, tota in ipsa, intra & circa, & supra ipsam: nulla tam magna, quin dextera Dei sit major, & altior & in ipsius intrinsecis, extrinsecis, circum circa, extùs & intus, ut ita sit mundus plenus dexterâ Dei, & ab ipsâ compleatur.

C. Interim tamen à nullo mundo, à nulla re magna vel parva vel mediocri continetur, includitur, sed est extra & supra omnes creaturas. Et licet sint infinitæ creaturæ, tamen in unaquaq; tota est peculiariter, sine omni multiplicatione, sine inclusione, sine captivitate: id quod mysteriorum omnium mysterium est inæstimabile, & ineffabile.

CI. Cumq;

CI. Cumq; tota potentia divina vel majestas sit una & indivisa, iccirco ubiq; tota est, imperscrutabiliter & ineffabiliter.

CII. Non sunt multæ divinitates, licèt dextera DEI in quovis loco tota sit, sed ubiq; locorum una, & quæ in hac creaturâ tota est, eadem & non alia simul & semel, tota est in quavis alia creaturâ. Cumq; ubiq; tota sit, iccirco omnem ubique continet secum potentiam, & majestatem divinam.

CIII. Siquidem autem secundum divinitatem Christus omnia habet & quidem ab æterno, & secundum hanc divinitatem suam nihil potest accipere, ideò Christus secundum divinitatem suam est ipsa dextera DEI, æque atquè Pater & Spiritus Sanctus.

CIV. Hæc de dexterâ DEI quæ dicta sunt, etiam sacratum scripturarum autoritatibus roborantur, cùm immensitatem & omnipræsentiam ei assignat Psalm. 139. 8. 9. 10. *Quò ibo à facie tua & ubi abscondar à spiritu tuo? Si ascendero in cœlum, illic es, si abscondero me in inferno &c. etiam ibi dextera tua me comprehendet.*

CV. Crea-

CV. *Creatio* item & *sustentatio*, & ita simul æternitas ei tribuitur *Es.48.13. Manus mea fundavit terram & dextera mea palmo mensa est cœlos.*

CVI. Alia opera eidem asscribuntur *Psal.118.15.16: dextera Domini facit fortitudinem, dextera Jehovæ excelsa, dextera Jehovæ facit fortitudinem.*

CVII. *Sedere* igitur ad dexteram DEI nihil minus denotat, quàm corporeo loco cæli Empyrei, vel alterius cujusdam contineri, magnificoq; throno insidere, & ibidem diem ultimi judicii præstolari.

CVIII. Nec secundum Photinianorum recentium expositionem, sedere ad dexteram DEI significat, *quiescere ab omnibus* interea, dum Pater ad ultimum usque diem ipse hostes Christi sub scabellum pedum suorum subjiciat.

2. *Sedere ad dexteram Dei quid sit.*

CIX. Sed *sedere ad dexteram DEI Patris* significat omnem *potestatem in cœlo & in terra exercere, exercere, & nobiscum esse usq; ad consummationem seculi, omnibusq; creaturis sibi subjectis dominari.*

CX. Et, ut ab omnibus Carnalibus speculationibus mentem abducere consuescremus, æquipollentibus phrasibus hisce sacra scriptura hoc mysterium describit,

bit, ut unum & idem sint, *sedere ad dexteram DEI*; & Psal. 110. 1. *sedere ad dexteram majestatis Dei excelsissimæ* Hebr. 1. 3. *stare ad dexteram DEI* Act. 7. 56. *sedere ad dextram throni majestatis cœlestis. Esse in dextra DEI* Rom. 8. 34. & 1. Pet. 3. 22. *Esse in cœlo* Joh. 3. *regnare* 1. Cor. 15. 25. *implere omnia in omnibus* Ephes. 1. 23.

CXI. Cæterùm, quia Christus secundum divinitatem jam antea habuit & administravit omnia, & respectu ejusdem accipere nihil potuit, ideò sessio ad dextram Patris, de quâ nunc sermo est, quæq; contigit in ascensione, Deitati Christi non competit nec in sacris literis ullibi eidem asscribitur. *3. Secundum quam naturam sit collocatus Christus ad dextram Dei.*

CXII. Non potest autem etiam propter hanc causam referri ad eam, quia series & σωνέχεια verborum Apostoli *Philip. 2.* convincit, Christum tandem exaltatum esse, quatenus sese prius exinanivit factus servus, humilis, similisq; hominibus, mortuus, crucifixus. Quorum nihil λόγῳ principaliter asscribendum venit.

CXIII. In articulo quoq; Symboli Apostolici medio, magnum esset futurum σκάνδαλον, si Christum secundum carnem seu humanitatem fatearis esse conceptum

de Spiritu Sancto ex virgine Maria, passum, sepultum, descendisse ad inferna, resurrexisse à mortuis, ascendisse in cœlum, sed secundum Deitatem vel utramq; naturam consedisse ad dextram Patris contenderis.

CXIV. Dependet hæc sessio carnis *ad dexteram Patris ab ipsa Unione personali*, quæ cœpit in utero virginis, quando virtute Spiritus sancti ex sanctificato sanguine virginis existere caro Christi cœpit.

CXV. Cùm enim tunc temporis totus λόγος carni sit unitus, & per consequens apprimè necessarium, etiam *tunc temporis* omnia idiomata λόγου humanitati efformari cœpta sint communicata, nemo non videt, carnem tunc temporis accepisse omnem divinitatis gloriam, omnem potestatem, omnem scientiam, ubique præsentem gubernationem apud omnes creaturas potestatem judicii, resuscitandi mortuos, quæ sunt virtutes dexteræ DEI.

CXVI. Et ita caro Christi per incarnationem exaltata est eo ipso jam dicto momento & tempore ad virtutes dexteræ DEI Patris, hoc est, ad omnem potentiam, ad omne nomen, quod est in hoc & in futuro seculo. Id quod sano sensu veteres *deificationem* carnis Christi vocarunt.

117. Huc

CXVII. Huc illud *Gregorii Nazianzeni* in sancta lumina: *Spiritus Sanctus corporeo modo in Columbæ formâ se conspiciendum præbens, nempe ut corpus honore afficiat, nam hoc quoq; Deificatione DEUS est.*

CXVIII. Quæ verba ita declarat *Nicetas: Corpus Christi nec naturâ DEUS est (hoc enim dictu absurdum fuerit) nec adoptione, non enim ex progressione & incremento, verum deificatione atq; hypostatica unione supra naturam atq; adoptionem ex ipsa unione divinitatem assecutum est.*

CXIX. Huc illud *Orig.* tomo ult. in Johannem: *Mens Christi deificata fuit.*

CXX. Huc quod *Gulermus* postilla in Paschare habet, *Corpus Christi Deitate est inbalsimatum*: referente Heideno in descriptione Jerusalem fol. 600.

CXXI. Et quod tunc temporis in forma DEI esse cœperit, ex miraculis in statu exinanitionis ejus demonstratis & designatis, cuivis ad oculum constabit, inprimis quando surdis reddidit auditum, leprosos mundavit, mortuos suscitavit.

CXXII. Huc pertinet illud *Joh. 1. Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, item plenum gratiæ & veritatis.*

CXXIII. Cùm verò sub statu exinanitionis sublimationem illam latere oportuerit, ut pati Christus posset; ideò post exinanitionem non nova & toto genere alia, sed prior exaltatio palàm & clarissimè manifestari cœpit, quando ad dexteram collocatus fuit.

CXXIV. Porrò, potest quidem post finitum humiliationis statum secuta evectio Christi ad summam dignitatem larga & certa quadam significatione simul referri ad resuscitationem Christi à mortuis, & ad adscensionem ejusdem in cœlum, ex quibus operibus omnes ad oculum agnoscere debuerunt, Christum esse Patris cœlestis unigenitum Filium, contra blasphemias & machinationes omnium hominum *Ephes. 1. 20.*

CXXV. Quæ etiam causa est, quòd inter Theologos controvertitur, *utrum illius exaltationis & sessionis ad dextram patris post finitum exinanitionis statum sint capienda primordia à resurrectione*; (præsertim quia ipse Christus *Luc. 24. 26.* inquit ante ascensionem, *nonne hæc oportuit pati Christum, & intrare in gloriam suam*) *utrum verò ab ascensione.*

126. Sed

CXXVI. Sed tamen ab ascensione demum illam plenariam potestatis infinitæ & æternæ & immensæ manifestationem, & usurpationem, dominiumq; super omnes creaturas, nomen quod est supra omne nomen, hoc est, non tàm titulum, quàm majestatem illo titulo designatam, verè & in solidum, plenissimeq; cæpisse, Marcus clarissimè exponit, cùm post assumtionem in cœlum Christum consedisse à dexterâ Dei, scribit *cap. ult. vers. 19.*

CXXVII. Die igitur ascensionis in immensam, modo dicto, evectus sublimitatem, & plenariè, palamq; constitutus ad majestatis dexteram in cœlestibus, omnia cœpit, & palàm habere & gubernare sub pedibus suis, ita ut ab illo inprimis die omnes creaturæ illi sese submittere, omnia ab ipso sperare terrestria & cœlestia, omnia genua coram ipso sese flectere debuerint, & debeant.

CXXVIII. Sic enim *Psalmus 8.* secundum Propheratum consuetudinem de hoc tempore sæpius nominato, ait, *Constituisti eum super opera manuum tuarum, omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves & boves, insuper pecora campi, volucres cœli & pisces maris.*

CXXIX. Et *Epistola ad Hebræos 2. 8.* per hoc *quod ei subjecit omnia, nihil omisit, quod non esset ei subjectum* adeò, ut *1. Pet. 3. 22.* sit ad dextram Dei, subjectis etiam ipsi Angelis & potestatibus & virtutibus: tantum modo excepto illo, qui ei subjecit omnia. *1. Cor. 15. 27.*

CXXX. Ad nomen siquidem JESU exaltati flectitur omne genu cœlestium, terrestrium & infernorum *Philip. 2. 11.* hoc est *ibid. 12.* confiteri necesse habet omnis lingua, omnisq; creatura in cœlo, terra & inferno, quòd Dominus JESUS CHRISTUS, crucifixus quidem, sed tamen resuscitatus jam est in gloriam DEI Patris, cujus gubernationem in omnibus suis sentiunt, & exhortere coguntur.

4. Quomodo sedeat caro Christi ad dexteram Dei.

CXXXI. Neq; enim hoc tantùm sibi volunt allegata dicta, quasi superior sit omnium angelorum & hominum virtutibus & potestatibus Caro Christi, sed quòd vi ipsius dexteræ DEI, ad quam exaltata est, h.e. omni potestate sibi communicatâ ubiq; locorum, omnibus creaturis sibi subjectis præsens adsit & dominetur, spirituali & ineffabili modo omnia in omnib9 implens *Eph. 1. 23.* hoc est, ut marginalis glossa Lutheri habet in Bibliis Germanicis,

omnia

omnia in omnibus rebus operans, ita ut absq; ipsa nihil fiat, dicatur, cogitetur.

CXXXII. Non, quod localiter vel physicè circumscribatur & includatur omnibus foliis arborum, lignis, lapidibus, locis fœtidis, stellis, Soli, Lunæ, sed quod extra omnem localitatis considerationem modo divino, & illocali ex omnipotente λόγῳ, & illocali dextera DEI, ad quam illocali sessione evecta est, omnes creaturas manu sua omnipotente gestet, contineat, & foveat, omnium creaturarum habenas administrans, omnia creans, sustentans & gubernans.

CXXXIII. Sicut enim omnium temporum intervalla coram DEO sunt instar unius minuti, ita omnium locorum intercapedines, quantumvis in oculis hominum distent quàm longissimè, in oculis divinæ majestatis puncto minimo minus aliquid sunt.

CXXXIV. Quando igitur carnem cum λόγῳ unitam & ubique præsentem esse concludimus, talem majestatem omnia comprehendendi, continendi & præsentissimè omnia administrandi eidem asscribimus, quæ humanæ rationi extra verbum ignota, & nobis maximi mysterii plena est.

CXXXV. Quemadmodum verò ante statum exaltationis sæpenumero evidenter & potentissimè majestatis suæ gloriam & excellentiam spectandam hominibus præbuit, quando oppressos à Satana sanabat, *Act.10.38.* quando mare & ventos increpabat, *Matth.8. 26.* quando rete Petri post labores vanos in piscatione exanclatos in momento piscibus magnis complebat *Joh.21. 6.* Nathanielem videbat cum adhuc sub ficu esset & priusquam à Philippo vocaretur, *Joh.3. 49.* & quæ his extant similia; ita multò magis nunc in plenario dominio suo post exaltationem factam eadem opera perficit. Id quod probationum nervis pluribus roborare & stabilire in his thesibus supersedemus.

CXXXVI. Porrò, quemadmodum ante exaltationem omnia, quæ ad salutem, collectionem & conversationem Ecclesiæ suæ pertinebant, sua potestate infinitâ peregit abundantissimè, quando Matth.10. Luc.10. operarios in messem suam extrudebat, iisdem donum miraculorum indulgebat, Satanam sub pedes eorum conterebat: ita longè abundantius in iisdem peragendis post exinanitionis tempus suam majestatem & gloriam declarat

planè

planè & merè divinam, eam nimirum quæ λόγῳ propria est, carni verò ex gratiâ unionis communicata fuit realiter; quæ deinceps usq; ad finem confirmare connitemur.

CXXXVII. Hujus igitur posterioris assertionis prima fundamenta suppeditat nobis magnificum opus illud, quod statim post ascensionem visibiliter effudit S. S. super Apostolos, ut variis linguis eloquerentur magnalia Dei, sumulque in nomine Christi variis miraculis resurrectionem & doctrinam Christi confirmarent, & passim ad ipsius cultum homines magno numero ubiq; locorum converterent. *1. Effusio S. S. super Apostolos evidens argumentum sessionis carnis ad dextram Dei.*

CXXXVIII. Tunc enim utique implebatur, quod *Matth. 26. 24.* prædixerat, *Amodo videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.* Item *Luc. 22. 69. Ex hoc autem erit Filius hominis sedens à dextris virtutis Dei*, quasi dixisset, quantumvis me exsibilare soliti fueritis, blasphemiisque obruere, tamen paulò post ascensionem meam agnoscere & fateri necessum habebitis, me sedere ad dextram Patris mei, pariquè potentiâ etiam secundum carnem meam cum ipso gubernare omnia, ubi Spiritum Sanctum

toties promissum super Apostolos meos effundam.

CXXXIX. Cui etiam adstipulatur illud in concione Petri. *Dextera igitur Dei exaltatus, & promissione Spiritus Sancti accepta à Patre effudit hoc donum, quod vos videtis & auditis* Act. 2. 33.

Collectio perpetua Ecclesiæ per ministerium verbi de crucifixo Christo ebidens argumentum plene sessionis carnis ad dextram DEI.

CXL. Deinde, assertionis ejusdem alia suggeruntur nobis fundamenta ex eo, quòd ministerio Verbi de Christo crucifixo & resuscitato, & ad dexteram Patris superexaltato inde à temporibus Apostolorum, usq; in hanc horam ex omnibus gentibus & linguis Ecclesia colligitur, neque portæ inferorum cum omnibus tyrannis & hæreticis eandem doctrinam extinguere, vel adversus Ecclesiam prævalere potuerunt. *Matth. 16. 18.*

CXLI. In hac igitur Ecclesiâ credentes multos illuminat ad vitam æternam, corda & renes scrutatur, audit gemitus & preces, in persecutionibus infirmos animat, ex multis periculis suos liberat, suscipit Spiritus ipsorum in mortis articulo, depositum nostrum accipit & servat, remittit peccata pœnitentibus.

CXLII. Vice versâ, hostibus Evangelii, hypocritis, tyrannis, hæreticis & impiis omnibus frænos injicit & terminos constituit, pœnas infligit, &, nisi convertantur, maledictionem æternam denunciat, & distribuit.

CXLIII. Hoc est illud, quod *Apoc. 3. 7.* dicitur, *Christus habere clavem Davidis, aperire ut nemo claudat, claudere ut nemo aperiat.* Nemo enim venit ad patrem, nisi per ipsum *Joh. 14. 6.* cùm scilicet aperit cœlum, cùm verò claudit, nemo per alium intrare potest.

CXLIV. Licet enim *Joh 20. 22.* Apostolis etiam claves regni cœlorum committantur, tamen longè aliæ sunt claves regni cœlorum Petro & reliquis Apostolis à Christo datæ, alia clavis Davidis, quam habet Christus in cœlis.

CXLV. Nam *Apostolis commissæ claves* intromittendi in regnum cœlorum, vel excludendi ab illo significant potestatem ministerio commissam, juxta voluntatem DEI de peccatoribus resipiscentibus vel non resipiscentibus pronunciandi. Clavis autem altera summum imperium cum administratione plenaria omnium rerum totius mundi complectitur.

146. Nec

CXLVI. Nec amplius habent claves sibi collocatas Apostoli, quamvis eorum ministerium in aliis adhuc deprehendatur, sicuti Christus adhuc suam clavem illibatam usurpat.

CXLVII. Etsi quoq; sedere pro tribunali & judicium ferre de aliis majestatis regiæ quædam sunt rudimenta, & de Apostolis Domini iterum scriptum esse legimus, quòd *& ipsi debeant sedere & judicare XII. tribus Israël*, tamen nihil aliud his verbis voluit indicare Dominus, quam quòd cœlesti ineffabiliq; honore & gloriâ sit coronaturus omnes illos quotquot ab ipso non deficient *Matth. 19. 28.* non verò, quòd omnipotentis majestatis divinæ, sicut caro Christi, realissimè participes fieri debeant.

CXLVIII. Similem judicandi sed terrenam gloriam simili phrasi apud Christum quæritabat ambitiosa filiorum Zebedæi genitrix, cùm peteret, ut uni filiorum à dextrâ Domini, alteri à sinistrâ sedere concederetur, cujus gratia in hunc mundum se venisse Messias negabat. *Matth. 20, 20. 21. &c.*

CXLIX. Porrò, eò quoq; tendit illud, quòd habere dicitur claves mortis & inferni *Apoc. 1. 18.* unde *cap. 2. v 21.* dat tempus

ut pœ-

ut pœnitentiam â fornicatione agere possint miseri peccatores, novit opera hominum, habet aliquid contra aliquos *v.2.4.* (ut prætereamus *caput.3. v.16. 19. 20.*) Exempla Pauli à Christo post ascensionem diligenter curati, & aliorum adjicere non est opus.

CL. Omnis igitur revelatio & omnis illuminatio initium, medium, & perfectionem in Ecclesiâ apud quosvis à Christo habet omnes pœnæ tyrannorum à Christo proficiscuntur.

CLI. Hanc summam potestatem in cœlis & in terrâ exercet ubiq; cum suis & cum omnibus creaturis præsens Christus, non per divinam solummodò naturam, non per favorem & auxilium solummodò, sicuti mortales miseri nonnunquam per ejusmodi media etiam absentibus adesse & commodare dicuntur, neq; per angelos solùm, sed per suam quoq; inprimis carnem, idq; ex virtute carni à λόγῳ communicatâ.

CLII. Cùm igitur tale nihil sit dictum de carne ullius sancti hominis, utiq; nulla alia corpora illam omnipotentiæ & omnipræsentiæ virtutem unquam habebunt, ideoq; etiam hæc tertia *ascensionis* significatio ascensionem Christi ab omnibus aliorum

rum ascensionibus in infinitum discrimi-nat. Et huc illud referatur, beneq; per-pendatur quod *Act. 2. 34.* dicitur, *non n. David ascendit in cœlos, sed dicit ipse, Dixit Dominus Domino meo, sede ad dexteram meam, item & certò sciat tota domus Israël, quòd & Dominum & Christum fecerit illum Deus, hunc Christum, quem vos crucifixistis.*

CLIII. Jam ut constaret publicè in toto mundo, superexaltatam esse carnem Christi ad plenitudinem omnis potestatis; ideò visibilem ascensionem tanquam symbolum accedere oportebat, ut rectè loquitur Lutherus in sermone de Sacramento.

CLIV. Quapropter nimis jejuni & aridi sunt in explicatione articuli de ascensione Christi ad cœlum; qui *motum* tantummodò & mutationem localem ἀνοχωρήσεως emetiuntur, silentio præteritis evectione carnis ad majestatem infinitam, & collocatione ejusdem ad dextram Patris, ubi omnibus sibi subjectis potenter dominatur.

CLV. Quandò etiam Sacramentarii per articulum de ascensione Christi in cœlum secundum solam loci mutationem, consideratâ præsentiam corporis Christi in cœlum oppugnant, tunc impiam fallaciam committunt, & propter antecedentium

& con-

& consequentium collationem omissam, iniquè judicant, & impiè pronunciant. Cum enim caro Christi sedeat ad dexteram DEI & dextera Dei cœlum & terram impleat, utrique caro Christi (quod unicè & strictè à Calvinianis urgetur,) non tantùm in cœlo est, ut ipsi tùm illud *in cœlo esse* accipiunt, sed etiam ubique præsens secundum promissionem suam in cœnâ verè & essentialiter, modo investigabili distribuitur.

CLVI. Veritas igitur de essentiali præsentiâ carnis Christi hîc in terris in cœnâ per veram expositionem Articuli de ascensione & sessione ejusdem ad dextram majestatis in excelsis solidiùs confirmatur, tantum abest, ut per illam jure expugnari possit.

CLVII. Propter hanc sessionem ad dextram, *adorationis jus* etiam secundum carnem ipsi meritò tribuimus, quo tamen pacto carnem λόγῳ non exæquamus, quia una λατρείᾳ tùm carnem tùm λόγον honoramus, neque ullius Idolatriæ accusari possumus, quia carnem non præter causam nec præter mandatum expressum invocamo.

CLVIII. Quòd verò *Esa. 42. 8. gloriam suam alteri non vult concedere Deus*, ibidem, cujus respectu illud dicat, & de quibus oppo-

oppositis ipsi sit sermo, expresse manifestat ipse, nimirum, *nec laudem suam sculptilibus*: & quomodo in adoratione carnis alteri laudem dare diceretur, cujus majestas carni communicata, eadem non numero, vel dignitate diversa & inferior in carne Christi colitur.

CLIX. Legatur etiam *Justinus* in Dialogo cum Triphone, qui apertè fatetur in loco Esaiæ sermonem institui de Christo, quasi dicat, se gloriam suam alii non daturum, hoc est, se cum solo Christo gloriam suam communicaturum, seu ordinaturum, ut non sculptilibus, sed Christo gloria sola tribuatur, per quem omnia sit restaurarurus.

3. Extremi judicii actus evidens argumentum plenissimæ sessionis carnis Christi ad dextram Dei.

CLX. Denique assertionis de collocatâ carne ad majestatem dexteræ Dei, & de carne omnibus præsenter dominante fundamenta solidissima petimus ex eo, quòd suo tempore de cœlo comparebit, exuscitabit mortuos, & de omnibus piis & impiis judicium feret, sententiam pronunciabit, & eandem executioni plenariæ commendabit. *Matth. 25. 31. cùm venerit filius hominis in majestate sua & omnes angeli cum eo, tunc sedebit super thronum majestatis suæ.* Sed quæ sit illa sessio super sedem majestatis, mox

mox v. 32. declaratur, *Et congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos ab invicem, sicut pastor segregat oves ab hœdis &c.*

CLXI. *Johan. 5. 27.* ἐξουσίαν ἔδωκεν αὐτῷ καὶ κρίσιν ποιεῖν, ὅτι υἱὸς ἀνθρώπου ἐστί. Item *Act. 17. 31. statuit diem, in quo judicaturus est orbem in æquitate in* VIRO, *in quo statuit, fidem præbens omnibus, suscitans eum à mortuis:*

CLXII. Ad resuscitandos mortuos & judicandum orbem terrarum, quæ profectò gloria ipsius Dei est *Gen. 18, 28.* Id quod Christus, quatenus homo, quatenus filius hominis, quatenus VIR, id est, etiam secundum carnem suam sibi commissum expediet, requiritur æterna & infinita scientia & potentia, per quam aboleat mortem, ex pulvere terræ, singulorum corpora quasi de novo creet, cumq; animabus suis conjungat, & de singulis exuscitatis secundum fidem & facta ipsorum pronunciet: ubi omnia manifesta & arcana olim à singulis commissa in lucem proferet, ne uno ex intermortuis relicto in sepulchris, nec otiosis etiam verbis impiorum prætermissis, quin non de iisdem rationem exigat, ubi omnes Patri sistet. *1. Cor. 15.*

CLXIII. Hæc sessionis ad dextram & majestatis carnis Christi effecta ruminantes accuratius, meritò cum *Chrysost. hom. 5. super Hebr. 2.* exclamabunt: *Revera magnum & admirabile & stupore plenum est, carnem nostram sursum sedere & adorari ab angelis. Hæc mente versans ἔκστασιν patior, & magna de genere humano cogito.*

CLXIV. Prorsus autem blasphemum est, quod *Hesshusius* anonymus Sacramentarius *orationem nugacem* appellitat hanc, quam Christum secundum utramq; naturam ubiq; esse refert, quòd sedeat ad dextram Dei: & quod reliqui contra sessionem ipsius carnis ad dextram Dei magnis copiis præliantur.

CLXV. Neq; vero post finem mundi de sede dextræ deturbabitur, aut regnare cessabit Christus, verissimum enim esse credimus illud, quod ad matrem Domini refert Angelus, *Luc. 1, 33. regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis*: licet non ea formâ rationeq;, sicut in hoc seculo, scil. per ministerium verbi & Sacramentorum in statu gratiæ, etiam tunc in omnem æternitatem hierarchiam cœlestem in plenissimâ & æternâ gloriâ suâ, administraturus sit.

166. Et

CLXVI. Et tantum quoq; de articulo posteriore ex verbo Dei demonstrasse suffecerit.

DISPUTATIO II.

DE ANTICHRISTO,

Syntagmati & Epistolæ Gasperis Scioppii oppositæ.

Præside FRIDERICO BALDUINO D.
Respondit M. JOHANNES WEBER,
Ohrdrusiensis Thuringus.

21. Novembr. 1606.

Lectori Christiano salutem & amorem P.

ETsi non sine singulari utilitate Reip. Christianæ multiplices Romanæ synagogæ fraudes ac errores multorum libris passim ubiq; deteguntur; tamen compendium fidei & veritatis facere videntur, qui ex immotis fundamentis ostendunt, Pontificem Rom. esse Antichristum illum Magnum, quem Apostolus Paulus filium perditionis nominat. Antichristi

enim doctrinam & vitam impiam & hæreticam esse nemo Christianorum dubitat, ita ut si hoc in genere caussâ ceciderint Romanenses, omnes ipsorum disputationes alia hac una quasi litura deleatur. Ideo in nupero Ratisbonensi Colloquio ad Antichristi nomẽ tantũ, non modò cohorruerunt, sed & satis aptũ abrumpendi colloquii prætextũ sese reperisse putaverunt, quod audiissent, Papã à Collocutoribus Evangelicis Antichristũ fuisse appellatũ. Bellarminus etiam ferè nuspiã in toto suo opere tanto sudavit opere, licet irrito prorsus & frustraneo, quam ut hoc telum à R. Pontificis cervice protelaret. Hunc potissimũ secutus novitius quidam nescio quis aulæ Romanæ adulator, Gasper Scioppius, benè se de Repub. R. Pontificis mereri posse speravit, si dedecus ejus ingenio suo obumbraret, ut verbo Tertulliani utar, hoc est, si omnibus eruditionis suæ nervis eò contenderet, ut totus mundus, scilicet, intelligeret, Papam Antichri-

tichristum non esse. *Eam in rem superiore anno proximo edidit* Syntagma & Epistolam de Antichristo, ad illustrissimum quendam Germaniæ Principem scriptam; *in quorum utroq; Pseudolum potius & Palæstrionem quendam egit, quàm candidum & apertum Papæ advocatum. In Epistola parum est, quod ad rem Antichristianam faciat: suas Pontificis q; sui laudes decantat*, se spectatâ vitæ morumq; integritate & candore, ab omni suspicione privati commodi remotū, hominēq; non prorsus nulli consilii esse, neque eorum, quæ ad medicinam adfectæ Germaniæ faciendam usui esse possunt, imperitum, *prædicat: cæteris in singulis ferè paginis impudenter convitium facit:* Prædicatores Lutheranos concionatoriæ levitatis homines appellat, quæstum exstimulandis & concitandis seditionibus comparare soli-

Pag. 22.

Pag. 33.

tos, &c. *Principem ad quem scribit, non tantum ad desertionem veritatis, sed & ad coërcendas voci-*
Pag. 41. *ferationes prædicatorum & in Pontificem ac Catholicos debacchationes*
Ibid. *(ita vocat orthodoxam & debito zelo temperatam veritatis defensionem) hoc est, ad vim libertati atque officio ministrorum Ecclesiæ faciendam instigat; & tandem cum in omnibus libidini suæ satisfeciſſet, protestatur tamen impudenti ore, se nihil horum attentasse, hoc est, ubig;*
Prov. 30. *officium facit Apostatæ sanguisugæ, acerrimus ordinis sui persecutor, nimirum, instar adulteræ illius Solomoneæ, abstergens os suum, & dicens, non sum operatus malum. Illis igitur vel ostentationibus exagitandis, vel convitiis refutandis, vel instigationibus impediendis, diu immorari velle, animi esset nimium impotentis: idcirco epistola ista, ut intempestivum Germanici incendii stabellum, maleferiato isti Herostrato non im-*

meri-

meritò remittitur. Non enim tam dolor debet apud nos, quam pudor loqui, *inquit Cyprianus*) ne quis provocatus videatur maledicta potius, quam crimina & peccata congerere. *In syntagmate verò compilavit ea ferè omnia, quæ alii scriptores Pontificii de Antichristo comportarunt, quibus tamen suum quoq; addit* ἐπιβάλλον μέρος, *multis consarcinatum fabellis, ex quibus omnibus talem depinxit Antichristum, qualem nisi rerum omnium ordo inverteretur, vel fore, vel fuisse, vel esse posse unquam, nemo crediderit, qui sanæ mentis est. Sed in his omnibus impunè sese fabulari posse putavit, quod scribit hæc ad ejusmodi principem, cui se de minimè vulgari nota commendatum esse credit: quod* Pag. 19.
scribit ut Catholicus, (quod sæpe repetit) hoc est, Romanæ Synagogæ filius, qui Romæ in gremio veræ, si Deo placet, Ecclesiæ sedeat, cui propterea ad tegenda pudenda meretricis

Babylonica quidvis fingere, est officium obsequentis filii, imò bonæ conscientiæ facere: quod denig; scribit (de se si creditur ipsi) pacis & concordiæ inter dissentientes conciliandæ gratia; ejus verò concordiæ, quæ fit cum jactura veritatis, quæ propterea maledicta, & non nisi eorum est, qui nomẽ tantum Christianorum habent, & ore diaboli loquuntur, ut Athanasius alicubi loquitur. Proinde nugis & fabellis istis parcere debuisset tam illustri animo, cui ista hæc scribit, benevolentiam q; semel partam non mendaciis & convitiis, sed pietate & officiis tueri: nisi forsan officium esse putat, mentiri & fallere. Neque enim, quod ipse videri vult Catholicus; quod Ecclesiam Romanam veneratur; quod pacis & concordiæ nomine superbit; idcirco suas de Antichristo nugas excusabit; imò potius caussam non bonam pejorem faciet. Unum enim monco, inquit Hilarius Episcopus Pictaviensis contra

Auxent.

Auxent. sub finem: cavete Antichristum: malè vos parietum amor cœpit, malè Ecclesiam in tectis ædificiisque veneramini: malè sub his pacis nomen ingeritis: anne ambiguum est in his Antichristum esse sessurum? *Et in eodem libro Antichristum in Ecclesia Romanâ superbè grassantem graphicè descripsit his verbis:* Antichristos plures esse, etiam Apostolo Johanne prædicante, cognovimus. Quisquis enim CHRISTUM, qualis ab Apostolis est prædicatus, negavit, Antichristus est. Nominis Antichristi proprietas est, Christo esse contrarium. Hoc nunc sub opinione falsæ pietatis efficitur, hoc sub specie prædicationis Evangelicæ laboratur: ut Dominus JESUS CHRISTUS, dum prædicari creditur, denegetur. Ac primum miserari licet nostræ ætatis laborem, &

præsentium temporum stultas opiniones congemiscere: quibus patrocinari Deo humana creduntur, & ad tuendam Christi Ecclesiam ambitione seculari laboratur. Oro vos Episcopi, qui hoc vos esse creditis, quibusnam suffragiis ad prædicandum Evangelium Apostoli usi sunt? Quibus adjuti potestatibus Christum prædicaverunt: gentesque ferè omnes ex idolis ad Deum transtulerunt? Anne aliquam sibi assumebant à Palatio dignitatem? hymnum Deo in carcere, inter catenas, & post flagella cantantes? edictisq; Regis Paulus cùm in theatro spectaculũ ipse esset, Christo Ecclesiam congregabat? Nerone, se, credo, aut Vespasiano, aut Decio patrocinantibus tuebatur, quorum in nos odiis confessio divinæ prædicationis effloruit. Illi manu atq; opere se alentes intra cœnacula secretaq; coëuntes, vicos & castella, gentesq; ferè omnes

ter-

terra ac mari, contra Senatusconsulta & Regum edicta peragrantes claves, credo, regni cœlorum habebant? Aut non manifesta se tum Dei virtus, contra odia humana porrexit: cum tantò magis Christus prædicaretur, quantò magis prædicare inhiberetur? At nunc, proh dolor, divinam fidem suffragia terrena commendant, inopsq; virtutis suæ Christus, dum ambitio nomini suo conciliatur, arguitur. Terret exiliis, & carceribus Ecclesia, crediq; sibi cogit, quæ exiliis & carceribus est credita: pendet à dignatione communicantiū, quæ persequentium est consecrata terrore: fugat sacerdotes, quæ fugatis sacerdotibus est propagata: diligi se gloriatur à mundo, quæ Christi esse non potuit, nisi eam mundus odisset, *&c. Hæc Hilarius de Antichristo jam circa annum Domini 360. in medio Papatu, magno animo publicè docuit, & admonuit.*

Cui

Cui sanè paternæ admonitioni nugivendæ nostèr locum dare, & manum de tabulâ in hoc de Antichristo syntagmate abstinere debuisset: sed nec hoc facit, & insuper fabularum suarum operculum in sacrosancto Codice Biblico reperisse sese opinatur: ideo gloriatur in frontispicio scripti, Omnia S. Bibliorum autoritate se confirmasse. Quæ me impudentia movit, ut superioribus septimanis illam de Antichristo ραψῳδίαν diligentius inspicerem, loca Biblica à Rapsodo compilata, corrupta atque vitiata in integrum restituerem; & sic in hac materia, pro tenuitate mea, preciosum à vili discernerem. Qua quidem opellâ illud me effecisse spero, ut, quibus amor Christi cordi est, intelligant, Apostatam istum Papam Romanum ab Antichristianismo nondum vindicasse: quod ut liquidius constaret, publicæ disquisitioni hoc Examen Scioppiani Syntagmatis subjicere, Adversariumq; in refutando

κατὰ

κατὰ πόδα sequi volui, ne quidquam, quod ad rem faciat, de industriâ omissum videatur. Hæc præmittenda videbantur, Amice Lector, Tu boni istha omnia consule, conatibusq; meis benè apprecare. Vale.

DE ANTICHRISTO
Diatribe Theologica.

Adversus quendam G. Sciop. Romanæ Thaidis amasium & Apostatam.

PROOEMIUM.

I.

RECTÈ atq; ordine facis, Apostata, quod ante, quam tua de Antichristo μορμολύκεια in proscenium Ecclesiæ producis, de ipso nomine nonnulla mones, & Antichristi vocem interdum propriè, interdum typicè & mysticè accipi notas: in qua tamen annotatione tuâ te in primo statim limine impingere, haud abs re animadvertimus.

II. Primum enim ejusmodi proponis descriptionem Antichristi propriè sic dicti, quæ si vera est, parùm abest, quin tuum nobis descripseris Pontificem.

3. Is

III. Is enim verè summus *Christi adversarius est & æmulus*: qui quidem CHRISTI partes vicarias sese agere profitetur, sed subdolè & proditorum in morem exercitum contra Christum conscribit; non secus ac olim Antiochus Epiphanes, Antichristi typus, tutorio nomine regnum pupilli fraudulenter invasit, Dan. 11, 23. Non enim per Antichristum intelligimus quemcunq; Christi adversarium, sed ex sententia Augustini libr. 2. contr. adverss. legis & Prophet. cap. 12. eum, qui sub nomine Christi, hoc est, Christianum se videri volens, contra Christum extollitur.

IV. Atq; hoc revera est Antichristum esse, si vocis etymon respicias, nimirum non tantum Christi adversarium, sed & vicarium ejus vocari, & nomine vicarii, Adversarium agere: Id enim præpositio ἀντὶ significat, non oppositionem tantum, sed & substitutionem, quod Grammatici sciunt; &, si res ex sacris æstimanda est, constat idem ex Luc. 11, 11. frustra contradicente Bellarmino lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 1.

V. Porrò si de tempore adventus quæris, utiq; negari non potest, Romanum Ponti-

Pontificem *paulò antè adventum Christi ad judicium* in mundum venisse: partim latè sumto hoc termino, quia scriptura omne tempus Novi Testamenti vocat dies novissimos 2. Tim. 3, 1. partim ratione dominii: nam licet ratione conceptionis jam tum Apostoli Pauli & Johannis tempore in mundo fuerit: dominatus tamen ejus ante Gregorii Magni tempora, hoc est, ante annum Christi sexcentesimum orbi terrarum nondum innotuit; quæ sanè tempora multò magis, quam Johannis Apostoli seculum, horam novissimam appellare possumus. 1. Joh. 2, 18.

VI. *Illos, qui credere noluerunt* CHRISTO, *signis & prodigiis mendacibus in errorem duxit* Pontifex, quod testantur tot miracula, olim historiâ Lombardicâ, hodie commentis Esavitarum descripta; ἀπο θεώσις Bennonis Magi Misnensis, in Bavariâ; Casimiri in Lituaniâ; Mariæ virginis Hallensis in Brabantia; aliorum sanctulorum in Iaponiâ.

VII. *Inprimis in errorem inducit Judæos.* His enim synagogas permittit in ipsâ urbe; & ut tuipse scribis, *in Apol. cont. Hunn. cap. 3. pag. 4.* quot hebdomadis ad sacra eos COGIT, homines nimirum Christianæ

stianæ fidei expertes, & ad seducendum faciles, quippe superstitioni & idololatriæ naturâ vicinos, teste Petro Galatino, *lib. 2. de arcan. Cathol. verit. cap. 1.* Christianos cæteros, qui Papisticam fidem non agnoscunt, excludit; quos perinde seducere non potest; ut nec homines suos, qui jam ante non quidem seducti, sed in errore nati sunt.

IIX. Et licet verbis non persuadeat Judæis, (quod in descriptione Antichristi additur) se esse illum, quem expectant, Messiam (hoc enim quomodo posset homo Christianæ professioni addictus?) eandem tamen ferè beatitudinem politicam eis pollicetur, qualem quantamq; à Messia suo expectare vix poterant.

IX. Quod si etiam attendantur ea, quæ veteres de Antichristo tradidisse scribit Benedictus Pererius Esavita lib. 8. in Dan. mihi pag. 445. *simulaturum illum Messiam, eaq; ratione Judæorum animos studiaq; rapturum; rursusq; ædificaturum Hierosolymam, templumq; instauraturum*: quilibet, cui cerebrum non in calcaneis sed capite est, intelligit, te Pontificem vestrum insciè delineasse.

X. Antiochum Epiphanem; Neronem

nem ac Imperatores Ethnicorum alios, Christianorum persecutores, impietate, ac tyrannide suâ si non superat, certè æquat: id quod Hispanicæ inquisitiones, lanienæ Gallicæ, exilia Germanica, & deniq; sanguis ille tot martyrum innocenter effusus prolixè docet, & propterea quotidiè in cœlum clamat: usq; adeò bestia illa habens agni cornua & vocem draconis, fecit omnem potestatem prioris bestiæ, Cæsarum Romanorum, Ecclesiæ persecutorum, juxta vaticinium Apocal. 13, 11. unde non mentietur, qui Antiochum illum, Neronem, & tyrannos cæteros Pontificis Romani hoc in genere typum esse dixerit.

XI. Simonem Magum dona Spiritus Sancti pecuniâ licitari solitum testantur Acta Apostolica cap. 8, 19. hypocrisi fictitiisq; miraculis orbem terrarum dementasse, annotavit Eusebius lib. 2. hist. Eccles. cap. 1. idem facere Pontificem Romanum, cæcus est qui in tantâ luce Evangelii non videat, quod viderunt, qui in ipsâ cæcitate Pontificiâ nati & educati fuerunt, quemadmodum ex ipsorum querimoniis de Simoniâ Papæ constat, & vel sola Taxa Cancellariæ Apostolicæ locuples esse testis potest.

XII. Largitionibus (inquit Platina, scriptor Pontificius in vita Steph. VI. & Sergii III.) *Pontificium munus ambiunt: &* in Sylvest. III. *eò Pontificatus devenerat, ut qui plus largitione & ambitione non dico sanctitate & doctrinâ, is tantum dignitatis gradum, bonis oppressis & rejectis, obtineret: quem morem utinam non aliquando retinuissent nostra tempora.*

XIII. Hypocryseos insuper & fictitiorum miraculorum exempla tam illustria sunt in Papatu, ut, si hoc nomine Simon ille Antichristi typus est, nullius magis quam Papæ Romani typus & antecessor esse possit.

XIV. Ebionem & Cerinthum mallem tacuisses, Apostata: neq; enim adducor, ut credam, te in omnibus ipsorum erroribus Antichristi typum quærere; alioquin mirum ex Antichristo monstrum nobis conflabis. Si ergò in aliquibus; quis nobis divinabit, quænam ista sint? nosti quid de illis duobus fumigantibus titionibus referat Eusebius lib. 3. hist. c. 27. & 28. *illum docuisse, omnino necessariam esse legalem observantiam, quasi non sit satis per solam in Christum fidem: hunc verò inimicum esse scripturis Dei: & inter alia putavisse templum Hierosolymitanum sub finem seculi restaurandum esse:*

quo-

quorum utrumq; qui in Papa Romano nõ agnoscit, Tiresiâ cæcior sit, oportet.

XV. Et hic primus est scrupulus in annotatione tua de Antichristi descriptione, quem removebis nobis prius, quam progrediaris.

XVI. Deinde aliter nobis Antichristum describis ex 1. Johan. 2. *quod sit is, qui negat Patrem & Filium*: quam quidem descriptionem, si ita vis, facili negotio ad Romanum Pontificem applicabimus; qui & voluntatem Patris, & officium Filii abnegando vel corrumpendo, & Patrem & Filium abnegavit, à cujus naturâ & essentiâ officium est inseparabile, quemadmodum impii, abnegando providentiam Dei, Deum ipsum abnegasse dicuntur Psal. 14, 1.

XVII. Voluntatem Patris abnegavit Pontifex, quando consecutionem salutis ac vitæ æternæ non fidei, sed operibus honum adscribit, contra mentem, voluntatem ac decretum Patris æterni: *hæc enim est voluntas Patris mei, qui misit me* (inquit Christus, Johan. 6, 40.) *ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.* Officium Filii negavit; dum præter Christum sanctos etiam Mediatores &

Redemtores nobis obtrudit, *cum tamen unus tantum sit mediator Dei & hominum, homo Christus Jesus, qui dedit redemtionem semetipsum pro omnibus*, 1. Tim. 2, 5. Ita in hoc quoq; loco S. Johannis Pontifex Romanus suum habet spicilegium.

XIIX. Attamen, ut dicam quod res est, si hic locus ad Magnum illum Antichristum referendus est, multò rectius de Orientali illo, qui est extra Ecclesiam, intelligeretur, quia S Johannes scripsit hæc contra Ebionem & Cerinthum, qui Deitatem Filii negabant, & hoc errore Mahometanis bipatentes aperiebant portas: atq; sic primò de istis hæreticis, Mahometicæ blasphemiæ prodromis; consequenter de Mahometistis & Antichristo orientali accipitur.

XIX. De illo verò Antichristo, quem Pontificii fingunt, intelligi nequaquam potest. Johannes enim loquitur de Antichristo tali, qui ex Ecclesia egressus fuit: Papicolæ verò fictitium suum Antichristum extra Ecclesiam, Babylone, ex tribu Dan, parentibus Judæis prodituru̇m, nec baptisatum iri credunt.

XX. Viderit igitur Apostata qualem & quem nobis Antichristum hîc descripserit:

pserit: Nunc ad Examen Septem illorum capitum Antichristi Sc ppiani accedimus.

CAPUT I.

De Tempore Adventus Antichristi.

I.

DE tempore Adventus Antichristi tria ponuntur in hoc capite, animadversione digna. 1. Antichristum venturum in fine mundi. 2. Certa durationis definitio, videlicet dies 1290. seu menses 42. seu anni tres cum dimidio ante adventum Christi ad judicium. 3. Signorum duorum notificatio: quæ sunt duo priora ex sex illis, quæ habet Bellarminus lib. 3. de Pontif. Rom. cap. 4.

II. Primum Apostata sine ulla ratione posuit. Nam ἐπεξήγησις ista quam mox addit de 1335. diebus, in secundo membro examinabitur. Hoc certum est, nuspiam extare in Scripturâ (unde hæc omnis controversia dirimenda est) Antichristum in fine mundi *venturum*: sed hoc constat, Antichristum paulò ante finem mundi *revelandum*, & cum jam pridem mysterium iniquitatis in occulto a-

gitaret, fraudes ejus detegendas, potestatemq; ejus imminuendam esse, donec CHRISTUS glorioso suo adventu eum prorsus è medio tollat, & in ignem æternum præcipitem agat. Ea verò revelatio jam facta est feliciter, ita ut inter alia ex hoc quoq; signo adventum Christi ad judicium præ foribus esse colligamus.

III. Secundum membrum septem scripturæ locis probare conatur pag. 55. seqq. 1. ex Dan. 7. v. 8. ubi de parvulo cornu dicitur, *quod Propheta illud aspexerit, donec thromposiri sint*; unde Antichristi durationem usq; ad extremum judicium concludit Apostata, exceptis tamen 45. diebus, quo ipso & probationem suam tollit, & Apostolo in 2. ad Thes. 2. contradicit, ut infra audiemus. 2. ex ejusdem capitis versiculo 24. ubi de quodam rege loquitur Propheta, in cujus manu sint futuri sancti *usq; ad tempus, tempora & dimidium temporis.* 3. ex c. 12. Dan. v. 7. seqq. ubi eadem temporis notatio reperitur. 4. ex cap. 9. Daniel. v. 27. ubi abominatio desolationis prædicitur in dimidio hebdomatis, h. e. tribus annis & dimidio sive diebus 1290. ut ipse supputat. 5. ex Apocalypsi c. 11, 2. ubi de manipularibus Antichristi scribitur, quod civitatem sanctam conculcaturi

sint

sint mensibus quadraginta duobus. 6. ex Apoc. 12, 14. ubi de muliere, h. e. Ecclesia refertur, quod alatur in deserto per tempo & tempora & dimidium temporis, a facie serpentis, id est, propter serpentis & Antichristi metum, interprete Apostata. 7. ex cap. 13, 5. ubi potentia Antichristi mensibus 42. terminatur.

IV. Hæc omnia mutuatus est Apostata ex Bellarmini lib. 3. de Pontif. Rom. c. 8. ubi tamen una cum præceptore suo dupliciter impingit, in ἔλεγχον τῆς ἐπεροζητήσεως & fallaciam petitionis principii: partim quia loca nonnulla accipit de Antichristo, quæ vel ne χρὺ de eo habent, vel non nisi per typum, & quasi per transennam ad eum respiciunt: partim quia confundit Antichristum orientalem & occidentalem: partim etiam, quia numeros illos annorum, mensium ac dierum perperam interpretatur, ut jam ordine videbimus.

V. Et I. quidem etsi non negamus; Antichristum usq; ad extremũ judicium duraturũ (conficietur enim claritate adventus Jesu) tamen locus ab Apostata laudatus hoc non probat. Nam corniculum illud, de quo Daniel. cap. 7. vers. 8. nequaquam de Antichristo intelligi potest.

Parvulum, cornu apud Danielem.

1. Hic enim ab ipsis Pontificiis, ut Pseudoapostolus, & sic ut persona Ecclesiastica introducitur: corniculum illud à Propheta, ut potentissimus quidam princeps secularis describitur, è decem cornibus, hoc est, è medio Principum egressurus. 2. Hic portatur à bestiâ seu Romanâ Monarchia adhuc integrâ & illæsâ Apocal. 17, 7. imò plagam bestiæ illatam sanat, Apoc. 13. illud plagam infligit, & tria cornua bestiæ dejicit, vel ut angelus interpretatur, tres Reges humiliabit. Dan. 7, 8, 25. 3. Hic venit cum prodigiis & multis miraculis, 2. Thess. 2. illi non miracula tribuuntur, sed vis, sævitia ac blasphemia. Imò Mahometh eò, quod nulla ederet miracula, despectus fuit ab Arabibus: quibus respondit, se non egere miraculis, quod eandem doctrinam afferret, quam olim Moses & Christus miraculis confirmavit: se verò missum esse non in potestate miraculorum, sed in potestate gladii.

VI. Rectissimè igitur accipimus hoc exile cornu Danielis de Turcico tyranno, quem Antichristum occidentalem & extra Ecclesiam regnantem nominamus. Is enim à vili principio in ipsis imperii visceribus ortus est: exiguo temporis spacio

cio potentia ejus crevit: tria cornua, Asiam, Ægyptum, Græciam, vel ut Hieronymo placet, Ægyptum, Africam & Æthiopiam, Imperio Romano evulsit: in omnes articulos fidei Christianæ extremè blasphemus, ita ut jam eventus, optimus vaticiniorum magister ac interpres, convincat, ea quæ huic corniculo adsignantur, non nisi de Turcico tyranno, & regni sui colluvie intelligenda esse: quem etiam ultimum fore nominis Christiani hostem novissimis temporibus, constat ex Ezech. 39. unde nihil ex hac relatione Prophetica, de parvulo cornu, concludi potest de tempore adventus Antichristi.

VII. Negare quidem non possumus, Hieronymum super cap. 7. Dan. Augustinum lib. 20. de civ. Dei, cap. 23. Gregor. libr. 32. moral. cap. 12. & alios Patres, hoc corniculum de Antichristo interpretatos fuisse: sed autoritatibus illis hoc in loco non movemur, siquidem scriptura non est privatæ interpretationis, 2. Pet. 1, 21. *& omnis prophetia antequam habeat efficaciam, ænigma & ambiguitas est hominibus*, inquit Irenæus lib. 4. contra Valent. cap. 43. *cum autem venit tempus, & evenit, quod Prophetatum est, tunc demum*

habet liquidam & certam expositionem. Et Deus apud Jeremiam cap. 28. 9. *cum venerit verbum ejus*, inquit, *scietur Propheta, quem misit Deus in veritate*: imò Danieli in specie præcipitur, *ut claudat sermones suos, & obsignet librum usq; ad tempus statutum*, hoc est, donec eventus respondeat Dan. 12, 4. unde mirum non est, S. Patres in expositione horum vaticiniorum interdum hallucinatos esse.

IIX. Ejusdem farinæ est, quod secundo loco affert ex eodem cap. v. 24. Cohæret enim hæc cum præcedentibus ut interpretatio visionis cum ipsa visione, ac proinde iisdem argumentis ostendimus, hic nihil prorsus de Utopico Papicolarũ Antichristo reperiri, sed de Turcico tyranno loqui Angelum. Is enim posterior fuit regibus Romani Imperii, uno infelici partu cum Antichristo occidentali in oriente a diabolo in lucem editus: fuit etiam potentior, & humiliavit tres Reges, ut jam modo demonstravimus: sermones contra excelsum locutus est in Alcorano: sanctos Altissimi conterit continuis & catenatis bellis: putavit etiam se mutare posse tempora & leges, quod factum est, quando dies festos & Judæorum & Christianorum abolevit, & peculiari quodam insti-

institutio diem Veneris feriari voluit, inprimis autem, quando annos solares Ecclesiæ & Scripturæ usitatos mutavit in Lunares, quos Hegiras vocant, quorum unus est dierum 354. horarum 8. & 48. minutorum: legem Domini non mutavit tantum, sed & prorsus abjecit, & aliam huic omninò contrariam commentus est.

De phrasi: tempus, tempora, dimidium temporis.

IX. Durationem hujus tyrannidis notavit Propheta phrasi vaticiniis Spiritus sancti planè singulari: *Sancti*, inquit, *tradentur in manus ejus usq; ad tempus & tempora & dimidium temporis*: quam temporis periodū Apostata eandem esse putat cum annis tribus & dimidio; diebus 1290. mensibus 42. quorum in reliquis vaticiniis fit mentio: eosq; annos menses & dies, cum Bellarmino & sociis, de vulgari temporum periodo accipit, ut ita certum tempus adventus Antichristi hinc excogitare possit.

X. Sed hæc omnia ficta & vana sunt. 1. enim nullus potest monstrari Scripturæ locus, in quo Tempus annū, Tempora biennium præcisè significent, neq; etiā מוֹעֵד (quo vocabulo utitur Propheta) semper æquale dimidiū totius significat; sed partem aliquando majorē aliquando minorem: voluit ergo Spiritus S. hæc tempora inde-

indefinitè ponere, ut temeritatem hominum in dimetiendis his mysteriis compesceret.

XI. 2. Illa periodorum Synonymia falsa est. Nam si annum intelligas Solarem, tum dies 1290. nequaquam constituunt tres annos cum dimidio: nam ubi annus continet dies 365. horas ferè 6. tres anni cum dimidio habent dies ferè 1228. si mensem intelligas lunarem, quales duodecim cum diebus undecim annum Hebræorum constituisse, autor est Johannes Lucidus lib. 1. Chron. cap. 5. tum anni tres cum dimidio constituunt menses 43. cum diebus novem: ita quoquo te vertas, ista annorum, mensium & dierum Synonymia nulla est: dies certè planè non conveniunt: nam modò numerantur mille ducenti sexaginta Apocal. 11. modò mille ducenti nonaginta, modò mille trecenti triginta quinque Dan. 12. Quæ omnia evidenter docent, annos illos tres cum dimidio, vel tempus, tempora & dimidium temporis, quod Antichristo adsignatur in scripturâ, non de vulgari mensurâ temporis accipiendum esse.

XII. 3. Accedit deniq; testimonium Apostoli Pauli 2. Thess. 2. qui scribit, jam tum

tum suo tempore mysterium iniquitatis incepisse: ab eo verò tempore anni vulgares plus quam mille quingenti quinquaginta effluxerunt.

XIII. Proinde cum sanioribus Ecclesiæ doctoribus statuimus, in illis temporum periodis *vel* tempus certum pro incerto poni, & tempus certum quoad numerum non quidem exprimi; esse tamen aliquod, tacitè insinuari: *vel* annos & menses magnos ac angelicos, quos vocant, intelligendos esse, quorum singuli tot annos ac menses complectuntur, quot alioquin dies, quod insinuasse videtur Dominus illo Ezechielis cap. 4, 6. *diem pro anno dedi tibi*: quemadmodum etiam septuaginta septimanæ Danielis ab omnibus intelliguntur de septimanis annorum.

XIV. Neq: verò huic interpretationi obstat, quod ex Bellar. objicit Apostata de brevissimo tempore imperii Antichristiani, quod ex Apoc. 12. v. 12. planum esse indicat *pag. 57*. Nam quis jussit Apostatam brevissimum illud tempus ad certos & definitos annos ac menses temerè restringere? Breve sanè erit Antichristi dominium in Ecclesia, respectu ipsius Ecclesiæ,

clesiæ, cujus regnum & altius habet initium, & in æternum durabit: breve etiam, respectu Dei, in cujus oculis mille anni sunt instar hesternæ diei 2. Pet. 3, 3. breve, pro consuetudine scripturæ, quæ horam novissimam & tempus ultimũ vocat spacium aliquot seculorũ, ut ex epist. 1. Joh. c. 2, 18. & Apostolo Paulo 1. Cor. 10, 11. constat: breve deniq; est, quia abbreviabuntur dies, propter electos, dicente Christo, Matth. c. 24, 21. neq; pro lubitu grassanti Antichristo frena laxabuntur, quam diu ipsi visum fuerit. Ita brevitas illa temporis, Antichristi regno adsignata in scripturâ nihil quicquã facit ad tres annos & dimidium Antichristi, sed fit à Pontificiis ex illa modici temporis notatione absurda à non distributo ad distributum collectio: multò sanè rectius D. Aug. in 1. Ep. Joh qui novissimã horam S. Johannis non de certis horis aut annis, sed *de ultimâ ætate* interpretatur, quæ Bellarmino fatente, non paucos annos, sed totum hoc tempus a Christo usque ad finem mundi complectitur.

XV. Deinde futilis & inutilis est instantia Bellarmini, qua scribit, *hebdomadas quidem annorum dici, sed non menses aut dies anno-*

annorum: quia sicut septem dies dicuntur hebdomada dierum, ita septem anni hebdomada annorum: mensem autem annorum vel diem pro anno nusquam legi, nam mensem non denominari à numero aliquo, sed à cursu Lunæ, qui xxx. diebus absolvitur. Hæc Bellarm. lib. 3. de Pontif. Rom. cap. 8.

XVI. Hîc non multum immorabor in refutando eo, quod absq; discrimine mensem 30. diebus absolvi scribit. Quod si de mensibus Hebræorum intelligit, refutatur ab iis, qui de anni Hebræi ratione scripserunt, docueruntq;, Hebræos usos esse mensibus inæqualibus, quorum unus triginta, alter viginti novē dies habuit. Si de mensibus in genere loquitur, didicisse debuit ex Ludovico Vive, qui refert in lib. 15. de civ. Dei c. 10. mensem dupliciter cōsiderari posse, vel de spacio temporis, quo Luna discedit & redit ad idem punctum, quod fit diebus 27. vel dum solem, percurso signifero circulo, consequitur; idq; fit diebus unde triginta, horis duodecim, & minutis quadraginta quatuor. Ex quibus constat, illam 30. dierum mensuram Bellarmini figmentum esse. Sed ad rem ipsam accedamus.

Vide Lalamantium de anni Hebræi ratione.

Vide etiam Christia. Adrichomium in præfat. chronici sui. p. 191. theatri terræ sanctæ.

XVII. Quod igitur ex præcepto divino

vino expresse dicitur de annorum hebdomadibus Levit. 25, 8. sciat Esavita, hoc de mensibus ac diebus annorum colligi ex eventu vaticiniorum, qui optimus & certissimus est Prophetarum interpres; colligi, inquam potest: nam invictâ ἀποδείξει nos destitui in his mysteriis, quorum ἀκρίβειαν Deus sibi reservavit, non diffitemur.

XIIX. Sanè non desunt, qui menses istos per Sabbata numerant, prout hebdomæ Danielis per sabbata computantur: quod facit Robertus Abbas in Demonstrat. Antichristi cap. 8. ex Johanne Foxo. Quemadmodum enim Mensis apud Hebræos propter novilunium ab innovatione nomen habet; & septimus dierum & annorum numerus apud eosdem rebus innovandis destinatus erat, ut constat ex Exod. 20, 12: 21, 2. Levit. 25, 4. Deut. 15, 1: ita ad hebdomadas annorum etiam menses renovari posse putant, ita ut mensis quisq; sabbatum annorum, h. e. septem annos complectatur: quam quidem opinionem suo loco relinquimus.

XIX. Ex numero autem horarum diem, ex numero dierum mensem colligere (quod facit Bellarminus) in scriptura val-

valde lubrica est ratio: quia & mensis dierum legitur pro integro mense Gen.29.14. & mensis pro quovis tempore, Job.cap.29. v.1. Sic & dies interdum significat integrum annum, quemadmodum illud exponitur 1. Samuel.27.7. *fuit numerus dierum, quibus habitavit David in regione Philistinorum dies & menses quatuor*, hoc est, annus integer cum quatuor mensibus.

XX. Neq; verò necesse est, fingere, quod fingit Bellarminus, Ezechielem c.4, 6. per annos integros 390. dormivisse super latus sinistrum, quia dixit Deus, diem pro anno dedi tibi: sed dies illi somni Ezechielis respondebant totidem annis, quibus Judæi sub Regibus suis peccaverant, atque sic dies pro anno erat, dicente Domino, non ut per tot annos, quot essent dies, dormiret Propheta; sed ut tot annorum peccata tot diebus repræsentarentur: erat enim visio, non viva rei gerendæ actio.

XXI. Etsi igitur & annos & menses illos angelicos tam exactè supputare non possumus, ut calculus præcisè respondeat iis rebus, quibus describendis ista temporis notatio adhibetur: tamen sufficiat hoc, quod evidentia rei monstrat, tempora istæc propriè sumi non posse in illis vaticiniis;

niis, quorum eventus alium omninò calculum requirit: alioquin dies & annos in his mysteriis præcisè supputare prohibemur interdicto divino, eò quod Deus suæ potestati eos unicè reservatos voluit, Act. 1. 7. Adde, quod Pererius lib. 15. in Daniel. p. 915. illos tres annos cum dimidio secundum literam non intelligit, sed dicit, addendos insuper esse 10. dies. Quamquam hoc absurdum sit: nam de ista additione nihil habet scriptura, & tres illi anni non faciunt 1290. sed 1260. dies, si mensis est 30. dierum, ut Bellarminus vult: apparet tamen inde præclarus scilicet Romanensium assensus.

XXII. Ex his, quæ jam dicta sunt, quilibet intelligit, locos cæteros ab Apostata laudatos, (quorum plerosq; de Antichristo loqui concedimus) nihil facere ad probandum certum & determinatum tempus adventus Antichristi, quod præcisè annorum trium cum dimidio ante novissimum judicium fore fingunt, ut nihil dicam, quod hoc asseverare nimis sit temerarium, & ipsis quoq; Pontificiis probatu impossibile.

XXIII. Fieri enim non potest, ut Utopicus iste Antichristus res tam varias, tam miras, tot hostium strages; tot regum victo-

rias;

rias; tam præclaram sui noticiam inter Judæos in orbe universo; Hierosolymæ, urbis tam amplæ ædificationem, tot religionum omnibus in locis innovationem, & nescio quæ alia, quæ deprædicare solent Papicolæ, tantillo temporis spaciolo expediret.

XXIV. Valeant igitur nugæ istæ, in quibus tamen non exiguum causæ suæ momentum locavit Adversarius: jam ad duo illa signa progredior, unde probare voluit, Antichristum illum magnum, in cujus tamen sinu ipse hæret, nondum advenisse.

XXV. *Unum signum* (inquit) *est, cum Evangelium fuerit in universo orbe omnibus gentibus prædicatum, per certos & præsentes ministros, non per auditionem aut famam, &c. Sed certum est* (addit) *hodieq; plurimas & copiosissimas esse gentes, ad quas Christi nomen forte ne rumore quidem aut fando unquam perlatum fuerit.* Pag. 44.

De prædicatione Evangelii in universo mundo. Pag. 54. 57. 58.

XXVI. Signi hujus certitudinem demonstrare conatur 1. ex c. 24. Matth. *Prædicabitur hoc Evangelium regni in universo orbe in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio.* 2. ex Ps. 2. *Postula à me, & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, & possessionem*

tuam terminos terræ: & huc congerit testimonia de vocatione gentium ad Ecclesiam, ut Psal. 71. (in Hebræo est 72.) vers. 8. & 9. Zach. 10. 11. Soph. 2. 11. Malach. 1. 11.

XXVII. Hæc omnia tantum non de verbo ad verbum ex Bellarmino exscripsit, quibus tamen nihil quicquam ad institutum proficit. Nam fundamentum reliquorum dictorum ferè omnium est locus, Matth. 24. 14. quem, si diligenter inspiciamus, apparet ab Apostata malè fuisse lectum & intellectum. Nam quod iste de consummatione seu fine mundi tantum accipit, hoc ex textu liquet, de consummatione seu excidio partim urbis Hierosolymæ, partim totius universi accipiendum esse: de utroq; enim discipuli interrogaverant versiculo 3.

XXVIII. Eat igitur nunc & vanitatis aut mendacii arguat hoc Christi vaticinium, si ante devastationem Hierosolymitanam non in omnibus mundi angulis, omnibus omninò gentibus in individuo Evangelium prædicatum fuerit.

XXIX. Deinde monstret nobis, quæ & ubi sint *illæ plurimæ & copiosissimæ gentes, ad quas Christi nomen forte ne rumore quidem aut fando* UNQUAM *pervlatum fuerit.*

30. Cer-

XXX. Certè ante, quam exscinderetur Hierosolyma â Romanis, quod quadraginta ferè annis ab adicensu Christi in cœlos factum esse constat; prædicatum fuit Evangelium ab Apostolis omnibus gentibus in quatuor orbis partibus disseminatis, teste Apostolo Paulo Rom. 10. 18. *Nunquid non audierunt? siquidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum*; & in universo mundo fructificare & crescere Evangelium scripsit ad Colossenses cap. 1. versu 6.

XXXI. Ad hoc enim erant à Christo missi, Matth. 28 19. Aut igitur mandato Christi non satisfecerunt Apostoli, & sic negligentiæ accusantur: aut mandatum Christi contra expressam literam, non ad omnes omninò gentes respexit, sed Christus aliquibus Evangelium prædicari noluit, quod esset Christum Dominum cum Calvinianis detestandæ hypocriseos & inauditæ prorsus inhumanitatis arguere. Eligat utrum velit Apostata, utrobiq; maleferiatus Christi & Apostolorum Aristarchus reperitur.

XXXII. Ad hoc etiam, ut omnibus gentibus prædicarent Evangelium, erant à Christo testes vocati Apostoli, Actor. 1. 8. *Vide Iren. lib. 1. cap. 3. Euseb. lib. 6. c. 1. & lib. 2. cap. 1.*

adhoc deniq; veluti mundum inter se distribuisse, traditur, ita ut Thomas & Bartholomæus Orientem; Simon & Matthæus Meridiem, Philippus & Thaddæus Septentrionem; Matthias & Jacobus minor Mediterraneas regiones, Johannes & Andreas provincias maritimas; Petrus & Jacobus major Occidentem, Paulus denique totum mundum peragraret.

XXXIII. Unde est illud vel inprimis συνηχόνευτον, quod Tertullianus adversus Judæos confirmat, *credidisse Christo Getulorum varietates, & Maurorum multos fines, & Britannorum inaccessa Romanis loca, & Sarmatarum & Dacorum & Germanorum, & Scytharum, & abditarum multarum gentium & provinciarum & INSULARVM MVLTARVM NOBIS IGNOTARVM, & quæ enumerare non possumus.* Cum quo consentit Hieronymus in cap. 24. Matth. *Non puto*, inquit, *aliquam remansisse gentem, quæ Christi nomen ignoret.* Ubi ergò tuum illud *certum est*, Apostata, plurimas & copiosissimas remansisse gentes, quæ ne fando quidem unquam aliquid de Christo audiverunt?

XXXIV. Testantur Apostolorum Acta, quam felici successu Apostolus Petrus viris religiosis *ex omni natione quæ sub cœlo erat*, Evan-

Evangelium prædicaverit Act. 1, 5. quomodo postea aliam quasi coloniam Ecclesiæ per totam Judæam, Galilæam & Samariam duxerint, Act. 9, 21, 8. 1. 11. 13. quomodo solus Paulus cum paucis sociis, peragratâ Pamphilia & Pisidia, Antiochenam, Iconiensem, Lystrensem, Derbenensem, Pergensem Ecclesiam fundaverit, Act. 13. quomodo Evangelium prædicaverit in Phrygia, Galatia, Mysia, Macedonia, Achaia, Græcia, Italia, Actor. 16. seqq. unde & ipse scripsit, se prædicasse ab urbe Hierosolyma per circuitum ad Illyricum usq; Rom. 15 19. & quidem iis in locis, ubi nondum nominatus fuerat Christus vers. 20.

XXXV. Quo nomine Theodoretus Apostolo Paulo hoc testimonium perhibuit, quod ipse cum cæteris Apostolis ad legem Evangelicam non Romanos solum, & qui sub Romano viverent Imperio; sed Scythas quoq; & Sauromatas, Indos, Æthiopas, Persas, Seres, Hyrcanos, Britannos, Cimmerios, Germanos, deniq; omne genus hominum, & omnes nationes induxerit.

XXXVI. Etsi verò non omnes omninò pereptarunt mundi angulos, vicos aut pagos; sufficit tamen ad complementum vaticinii Christi, peragrasse ipsos quatuor

orbis partes, & quidem summâ cum diligentiâ Evangelium, quâ voce, quâ scriptis, in iis prædicasse, unde profectò non tenuis quædam auditio (quam Apostata vocat) sed illustris de CHRISTO fama insonuit & innotuit gentibus, quam quia plerique admittere noluerunt, inde factum est, ut nulla vel Dei culpa, vel Apostolorum & virorum Apostolicorum negligentiâ, sed propriâ partim ignaviâ, partim contemtu prædicatione Evangelii hodieq; destituantur, & sic nihilominus Evangelium de Christo vel sibi vel majoribus prædicatū, habebunt in testimonium contra se, ut sint ἀναπολόγητοι in novissimo die, quod consilium Dei adversus seipsos adspernati fuerint. In horum autem gratiam Deus novum aliquod (quod Papicolæ exspectant) vaticinii Christi complementum haudquaquam instituet.

XXXVII. Eodem prorsus modo hoc vaticinium explicat D. Chrysostomus, qui illam Evangelii prædicationem consummationem Hierosolymorum antegressam clarè & præclarè docet hom. 76. in Matth. his verbis: *In universo orbe prædicabitur, inquit, Evangelium hoc in testimonium omnibus gentibus, & tunc veniet consummatio: consum-*

matio

matio scilicet Hierosolymorum. Quod enim sicut prædixit, vel ante Judæorum urbis eversionem per mundum Evangelium effusum erat, Paulum audi: In omnem terram exivit sonus eorum, & rursus, à spe Evangelii quod audistis, quod prædicatum est in universa creatura, quæ sub cœlo est. Et videas eum in Hierosolymis ad Hispaniam usq; currentem. Quod si unus in tanta parte orbis prædicavit, cogita, quid à reliquis factum fuerit. Sed & alibi Paulus de Evangelio scripsit, quod fructum ferat, & crescat in omni creatura, quæ sub cœlo est. Quid autem est, in testimonium omnibus? ubique, inquit, prædicabitur, sed non omnes ubiq; credent. In testimonium autem non credentibus ubiq; prædicabitur; hoc est, in redargutionem, reprehensionem & testimonium. Nam, qui crediderunt, adversus incredulos testabuntur, & condemnabunt eos; idcirco posteaquam Evangelium in universo orbe prædicatum fuerit, Hierosolyma evertetur, ut nec umbra excusationis ingratis relinqueretur, &c. Hæc Chrysostomus, cum quo consentit Hilarius in cap. 24. Matth. & Theophylact. in cap. 13. Marci.

XXXVIII. Proinde, ad impletionem vaticinii CHRISTI non necesse vel fuit ante excidium Hierosolymitanum, vel etiamnū est ante consummationem mundi,

ut Evangelium per proprios prædicatores (ut Bellarminus loquitur) seu ut Scioppius interpretatur, per vitam prædicatorum vocem ad omnes omninò gentes deferatur, ut sit ipsis in testimonium: potest id fieri scriptis doctorum Evangelicorum, quæ nunc per Dei gratiam instar Angeli illius Apocalyptici Apoc. 14. per medium cœli volant, & satis illustrem de CHRISTO famam spargunt etiam apud infideles, quorum multi hoc medio conversi suum de Christo testimonium sanguine obsignârunt; cæteri verò verbum vel lectum vel auditum in testimonium habent contra seipsos, quod dilectam veritatem recipere nolentes, hæreditate CHRISTI ex gentilitate colligendâ suapte culpâ exciderunt.

XXXIX. In hanc sententiam scribit Ambrosius in epist. ad Rom. cap. 10. super illa Psalmi verba: In omnem terram exivit sonus eorum: *Quod Psalmographus*, ait, *de creaturis dixit, hoc Apostolus de Evangelistis: quia ubique audita est & in omnem locum pervenit prædicatio nominis* CHRISTI. *Ubi enim prædicantis hominis præsentia defuit, sonus tamen & fama pervenit, sicut pervenerat opinio factarum virtutum in Ægypto ad omnes gentes,*

teste

ueste Rahab meretrice, &c. Et hæc de primo signo Scioppiani Antichristi.

XL. *Alterum signum*, inquit, *est excidium & eversio Romani nominis & imperii, cujus ne vestigium quidem ullum sit reliquum. Exploratum enim certissimumq; esse, quidquid unquam Romani imperii ac ditionis fuerit, à decem Regibus occupatum & divisum iri, qui hostilibus animis etiam memoriam Romani nominis perimere & exstirpare conentur: idq; sic volente & dirigente DEO, qui eosdem postea Antichristi imperio subjici patietur, ut ita non à suis, sed alienis viribus, à Romano scilicet imperio per decem Reges ad se translato Antichristi fortitudo roboretur.* Pag. 45. De excidio imperii Turci & Romani.

XLI. Hæc est jucunda Bellarmini Φαντασία lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 5. cui suum quoq; addit Πεδάλιον μέρος Apostata noster, *probabilem & tantum non certam esse opinionem, Turcicum imperium ante tempora Antichristi penitus exstinctum, terramq; sanctam rursus à Christianis occupatum & securè habitatum iri.*

XLII. Utrumq; horum est falsissimum, cujus contrarium ex scripturis ad oculum demonstrari potest. Nam prius quod attinet, testatur Daniel cap. 2. 35. quartam Monarchiam, hoc est, imperium Romanum, dura-

duraturum, donec lapis ille de monte sine manibus avulsus percutiat statuam in pedibus ejus ferreis, & fictilibus, & comminuat eos: quibus verbis quartæ monarchiæ verus describitur interitus, & donec idem ille lapis excrescat in montem, totumq; orbem terrarum expleat, & regnum incoëtæternum: quod non nisi perpetuæ durationis est descriptio, donec nimirum alterum illud æternitatis seculum post finem mundi incoëtur. Bellarminus quoq; fatetur, successionem quatuor regnorum fore usq; ad finem mundi lib. 3. de Rom. Pontif. cap. 5.

XLIII. Posterius adfirmatum Apostata ipse *probabilem* tantum *opinionem* nominat, nos omninò falsam appellamus. Nam Turcam ante tempora Antichristi, sive veri, sive Utopici istius quem Pontificii fingunt, penitus extinguendum esse, ostendat prius, quam hanc opinionem ut *tantum non certam* Ecclesiæ CHRISTI obtrudat.

XLIV. Nam Turcicum imperium eo tempore demum cepisse, quo verus ille, ex sententia Gregorii Magni Antichristus, hoc est, Oecumenicus Episcopus innotuit, ex historiis constat. Tunc temporis enim cum Mahumetes magnam futuri imperii

Turcici

Turcici potentiam ex vili principio deduceret in oriente; interim in occidente, procurante Phoca Cæsaricida, Bonifacius III. Pontifex universalis Episcopi titulum sibi arrogavit, quem qui ambiret, Antichristi præcursorem vocavit Gregorius epist.30. lib.6. unde sequitur, qui eum non tantum ambit, sed usurpat, Antichristum esse.

XLV. Simili futilitate nititur illud de Terrâ sanctâ recuperandâ, & Hierosolymâ restaurandâ. Hoc enim impossibile fore, expresè prædixit Propheta Daniel cap.9. v.27. ubi, interprete Christo Matth. c.24. 15. de ultimâ desolatione templi loquitur, eamq; ad finem perseveraturam prædixit. Et adhuc clarius de secunda templi devastatione vaticinatur Dominus apud Jeremiam cap.19. 11. *Sic conteram populum istum & civitatem istam, sicut conteritur vas figuli, QUOD NON POTEST ULTRA INSTAURARI.* & Hagg.2. templum secundum vocatur domus novissima. Omnium autem clarissimè, Esa.25. 2. *Posuisti civitatem in tumulum, urbem fortem in ruinam, domum alienorum; ut non sit civitas, ET IN SEMPITERNUM NON ÆDIFICABITUR.* Unde illud Hieronymi in Jeremiam

miam lib. 4. cap. 19. *Civitas Hierusalem in æternos cineres collapsa est.*

XLVI. Veritatem horum vaticiniorum luculenter comprobavit eventus, quando Judæi tempore Hadriani & Constantini Magni Impp. inprimis autem Juliani Apostatæ opibus adjuti templum & urbem restaurare tentaverunt, sed partim armis Romanorum, partim etiam ardentibus flammarum globis repressi ab instituto destiterunt, qua de re videatur Socrates lib. 3. hist. Eccles. 17. Euseb. lib. 4. hist. cap. 6. Sozom. lib. 5. cap. 22. & Chrysost. homil. 2. cont. Jud. deinde, quando Christiani principes, duce Godefrido Bilionæo Principe Lotharingiæ, instigante Hellebrando Pontifice Romano, qui se Gregorium VII. vocabat, & aliis Papis, magnum exercitum in Palæstinam deduxerunt sub prærextu de sepulcro Domini è tyrannide Turcica vindicando, sed quam omninò in fraudem vaticiniorum divinorum, horribilis virorum tam præstantium clades contestata fuit.

XLVII. Ex his igitur omnibus futilitatem utriusque figmenti Scioppiani retectam esse judico: prius tamen illud de eversione Rom. Imperii ex scripturis deducere audeo. Et 1. quidem ex Dan. 2. 40. ubi

Roma-

Romanum Imperium comparatur tibiis, quibus digiti sint decem, partim ferrei, partim fictiles, hoc est, decem reges, alii aliis potentiores. Ad quod testimonium addit Apostata: *Sicut, ubi pedum digiti incipiunt, ibi nihil amplius de cruribus seu pedibus reliquum est; ita cum decem illi Reges erunt, jam Romanum imperium penitus deletum fuerit.* Hæc ille.

Quòd decem sint digiti, de eo nihil habet Daniel.

XLIIX. Quæ glossa si vera est, vaticinium hoc jam pridem suam veritatem consecutum est. Nam Gothi fuerunt illi decem reges, conjurati in urbem Romam, quam & aliquoties ceperunt, & Totilas, unus ex ipsis, tandem eam incendit, & ἐξώμῃ ξύμπαν fecit, ex Roma ruinam & vicum, circa annum Christi 550. à quo tempore Romanum Imperium pristinam suam dignitatem recuperare non potuit, donec Leo III. Pontifex Rom. circa annum Christi 797. *Imperii tandem Roma applaudente coronam imposuit Carolo tantiq; insignia regni*, ut Mantuanus de hoc facto cecinit: idq; factum est juxta vaticinium Apocal. 13. 15. ubi de Antichristo scriptum est, datum ei esse, ut daret spiritum imagini bestiæ, h. e. ut reviviscere faceret Imperatores Ethnicos: quod sanè accidit, quando Papa Imperium ex Oriente transtulit ad Carolum Magnũ Fran-

Francorum regem, in quo nonnihil illud respirare cepit.

XLIX. Et hoc istius vaticinii complementum agnoscit etiam Pererius Elavita lib. 2. in Dan. p. 123. ubi ex Hieronymo annotavit: *Imperium Romanum fuisse ferreum, fere usq; ad irruptionem Gothorum & aliarum gentium barbararum in Romanam ditionem, posthac autem factum esse terreum, quippe tum majorem in modum Romani Imperii majestas deformari, diminui amplitudo, potentia debilitari cepta est.*

Ibid. L. *At*, inquis, *habemus etiamnum* (Deo gratia) *Romanum Imperatorem tam re, quam nomine, eumq; tanta dignatione & autoritate, ut ne potentissimus quidem Hispaniorum & Indiorum Monarcha eum ut superiorem* (quomodo autem, nisi quia *Romanus Imperator*? nam *Regi Germaniæ quid est, cur tantus Rex cedat*?) *colere dubitet: ipsi etiam Lutherani Principes, sacri Romani Imperii Electores & Principes se appellari gaudeant.*

LI. Sed esto, habeat Romanus Imperator apud Regem Hispaniorum & Principes Germaniæ summam dignitatem, quam etiam ut diu habeat, precamur: quod si tamen rem recta lance appendamus, non nisi titulari quadam potestate eam habet, per-

permittente Papa; atq; sic profectò nudo nomine magis, quam re *Romanus* Imperator est. *Romani majestas populi*, inquit Aventinus lib.7. annal. *qua olim orbis regebatur, sublata est de terris.*

LII. Nam urbem imperii Romam non Imperator, cui ea jure debetur, sed Pontifex Romanus habet, clamante Adriano Pontifice apud Aventinum lib.4. annal. *Urbs Romana nostra est, non Imperatoris.* Sublatâ igitur Româ ab Imperio, Romanum sanè imperium non nisi nomine est.

LIII. Imperatorem olim colebant ut hominem à Deo secundum, solo Deo minorem, dicente Tertulliano in Apolog. cap.30. jam iste honor cessit Papæ, cui & ipse Imperator imperii sui dignitatem aditurus supplex fieri cogitur.

LIV. Imperatores olim concilia convocabant, & supplices habebant ipsos Pontifices; ut ex procœmio lib.5. Socratis & epistola 9. Leonis constat: hodie inversa rerum facies est, & omnis hæc sive potestas sive dignitas ab Imperatore ad Pontificem translata. Cumq; olim sub potestate urbis orbis imperium remansisset, teste Orosio lib.1. hist. cap.1. hodie vix tenuis quædam umbra magni corporis, Imperii ni-

mirum Romani, restat, dicente Sleidano in lib. de quatuor Monarch.

LV. Summa, habemus hodie non merè Romanum, sed Romanogermanicum imperium, cujus porentia proh dolor, nimium quantum imminuta, & imperium vere Romanum commutatum est de temporali in spirituale, ut scripsit olim Thomas in 2. Thessal. 2. hoc est, ab Imperatoribus Romanis ad Pontifices devolutum.

LVI. Gaudent igitur Principes Germanici appellari Electores ac Principes Romani Imperii, quia nullam aliam subsecuturam Monarchiam ex Daniele sciunt; idcirco hac exigua veluti umbrâ veteris Imperii contenti sunt.

De loco Pauli, 2. Thess. 2.

LVII. Sed progrediamur in probationibus Apostatæ. Secundo igitur loco affert locum illum classicum de Antichristo ex 2. Thess. 2. ubi dicitur, diem Domini non venturum, donec veniat discessio, hoc est; interpretante Adversario, *universalis defectio ab Imperio Romano*: & donec reveletur homo peccati, qui in templo Domini sedebit, hoc est, secundum glossam Scioppii, *in templo Hierosolymitano; in novo enim Testamento Templi vocem nunquam aliter usurpari*: quippe jam mysterium operetur iniquita-

Pag. 54.

tis,

tis, nimirum, si credimus glossemati Scioppiano, *in typo, Nerone, Simone Mago, aliisque hæreticis, qui sunt typici Antichristi.* Et addit Apostolus; tantum, qui nunc tenet.., teneat: glossam addit Apostata: *nempe status Romani Imperii, qui nunc rerum potitur*; donec de medio fiat, inquit Apostolus: id est, inquit Apostata, *donec Imperium Romanum prorsus tollatur & extinguatur.*

LIIX. In his scholiis Apostatæ quatuor inprimis depravationes loci Apostolici deprehendimus, animadversione dignas. 1. quod illam discessionem de generali defectione ab imperio Romano intelligit. Nam vocem ἀποστασίας in N. T. de defectione à mundano Imperio usurpatam vix monstraverit: intelligit igitur Apostolus ἀποστασίαν de recessu à fide Catholica interprete Lyra super hunc locum, & Adrichomio in Chron. fol. 285. quemadmodum simili ferè modo in 1. Timot. 4. multi dicuntur, discessuri à fide: unde non inepte colligunt aliqui, Antichristum ipsum hîc abstractâ voce nominari Apostasiam (quo pacto Bellarminus quoq; accipit vocem ἀποστασίας lib. 3. de R. P. cap. 2.) non Apostatam, propter excellentem illam defectionem, quam sub regno Antichristi futuram prædixit Apostolus.

LIX. 2. Quod templum Dei interpretatur de templo Hierosolymitano, & vocem hanc in N. T. nusquam aliter usurpari audacter adfirmat. Falsissimum est utrumque. Nam si ex hypothesi Pontificiorum venturus est Antichristus annis demum tribus & dimidio ante CHRISTI adventum ad judicium, utiq; in templo Hierosolymitano sedere non poterit, id enim jampridem destructum & in sempiternum non restaurandum esse, constat ex vaticiniis supra allegatis. Et scribit hæc Apostolus Thessalonicensibus, quos sanè non ex Græcia in Judæam ablegat, sed ad Ecclesiam, quam domum Dei viventis appellat, 1. Tim. 3. 15.

LX. Falsissimum autem est & ferulâ dignum, quod scribit iste Theologorum Aristarchus, in N. T. Templi vocem NUNQUAM ALITER usurpari, quam de templo Hierosolymitano. Itane verò homines etiam Christiani templum quoddam erunt Hierosolymitanum? nam illos Apostolus Paulus aliquoties templum DEI vocavit 1. Cor. 3. 16. 17: 6. 19. 2. Cor. 6. 16. Et annon Ecclesia expresse templum Dei nominatur, Apoc. 3. 12. *qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei:* num fortasse

tasse martyres columnæ erunt templi Hierosolymitani? & annon cœlestis nostra patria sedes beatorum, templum Dei appellatur Apoc.7.15. imò Deus ipse templum vocatur cœlestis Hierosolymæ, Apoc.21. 22. Viderit igitur Apostata, quo detruserit ipsum tam temeraria audacia, quasi templi vox in N. T. nunquam aliter usurpetur, semper significet templum Hierosolymitanum.

LXI. Sed condonandum hoc est rudi discipulo, qui hæc ex Bellarmino didicit, & nimis facilè credidit. Abeat igitur uterque, & sepeliat glossam suam in scrinio Papæ: nos in dicto Apostolico per templum Dei in quo sessurus est Antichristus, Ecclesiam intelligimus; in cujus medio dominatur ille, ut Deus quidem terrenus, in omnes creaturas sibi potestatem vendicans, ut alibi demonstratum fuit. *Bellarmin. lib.3. de Roman. Pontif. cap.12.*

LXII. Et ita nos sentire docuit Theodoretus in 2. ad Thessal.2. *Dei templum*, ait, *Apostolus appellavit Ecclesias, in quibus primam sedem arripiet Antichristus.* Et Oecumenius in eundem locum: *Non dicit templum, quod erat Hierosolymis, sed Ecclesias Dei.* Videat etiam Apostata, quid hac de re scripserint nonnulli doctores Pontificii, Thomas in

eundem locum, & Johannes Ferus in cap. 24. Matth.

LXIII. 3. Tertia gloſſa Apoſtatæ eſt, quod Antichriſtum Apoſtoli Pauli tempore *in typo* myſterium iniquitatis operatum eſſe ſcribit, id quod etiam ex Bellarmino mutuatus eſt, qui Antichriſtum non in propriâ perſonâ, ſed in præcurſoribus notari ſcribit. Sed eſt manifeſta textus Apoſtolici falſatio. Nam 1. loquitur Apoſtolus de Antichriſto *revelando*: ergò jam tum in propriâ perſonâ eum adfuiſſe, certum eſt, alioquin revelari non potuiſſet; niſi Antichriſtum in typo ſeu præcurſoribus ſuis revelandum eſſe fingas. 2. Adſcribit etiam Antichriſto ἐνέργεια. ἐνέργεια autem ſine perſona proprie ἐνεργουμένη, eaqui nondum in rerum naturâ exiſtente, ne quidem cogitari poteſt. 3. Præterea non de myſtico vel typico Antichriſto, qui omnibus jam notus erat, ſed de vero Antichriſto, adhuc revelando & omnibus notificando vaticinatur Apoſtolus. 4. Et denique epiſtolam illam ſuam ad Theſſalonicenſes ante tempora Neronis ſcriptam eſſe colligitur ex Præfatione Theodoreti in Epiſtolas Pauli: quomodo igitur ſub Neronis typo Antichriſtum potuit deſcribere? Ergo & hæc ſtropha textus Paulini frivola & inanis eſt.

LXIV.

LXIV. 4. Pergit Apostata obscurare, si potest, illustrem illam lucem dicti Apostolici, quando nimirum illud *(donec e medio fiat)* de plenariâ Imperii Romani abolitione vult intellectum; sed contra expressum vaticinium Danielis cap. 2. 35. de quo supra. Potentiam quidem majestatem ac terrorem Romani Imperii graviter imminui & tantum non everti oportuit, ut Antichristus viam inveniret, qua perficiat liberè & impunè pro sua cupiditate, quæcunq; velit: Sed Imperium & dominatio ipsa non omninò erat auferenda: nam præter quartam Monarchiam Romanorum, nullam aliam subsecuturam credere nos jubent divina oracula.

LXV. Hoc enim erat quod detinebat manifestam tyrannidem Antichristi adhuc in occulto latentis, terror nimirum Romani Imperii, ejus potentia & magnitudo ejusdem, ea è medio tollenda erat, manentibus utcunq; ruderibus quibusdam alicujus imperii, cujus tamen nullus terror est apud Antichristum. Nam donec imperii illius timor fuerit; nemo Antichristo statim subdetur: eo verò sublato paulatim è latebris prodiit ejus dominatio; id quod factum est; quando Bonifacius III. Pontifex Phocam

Cæsaricidam in imperio, quod per scelus adeptus erat, confirmavit, translatâ sede Imperii ex oriente in occidentem.

LXVI. Hoc nomine in apricum prodiit Antichristus, circa annum Christi 606. cum antea in occulto operaretur omnem iniquitatem: siquidem jam Apostoli Pauli temporibus erant, qui plerorumq; dogmatum Papisticorum fundamenta jacebant in Ecclesia, quod Pseudoapostolos in Articulo de Justificatione hominis coram Deo, & alios in articulis de jejunio, conjugio & similibus feciſſe constat ex Gal. 2. & 3. Phil. 3. Col. 2. 1. Cor. 7. 1. Timoth. 4. &c. Sed hac de re plura dicere non est hujus instituti: pergo ad tertium Apostatæ locum.

De cap. 17. Apoc.

LXVII. Is verò extat Apoc. 17. à vers. 3. usq; ad finem capitis, quem locum pro lubitu suo exponit, & interpretationem hujus vaticinii non à posteriori, sed ex præconceptâ suâ de Utopico Antichristo opinione petit, in qua tamen sibiipsi non constat. Adversarium igitur primum audiemus, deinde loci hujus illustrissimi sententiam ex ipso rerum prædictarum præclarissimo eventu petitam subjiciemus.

LXIIX. Scioppianam igitur interpretationem quod attinet, ea sic habet:

Bestiam

Bestiam coccineam plenam nominibus blasphemiæ, interpretatur Regnum Antichristi mysticum, seu Imperium Romanum ab Ethnicis administratum: Mulierem insidentem bestiæ, itidem Romanum imperium sub Imperatoribus Ethnicis: mysterium fronti mulieris inscriptum, similiter mysticum Antichristi regnum: Atq; sic nihil nisi mysticum Antichristum somniare potest in locis illis Novi Testamenti illustrissimis, quæ verum illum Antichristum in templo Dei jam sedentem, quasi oculis intuendum exhibent, nullius pensi habens, quod seipsum in interpretatione sua turpiter confundat. *Pag. 61.*

LXIX. Nam quomodo tria illa diversissima: *Bestia*; *Mulier insidens bestiæ*; *& mysterium fronti mulieris inscriptum*, de uno & eodem Antichristo mystico, seu imperio ab Ethnicis administrato, accipi possint, judicet, qui quidquam judicare potest. Deinde dubium probat per æquè dubium, quando hoc loco repetit, Imperatores Ethnicos mysterium illud iniquitatis operatos fuisse, de quo Apostolus Paulus 2. Thess. 2. hoc enim supra sufficienter refutatum fuit. Præterea valde iniquum est, Romanorum imperium vocare meretricē; omnis enim

potestas à Deo est, dicente Christo Joh. 19. 11. & Paulo Rom. 13. 2. neq; legitur in scriptura tyrannidem magistratus politici meretriciis operibus conferri: imò sic nulla fere similitudo est inter meretricem & Imperium Romanum: quin & viderit Apostata; quo honore adhuc iat tam præclaram Monarchiam.

LXX. Proinde cum hoc totum vaticinium Johannis per crassam petitionem principii ad Imperium Romanum transferat, mirum non est, quod ea, quæ de bestia, septem ejus capitibus, decem cornibus, horundemq; pugnâ contra meretricem adfert, cum eventu non congruunt. Ea enim omnia non à posteriori seu eventu, juxta naturam vaticiniorum; sed à priori, hoc est, ex præconceptâ Scioppiani cerebelli opinione petuntur.

LXXI. Sanè, quæ de decem scribit Regibus, in quos desinat Romanum imperium, quibusq; supervenial alius, undecimus, Antichristus, à Lactantio & Hieronymo fortasse mutuatus est, sed horum patrum hoc in genere leves fuisse conjecturas, jampridem notavit Ludovicus Vives V. C. L. in lib. 20. de civ. Dei August. cap. 19. quin & Augustinus ipse hanc opinionem rejecit cap. 23. ejusdem libri his verbis: Pag. 55. & 59.

Veresi-

Vereri me sanè fatcor, ne in decem regibus; quos tanquam decem homines videtur inventurus Antichristus, fortè fallamur, atq; ita ille inopinatus adveniat, non existentibus tot regibus in orbe Romano. &c

LXXII. Vana igitur & inania prorsus sunt μορμολύκεια, illa ænigmata, quæ Lutheranis Apostata magnâ cum obtestatione & tantum non profanatione nominis divini propoluit, pag. 64. *Si ante adventum bestiæ seu Antichristi meretrix illa ex rerum numero exterminabitur & flammis conflagrabit: si reges illi unum cum bestia seu Antichristo consilium habebunt: si meretricis desolatio & conflagratio augendis Antichristi viribus servire debebit; qua tandem ratione meretrix illa Antichristi dilecta sponsa, sive sedes imperii Antichristiani esse possit, ut Lutherani contendunt?* vana, inquam, sunt hæc ænigmata omnia, quæ nullo negotio ex vera vaticinii illius interpretatione, eventu rerum, jam undiquaq; comprobatâ dissolventur. Ea verò jam sequitur.

LXXIII. Vidit ergo D. Johannes 1. *Bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ, habentem capita septem & cornua decem.* Bestia hæc nihil aliud est, quam Papatus, de quo eventus testatur, quod imperet ipsis Imperatoribus purpura utentibus, quod

quod splendeat ipse purpuratis Patribus & gaudeat alioquin colore coccineo, hoc est, vestibus & ornamentis rubris ac purpureis, quibus & Pontifex cum suis & Missa pontificia ornari consuevit.

LXXIV. Capita septem sunt septem Occidentis regna, in quæ Papatus diffusus est: Italia, Hispania, Gallia, Britannia, Germania, Polonia & Hungaria: & sunt ea residua, de decem illis capitibus quartæ Monarchiæ, de quibus Daniel cap. 7. quorum tria, Græciam, Asiam & Aphricam parvulum cornu seu Antichristus Orientalis ad se rapuit, reliquis septem relictis Antichristo Occidentali. Habet etiam Papatus decem specialia cornua, hoc est, decem specialia regna, quinq; capitibus seu regnis generalioribus Germaniæ, Britanniæ, Galliæ, Poloniæ & Hungariæ adhærentia: ea enim usiatè in decem regna seu provincias resolvuntur, in Alemanniam seu Germaniam nostram, in Bohemiam, Ungariam, Poloniam, Suediam, Daniam, Norvegiam, Scotiam, Angliam & Franciam; quæ & a Papatu defeciſſe, & meretricem odio prosecuta fuisse infra dicuntur.

LXXV. 2. Vidit D. Johannes meretricem insidentem bestiæ, circundatam purpura

pura & coccino, inauratam auro & lapide precioso & margaritis, habentem poculum aureum in manu suâ, plenum abominatione & immunditia fornicationis ejus: & in fronte ejus scriptum, Mysterium, Babylon magna, mater fornicationum & abominationum terræ: fuitq; ebria sanguine sanctorum & martyrum. Hoc nihil aliud est, quam descriptio Papæ, qui Monarcha est Ecclesiæ Cacolycæ, hoc est, Papisticæ, ac proinde rectè dicitur insidere bestiæ, Papatui. Vocatur meretrix propter idololatriam in Papatu usitatam, ubi sanctis, imò statuis ac imaginibus tribuitur cultus soli Deo debitus, ogllis etiam Monachorum atq; monialium, quæ soli debentur merito Christi: idololatriam autem fornicationem spiritualem vocari in scriptura est usitatissimum. Exod.34.15. Judic.2.15. Esa.1. 21.17.3. Ierem.3.1. Ezech.5.9. Ose.1.2. &c. Ornari Pontificem purpura & auro, & plusquam regio splendore coruscare, nullâ prorsus probatione indiget: habet poculum aureum in manu sua, quod est poculum missaticum, lapide pretioso, auro & gemmis exornatum, sed plenum abominatione, qua & semetipsum inficit, & alios polluit. Unde titulum hunc Pontifex ve-

luti

luti in fronte inscriptum circumgestat, quod sit *Babylon illa magna*, ob crudelitatē, quam exercet erga omnes, qui nō adorant abominationes suas: *mater fornicationum*, quia PAPÆ doctrina verè Ierna est omnis idolomaniæ, superstitionis & impietatis, de qua multi in ipso gremio PAPATUS gravissimas querimonias publicè sparserunt: sed hæc omnia ad tempus in occulto habuit, propterea *mysterium* vocatur, ut qui speciem pietatis habeat, veritatem autem ejus abneget. Ebrius quoq; est Papa Romanus sanguine sanctorum ac martyrum, quod tot lanienæ in diversis orbis partibus à sanguisuga Romano factæ, & ex his uberrimus ille Catalogus Testium veritatis Christianæ seu Feritatis Papisticæ luculenter testatur.

2. Tim. 3.

LXXVI. 3. Dicit Angelus *de bestia*, quam viderat D. Johannes: *Bestia quam vidisti, fuit, & non est, ascensura de abysso, item; ipsa octava est, & de septem est; & in interitum ibit, & mirabuntur inhabitantes terram, quorum nomina non sunt scripta in libro vitæ à constitutione mundi.* Etiam hoc ad Papatum exactissimè congruit. Is enim *fuit*, ratione gladii politici, qui sanè ante tempora Johannis Apostoli in imperio Romano fuit potentis-

tentissimus: & *non est*, partim ratione gladii spiritualis, quem eo adhuc tempore nemo sibi sumsit in Ecclesia; partim ratione gladii politici, qui à Gothis, Vandalis, Longobardis, Burgundjonibus, Hunnis, aliisque populis nimium debilitabatur, ac si non esset: tandem autem *ex abysso iterum adscendit*, vires suas colligens partim fraude, partim vi, adjuvantibus nonnullis Imperatoribus; *octava est*, & *de septem est*, quia nimirum septem illorum regnorum, in quæ se diffundit, quasi una communis anima est: quibus externum regnorum titulum & majestatem imperii politicam permittit; atq; sic de septem illis est: atramẽ interim per suos Cardinales, Metropolitanos, Episcopos, Monachos obedientiâ eos sibi astringens, suam in illis hierarchiam possidet, & sic octava est, & quasi distincta ab illis. Sed tandem *in interitum ibit*, quando interficiet eum Filius DEI spiritu oris & illustratione adventus sui, 2. Thess. 2. Et hanc ejus potentiam etiamnum admirantur multi, qui splendore atq; magnificentia Papatus dementati ad gremium Ecclesiæ redire nolunt: sed hac ipsâ præposterâ admiratione arguunt, se in electorum numerum nunquam fuisse receptos.

LXXVII. 4. Porrò *Septem capita*, inquit Angelus in interpretatione, *septem montes sunt, super quos mulier sedet, & reges septem sunt, &c.* Notanter ostenditur hîc sedes Antichristi, Roma nimirum, sepricollis, cujus montes hi sunt; Palatinus, Capitolinus, Aventinus, Exquilinus, Cælius, Viminalis, & Quirinalis; idq; ne quidem Apostata per omnia negare potest, nisi quod sub nomine Romæ imperium Romanorum hîc describi putat. Ejus igitur septem illi reges & regna sunt, quorum jam ante facta est mentio quibus insidet meretrix, id est, quibus dominatus est Papa. *Quinq; ceciderunt*, inquit angelus, nimirum Germania, Gallia, Britannia, Polonia, Ungaria, in quibus provinciis reperiuntur Ecclesiæ superstitionibus Papisticis nonnihil purgatæ: *unus* est, nimirum Italia, in qua cumprimis dominatur ista meretrix: *& alius nondum venit*, Hispania nimirum, & ea quidem ejus regni pars, quæ Granata appellatur. Hæc enim à Mauris sive Saracenis 779. annis occupata bello, anno demum Christi 1492. recipitur, & pulsis Saracenis & templis Christianæ religioni destinatis, & titulo Catholicæ Ecclesiæ à Papa potitur. *Oportet autem ipsum*

Calvis. in Chronic. pag. 930.

ipsum manere, ait Angelus; nam Papæ Romano dentem citius eripies, quàm Hispaniam ex Ecclesiâ Catholicâ: sed breve tempus manebit: citò enim conteret Deus Satanam sub pedes suos, & illustri suo adventu ad judicium meretricem unà cum amasiis suis in locum ardentem igne ac sulphure præcipitabit.

LXXIIX. 5. De decem Regibus seu regnis seorsim refert angelus, *quod unà cum bestiâ potestatem accipiant unâ horâ, quodq; potestatem suam bestiæ tradiderint*: Semper enim fuerunt in decem illis Europæis regnis, qui cathedram pestilentiæ fulcire & omnibus viribus sedem atq; majestatem Pontificis Romani stabilire conati sunt: sed acceperunt hanc potestatem *unâ horâ*, hoc est, brevissimo tempore. Nam quia contra Agnum, hoc est, Filium Dei in pugnam descenderunt, ab Agno quoq; victi sunt, non externâ vi & armis, sed verbo & virtute Spiritus S. qui gladius oris Christi appellatur 2. Thess. 2. Unde factum, ut hæc decem regna odio prosequantur meretricem, desolatam & nudam illam faciant, id est, potentiâ suâ exuant, viribusq; spolient, instigante Domino, qui terminum certum furori Pontificio constituit.

LXXIX. Hæc est genuina atq; orthodoxa interpretatio præclari istius vaticinii Apocalyptici de Antichristo, in quo Apostata toto cœlo aberravit, ut ferè non dubitarim eandem ipsius hic repetere obtestationem: Nunc omnes Pontificii, in quibus vel gutta ingenui sanguinis & fidei Christianæ inest, per adventum Domini nostri Jesu Christi, & tremendum ejus judicium obtestor, ut animo suo sedulò perpendant, an non hæc omnia in Papatu ad unguem ita evenerint, & quotidiè eveniant: & an non spiritu vertiginis agitentur aut occæcati sint, qui in hoc meridie hunc veritatis solem non agnoscunt?

Verba sua Apostatæ remitto.

LXXX. Unde quilibet intelligit, quæstiones illas Scioppianas, quas pag. 64 proponit, plerasq; vel ex præconcepta, & cum eventu nunquam correspondente opinione oriri, ideoq; haut immeritò à nobis negligi debere: vel saltem ex iis, quæ jam ex eventu ipso, vaticiniorum optimo interprete, desumta sunt, facilè expediri posse.

LXXXI. Nam 1. per decem illos reges, sive regna, quid intelligendum sit, jam audivimus: eos verò ante Antichristum fore, Scioppianum figmentum est, in Johannis vaticinio μηδὲ γὲν hujus invenitur.

2. de-

2. decem illa regna breviſſimo tempore duratura libenter credimus; & jam modò oſtendimus. 3. ut &, quod & quomodo immani odio proſecutura ſint beſtiam ſeu Papatum. 4. & deniq; quo pacto potentiam ſuam beſtiæ ſint redditura.

LXXXII. Unum tamen obſtat in hoc loco, quod Scioppius per Babylonem Romam quidem intelligendum eſſe concedit, ſed non urbem Romam, verum Imperium Romanum: idq; quatuor de cauſſis. 1. quia Roma tempore Iohannis non ſedit ſuper aquas multas, ſeu ad multas, gentes & linguas non pertingebat, quippe in Latio ſita. 2. quia hodie non ſeptem, ſed undecim montes habet. 3. neq; regnum habet ſuper reges terræ, ſive de jure ſive de facto loquaris. 4. neq; deniq; ejus deſolatione vires Antichriſti augeri poterunt, imò ſi Papa ſit Antichriſtus, hoc vires ejus potius imminuet. Hæc Apoſtata: ad quæ ſingula reſpondeo:

LXXXIII. 1. Primum contra manifeſtam fidem eſt hiſtoriæ, ne quid dicam durius. An non enim tempore D. Iohannis Romana civitas orbis imperium habuit? annon ipſe ſcribit, *illo tempore imperium orbi Romæ adfixum fuiſſe* pag. 62? annon inter

duo maria Tyrrhenum & Adriaticum strata erat? Unde Tertullianus contra Judæos & lib. 3. cont. Marcion: *Babylon*, inquit, *apud Johannem nostrum Romanæ URBIS* (non imperii) *figuram portat perinde & magnæ & regno superbæ, & sanctorum debellatricis.* Et Hieronymus, citante Ludovico Vive, Scriptore Pontificio, in lib. 18. de civ. Dei Augustini cap. 22. non aliam existimat describi à Johanne in Apocalypsi Babylonem, quam URBEM Romam: quin & ipse Bellarminus lib. 3. de R. P. c. 5. & 13. non diffitetur, per meretricem illam Babylonem urbem Romam intelligi, sed non nisi Romam Ethnicam: quid ergo tergiversatur Præceptori discipulus?

LXXXIV. 2. Sed ais, secundo loco, Roma HODIE non septem, sed undecim montes habet. Ain' verò? sed quid si etiam plures hodie habeat turres & arces? num propterea falsum erit, quod de ea olim cecinit Virgil. lib. 2. Georg.

Scilicet & rerum facta est pulcerrima Roma,
Septemq; una sibi muro circumdedit arces?

Fortè nec Lateranum nec Vaticanum fuit tempore D. Johannis, sed quid hoc ad rhombum Critice? num propterea non fuit septicollis civitas? Habeas igitur hoc ad secundum.

LXXXV.

LXXXV. 3. Ad tertium dico, quod de jure non habeat Roma regnum super reges terræ libenter concesserim: sed quid de facto ausit, historiæ testantur, & quam nihil etiamnum; ullus rex Romanæ meretrici addictus attentare audeat absque ejus nutu, exempla sunt in promtu, ut mirum sit os impudens hoc negare posse: observetur tamen probè, quod fatetur Apostata, Romam modernam *nullum prorsus regnum habere super reges terræ de jure*, quo quidem effato quam gratiam initurus sit apud Pontificem suum, ipse viderit.

LXXXVI. 4 Quarta instantia, quæ ipsi omnium fortissima videtur, nullius hili est, si sensum vaticinii attendimus. Nam de Antichristianæ potentiæ incremento ex desolatione regni ejus oriundo nihil habet vaticinium D. Johannis: sed si textum consideremus, apparebit, reges illos potestatem suam bestiæ prius esse tradituros, quam ipsam odio prosequantur, idq; sic jubente & volente Domino, qui peccata peccatis punire solet, hoc est, adjuvabunt Papatum viribus suis, idq; tamdiu, *donec consummentur verba Dei*, quibus nimirum recepit, se ingratum orbem ob non receptam dilectam veritatem, casti-

gaturum. Sed his verbis consummatis, & impletâ voluntate DEI, illi ipsi reges, pertæsi tyrannidis Antichristianæ, omnem suam vim & potentiam contra bestiam conferent, instigante Domino, eamq; everterе & exterminare studebunt.

LXXXVII. Hujus rei illustre specimen edidit superioribus annis Carolus Borbonniorum Princeps, qui expugnatâ Urbe, Pontificem Clementem VII. in vincula conjecit, anno 1527. Imò jam ante aliquot secula pii principes hoc jugum Antichristi excutere, & Tyrannidi Papisticæ summis viribus reluctari ceperunt, quemadmodum Otto Imperator jus eligendi Pontificem ad Imperatorem revocavit, & Iohannem XII. deposuit; Henricus III. Imperator, cum tres Papæ de Papatu tanquam vultures de prædâ digladiarentur, armatâ manu in Italiam profectus omnes abdicavit & alium creavit: & inprimis Fridericus Barbarossa, fortissimus Princeps, anno Christi 1166. Romam expugnavit.

LXXXVIIX. Sic igitur ab hoc etiam præsidio dejectus est Apostata, quod in plenaria Imperii Romani eversione ante adventum Antichristi quæsivit; adeoq; nihil amplius restat, quam ut ex hoc D. Iohannis vati-

vaticinio firmiter concludamus, illum ipsum, quem in septicolli civitate, hoc est, Romæ sedere, & scortatione doctrinæ suæ Reges terræ seducere videmus, id est, Pontificem Romanum, Antichristum illum magnum esse, quod ipsa rei evidentia, si cum vaticinio conferatur, ad oculum demonstrat.

CAPUT II.

De Ortu & Progressu Antichristi Papistici.

I.

QUæ in hoc capite de fictitio Iudæorum Christo, Neardæ, civitate Babyloniæ nascituro fabulatur Apostata, non moramur: ipse alias nobis proponit fabulas Iudaicis illis non absimiles, certè non minus ridiculas. *Pag. 64.*

II. De ortu enim Antichristi Papistici hæc secreta prodit. *Antichristum nasciturum ex tribu Dan, & tamen à Judæis per errorem pro Messia (si credere fas est) habitum iri.* 2. De progressu ejus ita nugatur. *Ubi adoleverit, fraudibus & dolis ac perfidiis plenum pectus gerens, magicis etiam artibus à Satana ad miraculum instructus, paulatim infima homi-*

num sordidissimorum colluvie ad se pellecta, mox confluentibus majoribus Judæorum copiis, prodigio deniq; aliquo ad Mosis exemplum Satanæ opera edito, liberatorem & Messiam se professus, concitatis omnibus, qui istic esse solent, Hebræis, Ægyptum invadet, eaq; occupatâ & rege ejus cæso, torrentis instar incredibili cum celeritate Æthiopiæ & Lybiæ regnis subactis, nuncis etiam auxiliorum ex oriente sibi venientium excitatus in Judæam properabit, eamq; omnium opinione celerius tenebit.

III. Hæc Apostata veluti somnium narrans, magno cum applausu synagogæ Romanæ de Antichristo suo recitat, quæ si seriò recitat, & ita futurum credit; næ tam absurdum, tam impossibile nihil erit, quod Pontifex ei persuadere non poterit, si ex solis Bibliis insuper confirmaverit, (quod promittit in titulo scripti) næ peculiarem habet dæmonem veluti Oedipum, qui quod in scripturis neq; Apostoli, neq; viri videtunt Apostolici, solus vel divinando animadvertere potuit. Sed & credit, & ex Bibliis utrumq; confirmare audet; operæ pretium igitur est, ut mira referenti diligenter auscultemus.

IV. Ortum Antichristi ex prosapia Dan probat ex vaticinio Jacobi Patriarchæ, Gen. 49.

Gen. 49. 17. *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemitâ mordens ungulas equi, ut cadat adſcenſor ejus retrò. Salutare tuum exſpectabo Domine.* Mirum ſi non ex hoc metallo aurum eliquare poſſit Apoſtata.

V. *Hunc locum* (inquit) *de Antichriſto non ſine graviſſimus cauſsu, neq; ſine Apoſtolicâ traditione* (hoccine verò eſt ex ſolis confirmare Bibliis? quæ autem Apoſtolus Paulus de Antichriſto Theſſalonicenſibus tradiderat, hæc ipſa quoq; ſcripſerat, ſicuti ait 2. Theſſal. 2. 5. cum adhuc eſſem apud vos, ταῦτα ἔλεγον ὑμῖν, hæc eadem dixi vobis) *antiquiſſimos & eruditiſſimos interpretes accepiſſe exiſtimandum eſt.*

VI. Ad hanc fabulam reſpondeo non meis, ſed Bellarmini verbis: *Hæc ſententia eſt valde probabilis, propter tantorum patrum autoritatem; non tamen omnino certa eſt, tum, quia pleriq; eorum Patrum non dicunt, hoc ſe ſcire, ſed probabile eſſe inſinuant; tum quia nulla earum ſcripturarum convincit. Nam inprimis Gen. 49. videtur Jacob ad literam loqui de Samſone, cum ait: Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, & mordeat ungulas equi, ut cadat adſcenſor ejus retrò. Samſon enim fuit de tribu Dan, & fuit verè Philiſtæis tanquam coluber in viâ. Nam ubiq; eis occurrebat, eosq; vexabat.* lib. 3. de R. P. cap. 12.

Ita exponit Hieronymus in quæst. Hebraicis. Et videtur sanè Jacob bene precari filio suo, cum hæc dicit, & proinde non malum, sed bonum prædicere. Quod si ad Antichristum allegorice id accommodetur, non poterit argumentum duci nisi probabile, quale ex mysticis sensibus ducitur. Hæc Bellarminus.

VII. Audin' Apostata, præceptorem tuum. 1. Patres eu antiquissimos illos, quos tu vocas, interpretes, dubias & probabiles tantùm protulisse conjecturas; ex iis autem certum aliquod dogma Ecclesiæ condere non licet: ipsos enim in hujusmodi vaticiniis ante, quam secutus fuit eventus, sæpè hallucinatos esse, certum est, & ipsi fatentur. 2. audis, nullam earum scripturarum convincere, quòd à te infertur: hoccine ergo est ex solis Bibliis Antichristi ortum confirmare? 3. audis, vaticinium Jacobi non nisi allegoricè & probabiliter de Antichristo agere (quam tamen probabilitatis rationem nondùm audivimus) ad literam autem Jacobum de Samsone loqui, & hanc interpretationem esse Hieronymi: quid ergò aliam interpretationem ex conjecturis incertissimis petimus? 4. audis denique, Jacobum non malum, sed bonum prædicere: quid malum ergò Antichristi,

christi, filii istius perditionis, ortum in hoc vaticinium intrudis?

IIX. Laudo candorem Bellarmini hoc in genere: versutiam Apostatæ, qui hunc candorem videre noluit, improbo: imò viderit iste, quomodo crassum istud mendacium defendere velit, *Ex Dan Antichristum nascturum, SEMPER in Ecclesia jam inde ab Apostolicis temporibus CREDITUM EST.*

IX. Opponimus huic mendacio Patres illos omnes, qui hoc non credere, sed ad tempus probabiliter opinari voluerunt: opponimus Hieronymum, qui opinioni isti prorsus contradixit: opponimus ipsum Bellarminum, qui hanc sententiam probabilem quidem, non autem certam esse, scribit. Sed antiquum obtinet Apostata, qui temeraria sua pronunciata veluti Gorgonem quendam objicit Lectori imprudenti, ignarus miser, hac audaciâ istam, (quam sibi habere videtur) & eruditionem & existimationem nimium prostitui.

X. Sed pergit iste: *Neq; mysterio videtur carere, quod Num. 2. 25. scriptum legitur: Ad Aquilonis partem castrametati sunt filii Dan*: quid verò hîc mysterii? *tanquam illum signaret*, inquit, *qui dicturus erat, ut est apud Esaiam 14. vers. 13. In cœlum conscendam, super*

super astra Dei exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, adscendam super altitudinem nubium, similis ero altissimo.

XI. Scilicet huic triduano Theologo committenda esset scripturarum interpretatio, qui quidvis ex quovis scripturæ textu probare potest, non secus ac si luderet tesseris aut Plautinis fabulis. Scio quidem Gregor. lib. 31. moral. c. 10. docuisse locum Num. 2. in figuram Antichristi scriptum esse, sed errore seculi præpeditum; & eventus adhuc subsecuturi ignarum, ita docuisse credimus: Apostatam verò nostrum in ista luce veritatis & tam illustri splendore eventus etiamnum cæcutire, id verò justi judicii divini judicium est, quo Deus confundere solet sapientes in sapientia suâ.

XII. Deinde vox ista apud Esaiam non est Antichristi, nisi fortè sub ratione typi; sed regis Babyloniæ, cujus inanis gloriatio illo versiculo exprobratur, & interitus toto capite prædicitur ac describitur. Quid verò castrametatio filiorum Dan versus Aquilonem, ad regem Babyloniæ, vel etiam ad Antichristi ortum? An non juxta tribum Dan erant etiam castra filiorum Aser? & an non in sortitione hæreditatum

inter-

in terrâ sanctâ domus Joseph, hoc est, tribus Manasse & Ephraim quoq; fuit Aquilonaris, Ios.18. 6. nunquid ex his quoq; tribubus oriundus Antichristus? sed quis non videat & rideat hasce nugas?

XIII. Accumulat tamen plura Scripturæ loca in hanc sententiam: *Daniel*, inquit, *cap.11. 40. regem Aquilonis vocat Antichristum. Ios.19. in partitione terræ sanctæ tribui Dan sors hæreditaria postremo loco exit: & in Apocal.7. in catalogo signatorum signo crucis nulla fit mentio tribus Dan, sed tribus Manasse in ejus locum reponitur.* Ex his omnibus cudere potest hanc conclusionem, *Ergo Antichristus oriundus est ex tribu Dan.*

XIV. Quid tibi videtur, Christiane Lector; annon hoc est ex solis Bibliis confirmare Antichristi ortum? Sed ad rem 1. Rex Aquilonis vocatur Antichristus, tum quia Rex Babyloniorum typus fuit, qui ex parte Aquilonari exercitum duxit in Judæam, ut scribit Lyra super c.4. Ierem. tum etiam, quia generale Scripturæ proverbium est; *Ab Aquilone omne malum venire*, Ierem.1. 14. 4. 6. quid autem hoc ad ortum Antichristi?

XV. 2. In descriptione hæreditatum, in terrâ sanctâ tribus Dan postremo loco

descri-

describitur, sed nunquid ob hanc transpositionem tribuum, tribus hæc est maledicta, aut Antichristo consecrata? annon Ezech. 48. 1. in simili sortitione tribus Dan cæteris omnibus anteponitur? Tribus Benjamin primam sortem accipiebat Jos. 18. 11. nihil tamen erat melior, sed cæteris etiam improbior, ita ut & stirpitus exscinderetur, Jud. 21. 3. Ephraimitæ in sortitione præponuntur cæteris, nihil tamen propterea deterioribus, imò nonnihil etiam melioribus, eò quod, cùm cæteræ tribus Chananæos ex præcepto Domini exterminarent, isti in medio sui eos habitare permitterent, non sine idololatriæ contagio, Jud. 1, 29. quo nomine graviter objurgantur, Iud. 2. 2. 3.

XVI. Cur igitur tribus Dan unâ cum loco etiam pietate cæteris fieret inferior, ut Antichristi parentes atq; majores non ex Benjamitarum tribu fornicaria, (quod fortasse magis congrueret Utopico Papistarum Antichristo, quem ex meretrice oriundum somniant) nec ex Ephraimitarum tribu Idololatricâ deducerentur, sed ex tribu Dan, quæ fortè una ex melioribus fuit; quæq; eo honore digna fuit, ut ei pars daretur in medio possessionis filiorum Iudæ, quemadmodum ex Ios. 19. docuit Christian. Adri-

Adrichomius in descript: terræ sanctæ f.20: b. ex qua Deus & Samsonem, heroëm fortissimum, populiq; sui Salvatorem; & Ooliabum, præstantissimum virum, in cujus corde posuit ipse sapientiam, ad opus Tabernaculi, excitavit Iud.13. Exod.31.6.

XVII. 3. In Apocal. c.7. tribus Dan omittitur, non quia ex ea Antichristus nasciturus dicitur, ut scribit Lyra, & ante ipsum Irenæus, à quibus scholion suum fortè accepit Apostata noster, nam & tribus Ephraim omittitur, & ejus loco Manasse ponitur vers.6. & si omnes illæ tribus omittendæ fuissent, ex quibus homo improbus vel natus vel nascirurus fuerat, omittenda etiam fuisset tribus Benjamin, è qua primus Hebræorum rex Saul, homo nequam, & αὐτόχειρ prodiit; tribus Iuda, quæ multos Reges idololatricos procreavit, & sic consequenter de cæteris fermè omnibus.

XIIX. Qua veritatis luce convictus Bellarminus fateri cogitur. *Cur Apocal.7. omittatur Dan, non satis constat; præsertim cum etiam Ephraim sit omissus, cujus tribus una est ex maximis.* *lib.3. de P. R. cap.12.*

XIX. Sed nondum finis: *Allegoricè etiam huc refertur* (inquit Apostata) *locus Ier.8. 10. A Dan auditus est fremitus equorum ejus,*

à voce

à voce hinnituum pugnatorum ejus commota est omnis terra, & venerunt, & devoraverunt terram, & plenitudinem ejus: orbem & habitatores ejus.

XX. Quem quidem locum Irenæus etiam, errore deceptus, de Antichristo intellexit lib. 5. adverſ. hæreſ. Sed agnoſcit ipſe Adverſarius, hæc verba de Nebuchodonoſare dicta eſſe, & non niſi per typum ad Antichriſtum applicari; quod ex Bellarmino didicit, qui l. d. ſic ſcribit: *Jeremias cap. 8. ſine dubio non loquitur de Antichriſto, neque de tribu Dan, ſed de Nebuchodonoſare, qui venturus erat ad Hieruſalem evertendam per regionem eam, quæ dicebatur Dan.*

XXI. Rectiſſimè ſanè. Dan enim in finibus Iudææ erat poſita, per quam ex Meſopotamia & Babylone Hieroſolymam itur, ut & per tribum Ephraim. Quod autem per Regem Babylonis typicè intelligatur Antichriſtus, non valde repugnamus. Scire autem debebat Apoſtata. 1. ſcripturam typicam non eſſe argumentativam. 2. non neceſſe eſſe, ut typus in omnibus congruat cum antitypo; ſatis, ſi in principalioribus.

XXII. Ita ſanè congruit ad Antichriſtum, quod (ut Propheta loquitur) voce pugna-

pugnatorum, hoc est, Monachorum & Esavitarum suorum ad cædes & bella paratorum, commovet terram: quodq; venerint illi & devoraverint terram, imò & peccata terræ, ut Cardinalis ille gloriabatur; plenitudinem etiam ejus, orbem & habitatores ejus, quod plusquam verum esse, exempla locorum istorum testantur, ubi novi nostri Pharisæi, de prosapia Esau, ædes viduarum, imò palatia principum quotidiè devorare pergunt, id quod de Pharisæis olim dicebat Salvator noster Matth. 23. 14.

XXIII. In his sanè pulcram videmus congruentiam typi & antitypi, idq; familiam ducit: nam quod locum attinet, unde egredi dicitur Rex Babylonis, is ut antitypo respondeat, non est necesse: aliàs Antichristum ex tribu Ephraim quoq; nasciturum sequeretur, quia utramq; tribum nominat Propheta capite quarto vers. 15, ubi eadem expeditio describitur quæ cap. 8. Id verò asserere Papicolis nondum in mentem venit, ne videantur plus nimio miraculosum fingere Antichristum, ut qui unus homo sit, & tamen ex duabus oriundus tribubus: tam accuratè in hoc mendaciorum genere memoriam suam firmare didicerunt?

XXIV. Constat ergo ex his, quæ jam dicta sunt, allegatas ab Apostata scripturas nihil minus probare, quàm Antichristum ex tribu Dan oriundum esse: imò si rem rectè velimus perpendere, ex nulla prorsus tribu Judæorum esse poterit. Antichristus enim Apostata est, imò ipsa ἀποστασία, ut à D. Paulo vocatur 2. Thess. 2. ex quo loco D. Augustinus eum refugam vocat à Domino lib. 20. de civ. Dei cap. 19. & apostasiam ejus prolixè deducit Bellarminus lib. 3. de R. P. 14. Nullus autem Judæus dici potest Apostata, quia nemo eorum veritatem agnovit. Et si maximè ex opinione Pontificiorum, Judæus esset, tamen omnium convenientissimum esset, ut ex tribu Juda nascerentur: inde enim Judæi Messiam suum (pro quo, juxta fabulam Pontificiorum, Antichristum sunt recepturi) nasciturum credunt.

XXV. Cætera, quæ de Babylone Antichristi patriâ inspergunturt, ut Monastica figmenta autoribus suis remittimus; neq; enim sequitur, Judæi exspectant successionem prosapiæ Davidicæ in Babylonia: ergo Antichristus ibi nascitur: hoc enim esset, præter alios errores, dubium per æquè dubium probare. Nihilominus tamen audet

det iste pro hoc figmento scripturas adferre, ex Apocal. 9. 14. & Zach. 5. 6.

XXVI. Quid ex loco Apocalyptico extorquere velit, ne quidem Oedipus divinare posset. *Solve quatuor angelos* (inquit D. Johannes) *qui alligati sunt in flumine magno Euphrate: Et soluti sunt angeli quatuor, qui parati erant in horam & diem & mensem & annum, ut occiderent tertiam partem hominum.* Quis Carneades ex his verbis inferat hanc conclusionem: *Ergo Antichristus nascetur in Babylonia?* Et tamen Apostatæ nostro hæc videtur esse absurdi sui dogmatis confirmatio Biblica.

XXVII. Locum Zachariæ tali depravat glossa, quam ne quidem per longissimè petitam consequentiam inde deducere potest. Fingit enim Prophetam dicere: *Judæorum summam omnibusq; numeris compleram impietatem in Babylonia sedem suam fixuram esse, quousq; Antichristum pro Messia, quem istic ex prosapia Davidica nasciturum putant, recipiant.*

XXIIX. Certum est, nihil quidquam hujus Prophetæ in mentem venisse. Nam longè major erat Judæorum impietas ante quam Babylonem venirent, propter quam etiam in manus Chaldæorum fuere traditi.

XXIX. Describitur autem ista visione communis impietas omnium Iudæorum; quos propterea velut in unum collectos manipulum ex Ecclesia se ejecturum & ad reproborum colluviem, quam periphrasi tertæ Sennaar, seu Babyloniæ, notat, perpetuum ablegaturum esse minatur Dominus. Antichristi ne quidem per somnium fit mentio.

XXX. Ne tamen Apostata impune ferat hanc glossam, sciat, si omninò hunc locum de Antichristo acceptum velit, perquam optimè hanc visionem Pontifici Romano accommodari posse. Ejus enim doctrina verè est amphora impietatis, qua velut urceo aut mensurâ certâ admetitur hominibus nimium credulis & superstitiosis, preculas, jejunia, peregrinationes, & alia, quæ ex superstitiosâ credulitate in gratiam sedis Romanæ facienda sunt. Sed hæc mensuratio plena est impietatis; ideoque impietas in medio amphoræ sedere dicitur, donec tandem deferatur in domum Sennaar, hoc est, in infernum ad habitaculum omnium dæmonum, & custodiam omnium spirituum immundorum, quemadmodū mystica Babylon describitur Apoc. 18. 2.

XXXI. Hæc ergo esto allegorica hujus loci

loci interpretatio, siquidem eum de Antichristo intelligere placet: de eo autem, quod Apostata fingit, quasi impietas Judæorum in Babylonia sedem suam sit fixura, quousq; Antichristum pro Messia recipiant, ne quidem jota unicum in hoc vaticinio reperitur.

XXXII. Et hæc fuit fabula de ortu Antichristi: de progressu ejus paulò alias nugas vendidit, ut sub initium hujus capitis cognovimus: eas jam dictis Biblicis confirmare audet. *Quo æstu ad regnum subreptu-rus sit*, ait, *exponit Daniel cap. 11. vers. 21. cap. 7. 8. cap. 11. 42. & cap. 8. 23.*

XXXIII. Secundus locus prorsus est ἀνεξοδίαστος: non enim de Antichristo, de quo nos quærimus, sed de Turcico tyranno, quem Antichristum orientalem vocamus, loquitur, ut supra ostendimus. Cæteri de Antiocho Epiphane agunt, & sic de Antichristo non nisi ratione typi, quod ex parte Adversarius ipse fatetur, latius autem ex D. Hieronymo deduxit Pererius Esavita lib. 14. in Dan. pag. 843.

XXXIV. Neq; verò moramur, quomodo Papicolæ historica illa applicent ad Utopicum suum Antichristum: nituntur ea omnia incertissimis conjecturis, imò fa-

bulis, quarum in tanta luce veritatis, homines sapientes meritò pudere debuisset. Nostra verò applicatio ad Romanum Pontificem ipso rerum eventu jam est comprobata.

XXXV. Nam Pontificatus Rom. verè clam & per fraudulentiam fuit in orbem Christianum introductus, adjuvante Phoca Cæsaricida, cum quo Bonifacius III. Pontifex contracta amicitia superavit in modico populo, ut Angelus vaticinatur, cum alioquin omnibus terrori esset illa Antecessoris sui vox Gregorii Pontificis, quod qui generalis Episcopi titulum adfectaret, is in elatione suâ Antichristum præcurrat.

XXXVI. Sed obtinuit iste, & ex parvis principiis maximam potestatem consecutus est in Ecclesia. A quo tempore & ipsi & successores abundantes & uberes non tantùm urbes, sed ducatus integros & regna ingressi fecerunt, quæ ausi non fuerunt patres ipsorum, rapientes ad se jus utriusq; gladii, & principatus quam plurimos, sub fictitiæ donationis Constantinianæ titulo, imperio suo subjicientes, quæ sanè potestas majoribus ipsorum insolita & inaudita fuit.

XXXVII. Pontifex Rom. etiam, juxta Danielis vaticinium de Antichristo cap. 11. 42. mi-

42. misit manum suam in terras Ægypti, dominaturus super thesauros auri, argenti & omnium pretiosarum rerum Ægypti. Neq; enim contentus fuit imperio Occidentis, sed Orientale quoq; fraudulenter avidissimeq; adfectavit: ideoq; sub prætextu religionis, & specioso titulo recuperandæ terræ sanctæ præstantissimum florem nobilitatis subinde in Asiam, indeq; etiam in Ægyptum, Lybiam & Æthiopiam ad bellum sacrum emisit, ut nimirum, dum illi trans mare bellum gerebant, ipse interim eorum bona invaderet, thesauros auri & argenti possideret.

XXXXII. Ita vere Rex fuit impudens facie, ut Daniel porrò suo typo Antiochi Epiphanis c. 8. 23. de Antichristo prædixit, robur ac potentiam suam Ecclesiis etiam in Oriente sub Turcico tyranno constitutis formidabilem reddidit, sed non in viribus suis, ait Propheta, sed cum interitu & dispendio nimis credulorum principum, itaque supra, quam credi potest, universa vastavit, cum regni prosperitate atque incremento. Interfecit etiam robustos, ut propheta pergit in vaticinio, hoc est, Principes & Proceres imperii ad omnia non statim annuentes partim territoriis suis ejecit, partim pedibus subjecit, quod

exempla Friderici Barbarossæ, Henricorum Patris & filii, Ludovici Bavari, & aliorum testantur: Populum inprimis sanctorum, hoc est, ingenuos confessores veritatis, interfecit juxta voluntatem suam, quæ ipsi pro ratione est, sicuti catalogus martyrum & testium veritatis ostendit: succesſit etiam ipsi dolus & magnificavit cor suum tantâ superbiâ, ut & à nemine judicari velit, sed semetipsum judicem angelorum & hominum constituat. &c.

XXXIX. Hanc applicationem vaticiniorum Danielis de Antiocho & Antichristo ad Pontificem Romanum, jam eventus tam solidè comprobat, ut excæcatum esse oporteat eum, qui videre eam nequeat. Proinde haud immeritò fictitias Papicolarum applicationes, nullibi cohærentes, & ex leviſſimis conjecturis dependentes, rejicimus, etiam hoc nomine, quod verè non sunt vaticiniorum applicationes aut interpretationes, sed nova quasi vaticinia de Antichristo nescio quo & quando venturo. Quæ cum non à Spiritus sancti inspiratione, sed humanâ voluntate profecta sint, magno animo contemnimus, & autoribus suis, imò mendaciorum parenti remittimus, ac cum amphorâ impietatis in terram Sennaar relegamus.

Caput

CAPUT III.

De Imperio & Potentia Antichristi.

I.

POSITO uno absurdo, necesse est alia multa, si non infinita sequi. Idem accidit Apostatæ nostro in hoc suo de Antichristo syntagmate. Dixerat is in capite præcedente, Antichristum suum Utopicum collecta manu Judæorum Ægyptum invasurum & occupaturum, dominumq; fore Æthiopiæ & Lybiæ, idq; tanta cum celeritate, quantam vix ipse credere potest, ideo *incredibilem celeritatem* nominabat, quam tamen omnibus persuadere ausus fuit.

II. Jam ne quid mendacio desit, addit in hoc capite, *reliquos septem reges, qui Romani olim Imperii provincias tum tenebunt, audita Regum Ægypti, Æthiopiæ, Lybiæq; clade ac cæde, maximo perculsos metu, ultro se victori Antichristo subjecturos, ejusq; copias accessione sua aucturos.* Pag. 47.

III. Neq; adhuc satis fabularum: *Horum viribus subnixus,* inquit, *VELUT UNO MOMENTO universum orbem terrarum subjugabit?* quomodo verò? num fortasse

magicis artibus & impostūris, quibus eum à Satana instructum esse dixerat in præcedente capite? nequaquam: sed *per præfectos suos*, ait, quibus ejusmodi miracula & magicas artes non tribuit; & tamen per hos præfectos suos *velut in momento oculi*, orbem terrarum subjugabit, *& monarchiam, cui similis à principio non fuit, constituet.*

IV. Tunc credis ea; Apostata? hominem absq; magicis prodigiis per ordinarios præfectos, in momento oculi orbem terrarum sibi subjugare & novam monarchiam constituere posse? quot verò mensium aut dierum monarchiam? nam non nisi trium annorum cum dimidio imperium Antichristi fore scribis: credis insuper, ipsum super Judæos regnaturum Hierosolymis, quibus in omni parte mundi dispersis, antequam innotescat, aliquod temporis spacium requiritur: credis, ipsum templum Solomonis restauraturum, illud nimirum templum, quod ab operariis plusquam 180000, annis septem primùm ædificatum 2. Paral. 2. 2. 1. Reg 6. 38. deinde verò 46. annis instauratum est Joh. 2. 10: credis, ipsum effecturum, ut toto orbe cessent publicæ religionis ceremoniæ, & juge sacrificium Ecclesiæ: credis insuper tot gentium

rium, armis potentissimarum, locis infinitarum, victoriam et cessuram: hæc enim omnia credit Bellarminus tuus cap. 7. & 16. quando verò tandem erit monarcha totius orbis? *velut in momento*, inquit, *& incredibili celeritate*: ô momentaneum monarcham atq; monarchiam! ô verè incredibilem celeritatem, quam tu cum Francisco vestro avibus, aut cum Antonio piscibus persuadeas; nescio utrum hominem inventurus sis, qui ista dua somnia crediderit.

V. Et dic mihi, sodes, quam tu monarchiam novam innuis, à cæteris omnibus diversam? Nostin' tu, homo Germanus, quid olim Bodinus disputarit in ignominiam Germanorum de Monarchia quinta Hispanorum vel Turcorum? tunc sextam addes, Antichristi? Quid verò Daniel Propheta Domini cap. 2. & 7? ubi expressè quatuor tantùm Monarchiarum meminit: quartamque, quæ Romanorum, hodie Germanorum est, ita describit, ut liquidò appareat, eam ad finem usq; mundi duraturam.

VI. Apparet crassitudo hujus somnii primo statim intuitu: nihilominus audet Apostata hæc tam crassa ex libro veritatis, h. e. S. Bibliis confirmare. Verùm loca illa

omnia

omnia partim de Antiocho loquuntur, ipso fatente Apostata, partim ne verbulum quidem habent de subjugatione spontanea septem regum, multò minus de momentaneâ illa Monarchiâ, in qua iste Antichristum suum introducit, ita ut mirum sit, hominem adeò amisisse omnem frontem, ut mendacia ista sua vel manibus palpabilia, non vereatur scripturis pingere, in quibus tamen ne quidem umbra hujus cōtinetur.

VII. Imperium sanè & potentiam Antichristi maximam non ignoramus, sed libenter id, quod olim Græca Ecclesia Johanni XXIII. respondit, hîc repetimus: *Potentiam tuam summam, Papa, erga tuos subditos firmiter credimus: superbiam tuam summam tolerare non possumus, avaritiam satiare non valemus: diabolus tecum, quia Dominus nobiscum.*

IIX. Potentiam autem talem tantamq; qualem nobis Apostata describit, eamque merè politicam, pius animus ne quidem per febrim cogitare potest; & Apostata ipse; sortiis instar sese prodidit, eam sibi & incredibilem & impossibilem videri; quod & alii Pontificii aperte fatentur; inter quos J. Hentenius, qui in præfatione ad comment. Arethæ in Apocalypsin scribit, *non esse*

esse possibile, Antichristum tam parvo tempore, tam multa regna ac Provincias obtinere. Quapropter operæpretium non est, ut in hujusmodi nugis diutius immoremur.

CAPUT IV.

De Sede Antichristi.

I.

NOn minoris vanitatis ea sunt, quæ de sede Antichristi sui disserit. *Simul ac in terram sanctam venerit Antichristus*, inquit, *palatium sive prætorium sibi extruet juxta Nicopolin sive Emaus, inter lacum Asphaltiten & mare mediterraneum: inde ad verticem montis Oliveti, ex quo Christus in cœlos ascendit, progressus Hierosolymas occupabit, in eaq; thronum ac solium imperii sui figet.*

II. Duo narrat hîc noster Antichristi Advocatus: primùm de palatio sive prætorio, deinde de solio seu throno imperatorio. Prius illud probare, conatur ex Dan. II. 42. ubi inter alia de palatio Antichristi ita loquitur Angelus: *Et figet tabernaculum suum Apadno, inter maria super montem inclitum & sanctum, & veniet usq; ad summitatem ejus.* Per Apadno Scioppius intelligit Nicopolin sive Emaus: per maria lacum Asphaltiten seu mare mortuum & mare

mare mediterraneum: per montem inclitum, montem oliveti, in quo tandem periturus sit Antichristus & ad inferos descensurus.

III. D. Hieronymus varias hujus loci interpretationes recenser, Porphyrii, Symmachi, Theodotionis, Aquilæ, LXX. interpretum, Apollinaris: nullus eorum est, cui hoc figmentum Scioppii artiserit, quasi per Apadno notetur Emaus sive Nicopolis: neq; enim hoc oppidum ita olim fuisse vuncupatum ex ullo probato scriptore, ostendere potest, neq; ullâ probabili ratione duo illa maria de mari mortuo & mediterraneo interpretatur, inter quæ Apadnon illam sitam esse fingit.

IV. Certissima igitur est hujus vocabuli redditio, quam habet Hieronymus, qui interpretatur Apadno, *palatium ejus.* Nam אַפַּדְנוֹ nomen Appellativum est, cum adfixo pronomine וֹ. Significare voluit Angelus, palatium ejus fore inter duo maria, non exprimens nomen ejus proprium, sed eventui & experientiæ illud relinquēs.

V. Proinde in gratiam Scioppii non immeritò verba Hieronymi hoc in loco repetere possumus, quibus ipse usus est contra Apostatam Porphyrium, absurdum hujus

jus loci interpretem: *Hæc ideo posui* (inquit ille) *ut & Porphyrii* (Scioppii) *ostenderem calumniam; qui hæc omnia aut ignoravit, aut nescire se finxit: & scripturæ sanctæ difficultatem indicarem, cujus intelligentiam absq; DEI gratia & majorum doctrina sibi imperitissimi vel maximè vendicant.*

VI. Quæ postrema verba diligentissimè norat Apostata, qui tantopere gloriatur de suis in studiis Theologicis profectibus, quorum intelligentiam se absq; majorum doctrinâ, fortè etiam absq; Dei gratia percepisse sibi videtur: sed Hieronymus tales imperitissimos haud abs re vocavit.

VII. Quapropter, quemadmodum non negamus, hunc locum de Antichristo accipiendum esse: ita vicissim ipso rerum eventu edocti non dubitamus de Pontifice Romano hîc sermonem esse.

VIII. Is enim palatium suum fixit inter duo maria, Thyrrenum & Adriaticum: super montem inclitum & sanctum, h.e. Sionem seu Ecclesiam, quæ civitati in monte sitæ confertur, Matth. 5. & per Sionem sæpe notatur in veteri Testamento, Psal. 2. 12. 73. Esa. 31. &c. vel, quod magis est consentaneum veritati, in urbe Româ, quæ & montosa & inter duo maria sita est.

IX. Ea

IX. Ea verò vocatur mons inclitus & sanctus. 1. quia Apostoli, inprimis D. Paulus, doctrinam sanctam de Christo in ea fideliter tradiderunt, & sanctam Ecclesiam Christo ibidem collegerunt. 2. quia multa millia sanctorum martyrum Romæ sepulta sunt, qui a Romanis Imperatoribus adhuc Ethnicis ob confessionem Christi sanguinem profuderunt. 3. quia Dominus etiam in mediâ illa Babylone & olim & nunc sanctum suum semen sibi reservavit.

X. Hæc ergo interpretatio loci Prophetici eventu comprobatâ haud immeritò longè certior est, quam quæ ex levissimis & ferè impossibilibus conjecturis, absq; ulla ratione, tantummodo in gratiam Romani Pontificis & dispendium veritatis excogitata fuit.

XI. Posterius membrum in hoc capite de throno sive solio postremo Antichristi probare conatur ex Apoc. 11. 7. ubi de duobus testibus, quos interficiet Antichristus, scriptum est: *Et corpora eorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus, ubi & Dominus eorum crucifixus est. Quis autem nescit* (clamat Apostata) *Christum in Hierosolyma crucifixum esse?* idemq; habet Bellarminus lib. 3. de Rom. Pont. cap. 13.

XII. Sed

XII. Sed certum est ex circumstantiis textus, nullam aliam civitatem intelligendam esse, quam Romam. 1. Primum enim, est hæc bestia, de qua in hoc capite agitur, illa ipsa, quæ introducitur cap. 17. ea verò septem montium celebritate describitur, qui in urbe Roma reperiuntur. 2. Deindè hæc civitas ita describitur Apocal. 17, 18. quod habet imperium super reges terræ: talis verò nunquam fuit Hierosolyma, sed olim erat Roma. 3. Denique Sodoma atq; Ægyptus vocatur, partim propter horrendas illas idololatriarum fornicationes (propter quas quidem Hierosolyma etiam Sodoma vocatur, Esa. 1, 10. Jer. 23, 15. nunquam autem Ægyptus) partim etiam propter tyrannidem illam & crudelem persecutionem, qua veros Ecclesiæ cives hæc civitas ferè semper oppressit, & etiamnum premit.

XIII. In hac civitate Christus crucifixus est, imò etiamnum crucifigitur, quoties Christiani ad ignem & flammas crudeli sententia damnantur. Christi enim pupilla tangitur cum Christianus tangitur, juxta illud Zachariæ 2, 8: *qui vos tetigerit tanget pupillam Dei.* Si igitur tot Ethnicorum Imperatorum persecutio-

nes, tot sanguines, tot cædes innocentium Christianorum consideremus, cœci essemus, si non agnosceremus Christum Romæ crucifixum.

XIV. *Per singulos enim martyres Jesus condemnatur*, inquit Origenes homil. 11. in Jerem. *Si condemnatur Christianus pro hoc tantum, quod Christianus est, Christus est, qui condemnatur.* Idem habet Ambrosius lib. 5. cap. 3. in orat. cont. Auxent. ubi de cruce Petri in eandem sententiam quamplurima scribit, quibus Papicolis os obturari poterit. Valeat ergo hoc etiam figmentum Scioppii de sede Antichristi. De loco Pauli 2. Thess. 2. supra egimus cap. 1.

CAPUT V.

De doctrina & religione Antichristi.

I.

IN hoc capite quinq; inprimis aphorismos de Antichristo suo proponit Apostata.

1. Antichristus profitebitur se vindicem & custodem legis Mosaicæ acerrimum.

2. Jesu

2. Jesu Nazareno omnibusq; ejus sectatoribus perpetuas inimicitias indicet.

3. Persuadebit Judæis se esse illũ promissum per Prophetas Christum seu Messiam.

4. Pro Deo coli se volet, Deumq; se & solum quidem esse dicet, idq; natura ac potestate suâ, qui nullum præter se Deum coli aut credi velit.

5. Seipsum in templo Hierosolymitano à se ædificato collocabit, & ut Deum fortitudinis seu Maozim sacrificiis, auro, argento & margaritis coli se ac propitiari jubebit. Hæc ille.

II. Primum aphorismum probat ex Dan. 11, 22. ubi in historia Antiochi Epiphanis inter alia leguntur hæc verba: *Insuper & dux fœderis*, quod glossator noster ita interpretatur: *erit Antichristus vindex legis Mosaicæ.* *De loco Dan. 11. v. 22.*

III. Sed violenta hæc est glossa. 1. enim loquitur hic textus, non differente Apostata, de Antiocho Epiphane, quem sanè vindicem legis Mosaicæ nunquam fuisse, constat. 2. illa verba, *insuper & dux fœderis*, non ad Antiochum pertinent, sed ad principem illius fœderis, quod contra Antiochum pro Demetrio minorenne adhuc puero initum fuit.

IV. Antiochus enim, defuncto fratre Seleuco Philopatore, tutorio nomine regnum Syriæ invasit, & ut Propheta loquitur, cum fraudulentia obtinuit, expulso Demetrio Seleuci relicto filio. Hujus Demetrii patrocinium susceperunt Ptolomeus Philometor rex Ægypti, consobrinus Demetrii, & reliqui proceres ac consiliarii Syriæ, qui facta confœderatione in defensionem innocentis pueri, molitionibus patrui Antiochi obviam iverunt: sed contriti sunt a facie ejus, ut textus habet, h.e. nihil obtinuerunt, insuper & dux fœderis contritus est, hoc est, Ptolomeus ille Philometor, qui aperto Marte cum Antiocho congressus victoriam amisit, contritis & concisis copiis inter Peluſium & Casium montem, ita ut accepta hac clade inducias cum Antiocho facere cogeretur.

V. Hæc omnia eventui respondent, atq; sic ab Hieronymo, & qui eum sequuntur, etiam inter Pontificios, exponuntur: unde sequitur, verba illa de duce fœderis nihil commune habere cum Antichristo: ejus enim, non Ptolemeus ille Philometor aut alii confœderati, sed Antiochus typus fuit.

6. Quod

VI. Quod si tamen hîc quoq; analogiam aliquam Antichristi petit Apostata, hanc habeat pro tempore: quod Romanus Pontifex tutorio & vicario nomine, Christi regnum invasit, & dum se res Christi promovere simulat, interim sacrilega manu res suas auget; ita ut ne quidem duces fœderis divini, hoc est, orthodoxæ Ecclesiæ defensores (permittente Deo) coram ipso consistere potuerint.

VII. In secundo Aphorismo nihil fere est, quod desideramus, nisi quod allegatæ sententiæ ex 1. Joh. 2, 22. & 1. Joh. 4, 2. in primis de Antichristo extra Ecclesiam, hoc est, Mahomete Turcico, deinde etiam de aliis hæreticis & Pseudoprophetis intelliguntur, quos communi nomine, Antichristos vocat D. Johnnes 1. Ep. 2, 18.

IIX. Aliàs Pontifici Romano, & quidem secundariò, in gratiam satellitum ejus, facili negotio accommodari poterunt. Nam qui voluntatem Patris negat, etiam essentiam ejus negat, licet eum ore profiteatur: & qui officium Christi impugnat, idem facit etiam personæ Christi. Utrumq; horum fit in Papatu.

IX. Nam voluntas patris est, ut non nisi per fidem in Christum justificemur, in

nullo alio, quam in Jesu Christo salutem nostram quæramus, nihil nostris meritis aut satisfactionibus adscribamus. Idem etiam fuit officium Christi Mediatoris nostri unici, cui alii Mediatores, Redemtores & Salvatores opponuntur in Papatu: quod revera est Patris essentiam & Christi personam verbis profiteri, factis abnegare, quod de hypocritis dicebat Apostolus Paulus ad Titum cap. 1. versu decimo sexto; imò alius quoq; Christus Ecclesiæ obtruditur, qui non sit verus & præsens Christus, sed vicarius Christi absentis, Pontifex Romanus: unde non immeritò Antichristus dicitur, quia & Christo in omnibus adversatur, & se pro Christo Ecclesiæ obtrudit.

X. Sic etiam quas inimicitias & Vatiniana odia indixerit Pontifex Romanus omnibus fidelibus & constantibus Jesu Nazareni sectatoribus, tot persecutionum atq; inquisitionum experimenta testantur, & ipsemet se prodit, dum juratissimos illos Jesu Nazareni hostes Judæos in ipsa urbe tolerat, Synagogas etiam permittit, in quibus sacrosanctum JESU nomen quotidie intolerabilibus blasphemiis adficitur: veris autem JESU confesso-

feſſoribus atque ſectatoribus non tantum in urbe, ſed & in univerſo Antichriſti regno aquâ & igni interdixit: hoc nimirum eſt bellum facere cum ſanctis, & interficere eos, ut ex Apocal. 13, 6. Apoſtata noſter allegavit.

XI. Tertius Aphoriſmus mera fabula eſt, ex incertis conjecturis Patrum nonnullorum orta, quibus vaticinia illa de Antichriſto antequam complerentur, clauſa & ſignata erant, Dan. 12, 4. Locum tamen pro hac fabula adfert Scioppius ex Joh. 5, 43, ubi Chriſtus ipſe dicit ad Judæos: *Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me, ſi alius venerit in nomine ſuo, illum accipietis.*

XII. Sed locus hic nihil quidquam habet de Antichriſto. CHRISTUS opponit ſibi ALIUM quemcunq; indefinitè, quem Judæi, quia Chriſtum repudiarunt, pro Meſſia ſint recepturi; idq; completum eſt aliquoties, 1. vivente adhuc Chriſto, in Theuda & Juda Ægyptio, quos Judæi pro Chriſto acceperunt ut Acta Apoſtolica teſtantur cap. 5. 2. poſt reſurrectionem Chriſti in Bencotbah, (à mendaciis in quibus deprehenſus eſt, ita dicto) in Bencochabo, quem, reſectis ſibi

digitis, Messiam esse professi sunt, tempore Adriani Imperatoris; in Mose Cretensi, tempore Theodosii Imperatoris, de quibus Pseudochristis, à Judæis diverso tempore receptis, videatur Josephus lib. 2. belli Judaici cap. 12. Euseb. lib. 4. hist. Eccles. cap. 6. & Socrates lib. 7. cap. 38. Petrus Galatinus lib. 4. de arcan. Cathol. verit. cap. 21.

XIII. Neque verò obstat, quod hi Pseudochristi non videantur in suo, sed Christi nomine venisse, de quibus tamen dicit Christus, quod in suo proprio nomine venturi sint. Nam simulabant quidem isti, se in Christi venire nomine, sed verbis factisq; testabantur, se à Christo prorsus esse alienos, quemadmodum de Pseudoprophetis aliis dicit Salvator, quod sint venturi in nomine Christi, ipse autem eos non sit recepturus, Matth. 7. Prætextus igitur erat nomen Christi; res veritas autem sub prætextu occultata, merum Pseudochristorum istorum figmentum. Non enim voluntate aut nutu æterni Patris, quemadmodum Christus venit, sed proprio motu ac judicio veniebant, à nemine ad hoc missi, sed furore ac insaniâ mentis impulsi.

14. Et

XIV. Et ut hunc quoq; locum (qui tamen de Antichristo propriè non agit) in gratiam Pontificiorum ad Antichristum verum, hoc est, Pontificem Romanum accommodemus, ipse rerum eventus testatur, quemadmodum Judæi pro Christo olim receperunt alium, jam Bencochabum, jam Mosen Cretensem, jam Theudã, jam Judã: ita & Pontificios recepisse pro Christo alium Christum, Pontificẽ Romanũ, qui quidem verbis in nomine Christi venit, sed reipsa nomen suum Christo anteposuit, sese pro summo Ecclesiæ capite, sponso, magistro, imò salvatore per indulgentias vendidit, eoq; nomine adhuc hodie à mancipiis suis colitur. Viderint igitur Pontificii, nunquid fortè Christus isthæc ad ipsos quoque dixerit, juxta illud Marc. 13. *quæ vobis dico, omnibus dico.*

XV. Quartus aphorismus itidem merum somnium est eorum, qui Romano Pontifici adulantur. Nam scriptura nobis Antichristum ita describit, quod omnia sit fraudulenter & dolosè acturus, & sub agninâ simplicitate quamplures seducturus, unde etiam, Apostolo teste, revelatione opus habet, qua non esset

opus, si tam manifesta blasphemiâ se solum Deum esse, & alium præterea neminem credendum esse, diceret.

XVI. Hoc enim esset nimis citò sese prodere; & profectò hoc pacto nullum unquam Judæorum inventurus esset, qui sibi fidem haberet: credunt enim Judæi in Deum Abrahami, Isaaci & Jacobi: sciunt autem Antichristum (quem juxta Pontificiorum opinionem habituri sunt pro Messia) Deum illum non esse, quippe annis aliquot mille post Patriarchas illos natum.

XVII. Proinde nimis crassum & dilutum hoc est figmentum, pro quo tamen Apostata adfert locum Apostoli, 2. Thes. 2. ubi dicitur, *Antichristum se elaturum supra omne id quod dicitur Deus, aut quod colitur, & in templo Dei ostensurum se, ut Deum:* item locum Danielis c. 7, 25. de Antichristo scribitur, *quod magnificaturus se sit adversus omnē Deum, & adversus Deum deorum locuturus magnifica:* quæ sanè dicta de isto fictitio Deo Papistarum accipi non possunt, ob rationes jam modo indicatas.

XIIX. Alio verò modo impleta ea esse in Pontifice Rom. iterum eventus luculenter comprobavit. Nam is est, qui non tantum angelis & magistratui omni

(quos

(quos scriptura Deos appellare solet) se, suamque potestatem anteponit, illis imperando, hunc pedibus conculcando: sed etiam Deum ejusq; verbum abnegat, dum contra expressum jus divinum Levit. 18,16. dispensat in matrimonialibus; dum contra sententiam legis divinæ Levit. 19, 22. relaxat juramenta pro lubitu; dum contra sententiam Exod. 17,18, 19. infidelibus, aut quos ipse putat, hæreticis fidem servandam non esse docet; dum se errare non posse jactat, dum testamentum Filii Dei corrigit, ejus meritum corrumpit, & quos ille in verbo suo æternis addixit flammis inferni, his refrigerium aliquod promittit.

XIX. Hoc nimirum est, extollere se supra id quod colitur, *cunctam religionem suæ subjicere potestati*, ut Hieron. interpretatur in c.7. Dan. vel ut Origenes tract. 29. in Matt. *extollere se supra omne verbū, quod est extra ipsum, quod annunciatur esse verbum Dei.*

XX. Imò ipse est, qui honorificum Dei nomen apertè acclamari sibi gaudet, quemadmodum plusquam Thrasonica & blasphema vox in jure Pontificio legitur: *Credere Dominum Deum nostrum PAPAM sic non posse statuere, prout statuit, hæreticum censen-*

Extrav. Joh. XXII. cap. cum inter.

censeretur, & ipse sibi Dei nomen vendicat tanquam à Constantino impositum, dist. 96. satis evidenter: quasi verò homo homini divinos honores imponere possit, aut impositos suscipere debeat, cum tamen Dominus Deus noster Zebaoth ipse dicat, *Ego Jehovah, hoc est nomen meum, & gloriam meam alteri non dabo. Esa. 42, 8: 48, 11.* Abeat igitur & hic Aphorismus.

De Deo Maozim ex Dan. cap. 11.

XXI. Quintus & ultimus cum præcedente ferè coincidit, & ab Apostata ex eodem loco Dan. 11. probatur, ubi Propheta vaticinatur de Antichristo hunc in modum: *Deum Maozim in loco suo venerabitur, & Deum, quem ignoraverunt patres ejus, colet auro & argento & lapide precioso, rebusq; pretiosis, &c.* quem locum ita exponit, quasi larvatus ille Papicolarum Antichristus seipsum sit Maozim illum & Deum fortitudinis (ut ipse hanc vocem interpretatur) jactaturus, & precioſum sui cultum ab aliis expetiturus: illud enim; *Maozim venerabitur & Deum colet*, &c. idem esse in Hebræo & Græco, ac glorificabit, venerari ac coli faciet.

XXII. Sed hæc expositio (quæ ex parte Theodoreti est) 1. seipsam evertit. Quod si enim Hebræus & Græcus textus

legit

legit (uti revera legit) glorificabit; utiq; non poterit reddere illud verbum *glorificare* venerare cœliq; faciet: fieri enim non potest, ut unum idemq; verbum in una & eadem conjugatione, imò in uno eodemque loco habeat significationem geminam, transitivam & reciprocam.

XXIII. 2. Refragatur ei textus, unde telum hoc contra seipsum depromsit Apostata. In græco enim est δοξάσει θεὸν μαωζεῖν, quæ constructio non reciproca, sed transitivæ significationis nota est, *glorificabit Deum Maozim*, non autem; *Seipsum ut Deum Maozim glorificabit aut colì faciet.*

XXIV. In Hebræo verò est verbum secundæ conjugationis יְכַבֵּד quæ quidem conjugatio in quibusdam verbis, neque tamen in omnibus, permissionem rei significat; nunquam autem reciprocam actionem, quam hîc imprimis urget Apostata. Imò verbum hoc כָּבַד in secundâ conjugatione vix unquam significationem habet permissivam, Alias si stropha Scioppiana locum haberet, *venerabitur Deum Maozim, id est, venerari faciet*; pari facilitate interpretari possem illud Psalmi 86, 12. וַאֲכַבְּדָה שִׁמְךָ venerari faciam

ciam nomen tuum, imò quartum decalogi præceptum, Exod. 20, 11. אֶת־אָבִיךָ כַּבֵּד honorari fac patrem tuum, scilicet per alium fortasse, licet tu neq; Deum venereris, neq; parentes honores. Talem nimirum Theologiam hic Criticus absurdâ suâ glossâ nobis introducit.

XXV. Proinde ex hoc quoq; fonte perspicuum fit, hîc non de tali Deo agere Prophetam, qualem seipsum facturus sit Antichristus, sed qualem ipse sibi colendum atq; glorificandum effecturus sit.

XXVI. 3. Refragantur deniq; glossæ Scioppianæ alii hujus loci interpretes Papistici: inprimis Lyra, qui super istum locum Danielis scribit: *Maozim esse nomen proprium significans proprium Deum, quem Antichristus colet. Nam licet in propatulo ac publicè nullum se Deum colere ostendet, & se solum ut Deum adorari volet: attamen privatim & clam pro Deo colet certum quendam dæmonem, in cujus ipse tutela erit, & cui omnem suam potentiam & felicitatem acceptam feret.* Hæc Lyra; cui ferè adstipulari videtur Pererius lib. 14. in Dan. pag. 871. & Bellarminus lib. de R. P. cap. 14. §. *Secundi.*

XXVII. Sed & hæc absurda glossa est: quia cultus iste Maozim ab Angelo apud

apud Prophetam ita describitur, quod minimè privatus sit futurus, sed publicus, quodque Antichristus socios ejus cultus & patronos maximis honoribus adfecturus præmiisq; loco regna mundi illi distributurus sit. Proinde postremum etiam hunc aphorismum Apostatæ in nihilum redigi, & pluisquam arenoso inniti fundamento, animadvertimus.

XXIIX. Longè verò certior est, & ipso rerum eventu satis satisque comprobata orthodoxorum Theologorum interpretatio hujus idoli Maozim, auro argentoque preciosè exornati. Omnes enim circumstantias & characteres, quibus describitur, testantur, Maozim nihil aliud esse, quàm Papisticum sacrificium Missæ, quando nimirum recitatis quinq; verbis; *Hoc est enim corpus meum*, fingunt, se transsubstantiare panem in corpus CHRISTI, & hunc transsubstantiatum panem thecæ inclusum circumgestant instar idoli cujusdam, coram eo procidentes; & ut terrestre quoddam numen elementum hoc, crustulam panis, adorantes, divinumque auxilium adversus omnis generis mala, corporis ac animæ, ab eo expectantes.

29. Mis-

XXIX. Missa enim est illa Maotz, fortitudo, robur ac potentia, imo pupilla cor ac anima totius regni Antichristiani: est arx & firmamentum totius Papatus; cujus fundamentum est in purgatorio, fastigium in cœlo, parietes in terra: in his enim tribus locis Missam expiatorium sacrificium esse fingunt.

XXX. Missa Pontificiorum Deus est: ei enim adscribunt vim immutandi rerum naturas, ex pane carnem, ex vino sanguinem faciendi, quod solius creatoris proprium est.

XXXI. Maozim tale idolum est, quod ignoraverunt patres nostri: talis est Missa, in qua occurrunt quatuor inprimis, sacris literis & orthodoxæ antiquitati ignota. 1. Missam esse sacrificium inprimis propitiatorium pro vivis ac mortuis. 2. transsubstantiari panem in corpus, vinum in sanguinem Christi, quod multis inter Pontificios absq; novo quodam miraculo fieri non posse videtur. 3. Calicem laicis non esse dandum; quod horrendum est sacrilegium, Apostolis & toti primitivæ Ecclesiæ verè ignotum. Canonem Missificum ignorarunt quoque Patres antiquiores: & extant multa probatis-

ULB HALLE (SAALE) LANDESBIBLIOTHEK

batissimorum scriptorum testimonia, quod canon ille à Romanis Pontificibus frustillatim & per partes fuerit compositus, intraq; sexcentos à Christo nato annos vix absolutus.

XXXII. Missa deniq; est, quæ colitur à Pontifice ejusq; mancipiis, auro, argento & preciosis gemmis quam splendidissimè; non tantum quia ipsum Missæ Papisticæ sacrum quam preciosissimè exornatur, sed etiam, quia circa illud idolum suum Papa varia quæsivit pecuniarum aucupia. 1. venditione sacerdotiorum & palliorum Episcopalium. 2. inventione annatarum, quibus quilibet, qui indefuncti Episcopi locum successit, Romano Pontifici fructus integros ejus anni ex Sacerdotio persolvere tenebatur. 3. Figmento variarum Missarum, Missæ de præputio Christi, de tribus clavis, de spinea corona, de Spiritu S. de B. Mariæ & aliis sanctis: Missæ pro peregrinantibus, pro navigantibus, pro fabricantibus, pro militantibus, pro negotiantibus, pro nubentibus, pro sterilibus & gravidis, pro parturientibus & puerperis, &c. quarum singulæ certam pecuniæ summā in fiscum R. Pontificis conferebant.

XXXIII. His & similibus multis idolum illud Missæ exornatum & crumena Pontificis R. locupletata fuit, unde non abs re Deum tanti auri feracem preciosè coluit, & per suos coli jussit, ita ut nihil desit in hoc vaticinio, quod non ad Papatum congruat quam aptissimè. Atq; sic omnia ea, quæ de religione larvati sui Antichristi in medium proposuit Apostata, examinavimus, & in jugulum Pontificis Romani retorsimus.

CAPUT VI.

De Confirmatione & Propagatione doctrinæ atq; imperii Antichristiani.

I.

Hic verò ingentes fabularum cataractas effundit homo impudens, taliaque de Antichristo effutit, quæ nonnulli ex Pontificiis in hac materia tangere, nōnulli etiam credere noluñt: ipse tamen mendaciorum suorum pallium quærit sacrosanctas scripturas, mirè distortas, miserè ab hoc impostore dilaceratas.

II. Ut autem ordine de singulis videamus; hæc inprimis proponit capita, quibus

bus Antichristum istum Vtopicum & larvatum doctrinam imperiumq; suum propagaturum esse vel ipse credit, vel aliis (quod facilius adducor ut credam) contra conscientiam suam persuadere conatur.

III. 1. Innumeris prodigiis ac miraculis divinitatis fidem & autoritatem sibi faciet. *pag. 49. seqq. pag. 78. usque ad 95.*

2. Tum demum diabolus qui à Christi passione eò usq; ligatus erat, solvetur, cum universo inferorum exercitu.

3. Antichristus operâ diaboli in specie hæc editurus est miracula: Solem sistet: maria siccabit: tempora mutabit: mori se simulabit in conspectu populorum, & sic mortui specie aliquandiu jacebit, sed tandem sua sponte reviviscere ac resurgere se simulabit.

4. Pseudopropheta & emissarius ejus hoc miraculum prædicabit, & nova addet, nempe ignem de cœlo cadere & Antichristi statuam loqui faciet, itaq; efficiet, ut lege lata omnes statuam illam adorare capitis pœnâ jubeantur.

5. Magnis sumtibus conducet homines, qui persuadeant aliis, ea, quæ de Antichristo prædicta sunt, jampridem esse impleta.

6. In eos, quos in fide Christi constantiores repererit, crudelissimis supplicis sæviet.

7. Curabit suos nomine Antichristi vel in fronte, vel in manu dextra insigniri, nemoq; emere aut vendere poterit, nisi charactere isto insignitus.

8. Nomen Antichristi Hebræum erit; in quo tamen numerus 666. inveniatur.

9. Qui hunc characterem non habebunt, fame morientur.

10. Tunc Enoch & Elias ex Paradiso reversi prædicabunt, & miracula edent diebus 1260: postea interfecti ab Antichristo jacebunt tribus diebus & dimidio inhumati per vias Hierosolymæ: tum palàm revivisent & in cœlos adsumentur.

11. Multi Judæorum convertentur.

12. Ecclesia fugiet in desertum Arabiæ, ubi solum Missa celebrabitur, in reliquis locis, durante Monarchiâ Antichristianâ, cessabit.

13. In solitudine Arabiæ Judæi conversi arcam fœderis invenient, in monte Nebo aut Sina.

14. Irritus erit omnis Antichristi conatus

natus in persequenda, quæ in desertum fugerat, Ecclesia. Hæc Scioppius.

IV. Sed nunquid satis nugarum est, Christianæ Lector, quas in hoc Augiæ stabulum simul & semel effutivit? eas tamen ex Scripturis confirmare audet, quarum pleræq; ab ipso laudatæ in Pontificem Romanum apprimè congruunt; nonnullæ nihil ad rem faciunt. Nunc singulorum capitum probationes videbimus ordine.

V. Pro primo adducit locum illum classicum ex 2. Thess. 2. ubi dicitur, *adventum Antichristi fore secundùm operationem Satanæ, in omni virtute & signis & prodigiis mendacibus, & in omni seductione iniquitatis iis qui pereunt.* Huic adjungit locum alterum ex Matth. 24,23. *Surgent Pseudochristi & Pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita ut in errorem inducantur* (si fieri potest) *etiam electi.*

VI. Sed tantum abest, ut negemus, Antichristum miraculis & prodigiis, ex operatione Satanæ, permittente Deo, aliis se stupendum reddere, ut potius ex hoc ipso fundamento Pontificem Romanum Antichristum esse intrepidè profiteamur.

VII. Nihil enim magis in Papatu crepant, ac miracula, nostramq; religionem eo nomine suspectam reddere satagunt, quod destituatur miraculis, quodq; ne quidem claudum canem sanare valeamus: in Ecclesiis verò Papisticis omnia plena sunt miraculis & prodigiis; nullumq; dogma Papistarum est, quod non ex miraculis fidem obtinuerit apud eos, qui dilectam veritatem recipere noluerunt.

VIII. Hoc sanè pro certissimo signo Antichristi habuit Chrysostomus, vel quicunque fuit autor operis imperfecti in Matth. hom. 49. nimirum fide ab Apostolis per miracula confirmatâ, & jam in orbe propagatâ, alia vel similia jactare in Ecclesiâ miracula. *Nam per hoc*, inquit, *ministros Christi cognoscimus, non quia utilia faciunt signa, sed quia omnino non hæc faciunt signa. Donec enim fuit vocatio ad fidem ex infidelitate, fecerunt signa & servi Christi, quia signa vocationis divinæ testimonia sunt, ut prædicationis veritas miraculis commendetur: cessante autem vocatione, incipit seductio, revocans homines à fide ad infidelitatem. Incipiente ergo seductione, tradenda sunt seductionis adjutori diabolo, id est, potestas faciendorum signorum, ut signis ac prodigiis mendacia sua pro veritate commendet.*

mendet. Hæc ille: quæ ad unguem congruunt in Papatum.

IX. Qualia verò sunt miracula quæ eduntur ab illis? vel ficta, vel per operationem Satanæ facta. Nam in hunc finē fieri solent, si fiunt, ut ad falsas doctrinas illiciant, quibus fides aliter, quia de Scripturis non probantur, haberi non possit, quales sunt omnes Papicolarū traditiones non scriptæ, ideoq; miraculis confirmandæ, quæ miracula nō immeritò mendacia dicenda sunt, quia ad mendacia credenda inducunt. Et quæcunq; miracula cū Christi doctrinâ, miraculis satis superq; confirmatâ, non consentiunt, certissimè arguuntur à Satana profecta esse.

X. Præterea si olim ediderunt vera miracula, cur hodie non similia audent edere? aut si edunt, cur nos ad remotissimas illas insulas laponicas & populos Americanos remittunt, de quibus tutò sementiri posse putant? Nam quæ de Lituanicis, Brabanticis, Bavaricis & similibus moderni Esavitæ scribunt, præstigiæ fuerunt, in quibus non tam egit diabolus, quā agere visus est. Aut si vera sunt miracula, cur non ad cujusvis sancti tumulū & reliquias talia edunt, qualia ad hujo vel illius Episcopi aut Principis tumbam? num-

fortasse vis divina efficacior est apud ossa cineresq; prædivitis quondam Episcopi aut Cardinalis, quam pauperculi rustici & opilionis piè defuncti?

XI. Scilicet hæc est efficacitas erroris, qua decipiuntur miseri, qui nolunt accipere veritatem, tam præclaro jubare, per Dei gratiam exsplendescentem: de quibus præstigiis jam olim Lyra candidè fassus est in cap. 14. Dan. *Aliquando fit in Ecclesia maxima deceptio populi in miraculis fictis à Sacerdotibus & eorum adhærentibus, propter lucrum temporale.*

XII. Idemq; nimis crebro factum seriò deplorat Melchior Canus lib. 11. locor. commun. cap. 6. ubi scribit; *Ecclesiæ Christi vehementer incommodasse, quod res divorum præclarè gestas fictis & revelationibus & miraculis adornarint: qua in re nec sanctæ virgini, nec Christo Domino hominum impudentia pepercit; quin quod in alios divos factitavit, idem quoq; in Christi & matris historia scribenda faceret, & pro humani ingenii levitate multa vana & ridicula comminisceretur.* Plura in hoc genere passim scripta extant, ad quæ sanè nihil solidi Papicolæ respondere possunt: proinde hoc primum caput Apostatæ & suis mirabiliariis remitto.

NB.

13. Pro

XIII. Pro secundo capite adfert locum D. Johannis ex Apocal. 20. ubi scribitur, *diabolum ligatum iri catenis, sed postquam consummati fuerint mille anni, iterum solutum iri de carcere suo, & exiturum, & seducturum gentes.*

XIV. Jam verò & nos libenter fatemur, diabolum cum omni suo infernali agmine & exercitu quasi omnibus catenis solutum plus furere cepisse in regno Antichristi, quam superioribus temporibus. Illa verò solutio non jam expectanda est, sed ante annos plusquam sexcentos facta.

XV. Nam Augustinus etiam (aliàs in hac quæstione errore temporis præoccupatus) alligationem illam Satanæ factam esse scribit, *quando cepit Ecclesia præter Judæam terram in nationes alias aliasq; dilatari. lib. 20. de civ. Dei cap. 8.* id verò factum est Apostolorum tempore, qui prædicarunt Evangelium inter gentes: ergo mille annis ab Apostolorum prædicatione solutus est diabolus, & plusquam aliàs furere cepit, ita ut necesse non sit, istam diaboli solutionem ad ultimum mundi triennium referre.

XVI. Aliàs ista solutio locum suum

habet vel inprimis in Papatu. A diabolo enim habet homo ille peccati (quem nos Antichristum dicimus) omnia quibuscunq; unquam emergere & aliis inclarescere potuit.

XVII. A diabolo fuit inter Pontifices studium emergendi, per cædes, veneficia & oppressiones aliorum alias, ita ut interdum vix intra quinquennium octo sederent Papæ, & nuper admodum tres intra biennium. A diabolo fuit rabies Stephani Papæ sævientis in Formosum Papam nuper mortuum, quem Pontificiali habitu exutum, & indutum seculari è tumulo suo tractum laicorum sepulturæ mandari jussit, abscisis duobus dextræ digitis. A diabolo fuerunt parricidia Paschalis II. quæ inter patrem & filium, Henricos, Galliarum reges, excitavit. A diabolo Pontificatum consecutus est Sylvester II. hac lege, ut post mortem totus illius esset. A diabolo incantationes suas didicit Benedictus IX. qui mulieres quascunq; vellet, in amplexus suos pertrahere poterat. A diabolo idololatriam suam habuit Marcellinus, Arianismum Liberius, auri sacram famem Innocentius III. A diabolo sunt omnes illæ idolomaniæ, quarum

Vide Platinam & Baleum in vitis horum Pontificum.

rum quotidiè magnus usus est in Papatu, A diabolo sunt omnes illæ lanienæ, cædes atq; persecutiones, Sodomiæ, Veneres ac cupidines, quibus jam pridem sese universo mundo nobilitavit Papatus. Et quis deniq; dubitaret, diabolum suam quasi regiam habere Romæ, & usitatissima mancipia Monachos & Moniales, de quibus Æneas Sylvius ipse Papa, Pius II. postea vocatus olim dicere solebat:

Non audet Stygius Pluto tentare, quod audet
Infamis Monachus, plenaq́; fraudis anus.

XIIX. Ergo non negamus, Antichristum ductu ac instinctu diaboli agere omnia, quæ sua sunt, furoresq́; Satanæ in regno Antichristi longè majores esse, quā antea unquam. Est igitur hoc quoq; caput extra controversiam, & ad demonstrandum Antichristum in Papatu dominantem quam maximè appositum.

XIX. Sequitur tertium caput, de qualitate miraculorum Antichristi & iis in specie, quæ recenset Apostata: pro quibus tale adfert argumentum; *quod Judæi soliti fuerint signa petere in cœlo; quod tempore Josuæ steterit Sol in cœlo; quod tempore Hiskiæ Deus reduxerit umbram per lineas, quibus jam descenderat in horologio retrorsum*

trorsum decem gradibus. Ergo Judæos ab Antichristo etiam talia petituros signa, quos etiam præstrictus mentibus & oculis ab ipso impetrabunt.

XX. Quilibet autem videt, quam elumbis hæc sit argumentatio, à facto Dei extraordinario ad factum Antichristi ordinarium; à miraculis Dei ad miracula & præstigias Satanæ: imò ab eo, quod interdum factum est, ad id, quod semper fieri adsciverit. Judæi enim signa de cœlo petentes non semper ea acceperunt, quemadmodum notum est, quid Christus respondérit Scribis & Pharisæis signum petentibus Matth. 12, 39. *Generatio mala & adultera signum quærit, & signum non dabitur ei.* Ergo solis statio Josuæ, regressio umbræ in horologio Hiskiæ, aut alia V. T. miracula in certum utilemq; finem à Deo edita nihil faciunt ad probanda similia Antichristi miracula diabolica.

XXI. Temporum mutationes Antichristo adscribit ex illo Dan. 7, 25. de quo loco supra cap. 1 dictum est, & ostensum, nihil ibi agi de Antichristo Occidentali, sed Orientali, h. e. de Mahomete, qui quomodo tempora legesq; mutaverit, ibi fuit indicatum.

22. In

XXII. Interim tamen hoc quoq; veluti prodigio clarum sese reddidit Pontifex Romanus, quod possit dies & tempora mutare pro sua voluntate, quam sibi in his, quæ vult, pro ratione esse fingit: quando non tantum, quandocunq; sibi visum est, dies communes mutat in festos; sed vel inprimis, quando anni cursum & numerum mutavit, ausu proprio, ostendens hoc ipso se magnificatum esse in superbiâ suâ usq; ad fortitudinem cœli, & jus aliquod in ipsas quoq; stellas sibi sumere, ut prædictum fuerat Dan. 8, 10.

XXIII. De morte atque resurrectione Antichristi quæ narrat, Hiberæ næniæ sunt (ut cum Hieronymo loquar ex præfat. Pentateuchi) non Johannis vaticinia, quæ allegat ex Apoc. 13, 2. ubi quidem legitur, *unum de capitibus bestiæ quasi occisum in mortem* (quod iste de Antichristo interpretatur sine ulla ratione) *& plagam mortis ejus curatam esse, & admiratam esse universam terram*: Sed de morte atq; resurrectione Antichristi nihil quidquam.

XXIV. De Imperatoribus Romanis loquitur sanctus Apostolus, quorum imperium sub imagine bestiæ depingit, cujus virtutem bestiam alteram, h. e. Antichri-

tichristum, exeruisse dicit. Vulneratum est hujus bestiæ caput, & iterum curatum, *vel* quando interfecto Julio Cæsare, Augustus rerum potitus est: *vel* quando Imperatoria majestas in Constantinopolitanis Imperatoribus pœnè collapsa à Pontifice in Carolo Magno restituta est: ad utrumq; enim tempus quadrare videtur.

XXV. De Antichristi verò morte ista cædes nequaquam potest accipi. Nam quale hoc foret miraculum, quod, ut Apostolus futurum ait, universam terram in admirationem sui concitaret, fingere mortem, & resurrectionem à morte? Aut si letalem revera accepturus erit plagam Antichristus, ecquis, quæso, Monarchæ tam potenti, qualis quantusq; fingitur, plagam hanc letalem infligeret? monstrent hominem, notent locum: & quis tam felix ille Podalirius, qui plagam hanc tam repentè curaret? qui illi tam celeres Pegasi aut veredarii, qui spacio vix unius triennii rem tam stupendam toti mundo annunciarent, ut universa Terra admirari posset. Forsitan Luna erit harum rerum nuncia, aut soli inscribenda plaga isthæc, ne quisquam mortalium tanti facinoris ignarus relinquatur.

26. Ne-

XXVI. Nemo est, qui non intelligat puerilia ista, & prorsus ἀναπλάσματα hominum sibi sapientium figmenta, quæ una cum suo mortuo Antichristo simul moriantur & intercidant, nunquamq; reviviscant. Aliter enim mortuum Papicolarum Antichristum resurgere non credimus, quàm quod toties ex verbo Dei jugulatus & interemtus in ineptis & absurdis Papicolarum chartis subinde reviviscit.

XXVII. In quarto capite mixta sunt falsa veris. Falsum est, quod Pseudoprophetæ Antichristi tribuit ignis de cœlo productionem, quam D. Johannes ipsi Antichristo adscribit: eum enim per aliam illam bestiam intelligit, quæ de terra adscendit, Apoc. 13, 11. h.e. è medio Ecclesiæ, quæ in terris ex hominibus colligitur, quemadmodum prior illa adscendebat è mari, quia initium imperii Romani ex colluvie multorum populorũ constabat, qui tanquam aquæ multæ confluebant.

XXIIX. Atque hinc in manifesto mendacio deprehenditur Apostata, dum scribere audet, aliam illam bestiã c. 19, 20. &c. 20, 10. Apoc. vocari Pseudoprophetã, ut eo facilius Pseudoprophetæ adscribere pos- pag. 82.

possit, quæ à Johanne tribuuntur ipsi bestiæ.

XXIX. Contrarium enim in illis ipsis locis legitur: in cap. 19. quidem: *& apprehensa est bestia* ET *CUM EA Pseudopropheta*, &c. *& vivi missi sunt HI DUO in stagnum ignis & sulphuris.* in c. 20. vero: *diabolus missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi* ET *bestia* ET *Pseudopropheta cruciabuntur die ac nocte.* Quis ergo huic impostori scripturas alleganti credat? Bestia igitur est Papatus, Pseudopropheta Pontifex & Monachi, qui mendaciis suis seducunt animas hominum.

XXX. Verum autem est, quod Antichristus faciet ignem de cœlo descendere, quod dabit Spiritum imagini bestiæ, ut loquatur imago bestiæ, quod deniq; faciet, ut, qui non adoraverint imaginem bestiæ, occidantur: hæc enim omnia S. Johannes expressè ita fore prædixit. Apoc. 13, 14, 15. seqq.

XXXI. Sed isthæc omnia secundum literam intelligere, est in cortice mysteriorum divinorum hærere, nucleum nūquam tangere; imò bonam partem istorū mysteriorum vel ignorare vel abnegare. Nam de duobus testibus Enocho & Elia scriptum est Apoc. 11, 5, 6. *ignis exiet de ore eorum*

eorum & devorabit inimicos eorum: &, *habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus Prophetiæ ipsorum, & potestatem habent super aquas convertendi eas in sanguinem*: quæ omnia secundum literam ita fieri debere, ne quidem Pontificii credunt. Ergo spiritualem habent sensum etiam illa, quæ de igni cœlitus demisso, & imagine bestiæ in iisdem mysteriis habentur.

XXXII. Et hæc omnia quàm rectissimè impleta sunt in Papatu & Pontifice Romano, qui per illam bestiam præfiguratur. Is enim fecit ignem de cœlo descendere, quando fulmine excommunicationis suæ ignem furoris divini quasi cœlo deducere, eoq; summos sæpe reges & Monarchas solio suo deturbare, & ad ima tartara, si posset, præcipitare audet.

XXXIII. Is etiam dedit spiritum imagini prioris bestiæ: quod si de imaginibus & statuis sanctorum in Papatu intelligas, non admodum erraveris: his enim Pontifex cum Monachis, Pseudoprophetis suis, sæpe spiritum & sermonem dederunt, subornantes homines fraudulentos, qui arte quadam statuas, quas vellent, flentes, sudantes, annuentes, abnuentes capite simplicioribus ostentarent,

sæpe etiam per eas loquerentur, mutuati hoc ab Ethnicorum sacerdotibus, de quibus eandem fraudem referunt Augustinus lib. 3. de civ. Dei cap. 11. & lib. 10. cap. 16. & Valer. Max. lib. 1. cap. ult. &c.

XXXIV. Inprimis autem editum est hoc miraculum à Papa in Papocæsaria, qua Imperii Romani veteris dignitatem & eminentiam non tantum imitatus est, sed & superavit quàm longissimè, dum non solum principatus & Ducatus integros, qui antea Imperatori parebant, jam sub Flaminum & Archiflaminũ titulo suæ potestati subjecit; sed & in cæteris, ipsum Imperatorem ita ferè sibi subjugavit, ut jam inconsulto Papa in rebus Imperii salutẽ concernentibus nihil incipere liceat; sed ipse jactat se animã imperii, in quo legibus suis loquitur & fulminat, prout sibi visum est. *Imperator enim quod habet, totum habet à nobis* (clamat Adrianus IV. apud Aventinum lib. 6. annal.) *Ecce in potestate nostra est, ut demus imperium cui volumus: propterea constituti sumus super gentes & regna, ut destruamus, & evellamus, & ædificemus & plantemus*, &c. Ita nimirum spiritum imagini prioris bestiæ dedisse dicitur.

XXXV. Quod autem addit Apostata, fa-

ta, facturum Antichristum, ut omnes qui non adorent statuam illam Antichristi, occidantur: in eo sui immemor est: nam cap. præcedente dixerat, quod Antichristus se solum pro summo Deo sit venditaturus, Deum verum & falsos Deos omnes (ergo & idola & statuas) hostiliter prosecuturus: & adhuc clarius scribit in epist. de Antichristo pag 34. *Antichristo tantam superbiam tribuunt scripturæ, ut omnium aliorum, tam veri Dei, quam falsorum numinum nominibus & imaginibus peremtis, abolitis & funditus sublatis, se solum ut Deum, in templo Dei ostensurum adfirment:* quomodo vero hic tanto cum zelo idoli seu statuæ suæ honorem defendit?

XXXVI. Sed impleta est hæc quoque particula vaticinii, quando contra leges, & statuta Papæ, quibus totum Imperium Romanum regere audet, ne quidem hiscere licet, sub interdicto ignis & aquæ, imò sub interminatione indignationis divinæ, juxta illud Juris Pontificii: *Nullo omnino hominum liceat hanc paginam nostram statuti, ordinationis & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumserit, indignationem omnipotentis Dei & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum* Extrav. de officio delegat. cap. sedei Apostoli.

rum se neverit incursurum. Et hæc de quarto capite.

XXXVII. In probatione quinti ipse desperat. Pro eo enim adfert loca scripturæ, quibus docetur, Antichristum seducere eos, qui pereunt, & terram dividere inter suos gratuito. 2. Thes. 2. Dan. 11, 39. inde enim inferre videtur: Ergo magnis sumtibus conducet, qui hominibus persuadeant, ea quæ de Antichristo prædicta sunt, jam pridem impleta esse. Quæ quomodo cohæreant, quilibet, qui sanæ mentis est, judicare poterit.

XXXIIX. Viderit interim Apostata, quomodo his vaticiniis satisfaciat Papa, alliciendo muneribus & honoribus doctos ac indoctos, seducendo erroribus suis eos, qui pereunt, terramq; dividendo gratuitò inter Cardinales & Episcopos, cæterosque magnates, qui ad scandalia Papæ deosculanda se humiliter demittūt: præterea nihil in his testimoniis reperiet, quod quidem ad rem faciat.

XXXIX. Sextum caput prolixa probatione opus non habet. Nam ipsa dies loquitur, quantis persecutionibus adhuc sæviat Antichristus in constantiores fidei Christianæ confessores: inprimis autem

gem *docti ruunt in gladio & in flamma, & in captivitate & in rapina dierum*, ut Daniel prædixit c. 11, 33. Actum agerem, si hoc prolixius docerem, de quo tot martyrum historiæ, tot tyrannidis Antichristianæ exempla jam in publicâ luce versantur.

XL. Et nimis hebes est, qui auribus lupum non tenet, si modò animadverterit πεάξεις Italicas, furores Hispanicos, proditiones Gallicas & Anglicanas, quibus etiamnum per sanguinarios istos Monachos, nigellos Esavitas, vitæ fortunarũq; creant pericula omnibus sine discrimine, qui Papæ stercora adorare nolunt: per vim quidem, ubi potiri possunt, tenuioribus; per insidias autem magnatibus, idq; jure se facere posse sunt persuasi; id quod ipsorum libri, disputationes, sermones, de fide hæreticis non servandâ, de sacerdotibus excelsorum occidendis, de vindicta Reipub. Christianæ adversus reges impios & hæreticos, &c. testantur, & discipuli ipsorum apertè falsi sunt.

Vide Catechesin Jesuitarum German. lib. 3. cap. 8.

XLI. Unde & nonnulli subducto calculo invenerunt, ab eo tempore, quo Esavitæ orti sunt, usq; ad annum 1580 hoc est, paulò pluribus quàm triginta annis, constantium fidei Christianæ confessorũ

novies centena millia hominum trucidata esse in Belgio, Gallia, Anglia, Italia & Hispania, inter quos fuere principes 39. Comites 148. Barones 235. Nobiles 147515. cæteri plebei 70060. Quid si subsequentium horum viginti sex annorum martyres adderentur, qui non tantum in illis provinciis, sed & in nostra Germania, cædes & exilia eo nomine perpessi sunt, profectò parum aberit, quin iste numerus duplo augeretur.

D. Myl. conc. 5. de Papa pag. 75. ex D. Sacco.

XLII. Hoc nimirum est, crudelissimis suppliciis sævire in eos, qui in fide Christi constantiores reperiuntur; hoc est tribulationem facere magnam, qualis nō fuit ab initio mundi: interficere robustos & populum sanctorum: imò hoc est ebrium fieri ex sanguine sanctorum, & ex sanguine martyrum Christi, quod de Romanâ Thaide prædixit D. Johannes Apoc. 17. Atq; sic prorsus nihil est, quod in impletione hujus capitis desiderari queat.

Matth. 24. 21. Dan. 8, 25.

XLIII. Caput septimum de charactere Antichristi agit, quo insigniturus erat suos, juxta vaticinium S. Johannis Apoc. 13,16. Quem quidem characterem Apostata more Papistico de externa quadā semperq; visibili nota fronti vel dextræ impressa

pressa accipit: quis autem vel qualis ille character Utopici sui Antichristi sit futurus, non exprimit. Ut igitur ipsi hac quoque in parte gratificemur, facilimè hunc characterē ostendere possumus in Papatu.

XLIV. Pontifex enim Romanus ad sacras præbendas, & officia publica admittebat neminem, nisi qui in fictitio Cōfirmationis Sacramento exorcisato chrismate inunctus in fronte, characterem accepisset indelebilem in anima, ut vocatur in Trident. concil. sess. 7. can. 9. & nisi dexterâ suâ in omnes Ecclesiæ Romanæ articulos jurasset, quod qui non facerent, hi nec domiciliū habebant, nec larem fovebant, nec contractus inibant, nec negotia & mercantias exercebant, nec humanitatis solatia cū Christi fidelibus habebant; ut Martinus V. Papa sancivit in bulla ad inquisit. hæret. pravit. Hac nimirū obligatione tam sancta per Chrisma & juramentum accipiebant characterem in fronte & dextrâ.

XLV. Sic sacerdotibus non licebat celebrare missas, iisq; nundinari, meritaq; missarum divendere, aut aliis pro certo precio applicare, nisi accepissent prius in Sacramento (quod vocant) ordinationis characterem indelebilem: quod erat

itidem execrabile illud chrisma, multis incantationibus & exorcismis confectum, quo unguntur sacrificuli in fronte & manu dextera.

XLVII. Ergo Chrisma illud Pontificium est character ille bestiæ, in fraudem unici illius characteris, sanguine Jesu Christi nobis impressi in Baptismo. Habuit igitur hæc quoque nota Antichristi jampridem suum complementum.

XLIIX. Octavum caput ex eodem loco Apocalyptico deducit, ubi dicitur: Numerus bestiæ est numerus hominis, & numerus ejus 666. in quem locũ ita commentatur Apostata: *cujusmodi nomen sit futurum, divinari non posse, nisi quod ex literis ejus numerum 666. effici in Apocalypsi doceamur*: cujus rei exemplum producit, Bellarminum imitatus, corrupta illa nomina MARTIN LAUTER & Davidis Chythræi nomen, Hebræis literis scriptum; sed valdè ridiculè, cum nullius artificii aut difficultatis sit, corrumpere nomina, ut numerus ille 666. juxta valorem literarum ipsis congruat.

XLIX. Ita, si ludere liberet literarum apicibus, animi gratia atque exempli loco numerum istum 666. investigare, posse-

possemus in Hebræo nomine Bellarmini ולרמינש aut nostri Scioppii, hoc pacto, שכיובביוש. Parûm abest, quin eundem numerum in græco nomine σκιοπιος, quo hodie utitur Apostata (quomodo cras appellari velit, ipse jam deliberat) reperiamus. Fortasse cras vocabitur Ciopius, κιοπιους, & sic numerum hunc exactè continebit. Solet enim homo iste cum religione nomen mutare, ita ut difficile non sit, hunc ei adplicare numerum:

ו	6	ש	300	σ	200	κ	20
ל	30	כ	20	κ	20	ι	10
ל	30	י	10	ι	10	ο	70
ר	200	י	10	ο	70	π	80
מ	40	ו	6	π	80	ι	10
י	10	ב	2	ι	10	ο	70
נ	50	ב	2	ο	70	υ	400
ש	300	י	10	σ	200	σ	6
	666	ו	6		660		666
		ש	300				
			666				

Sed nolumus hujusmodi Scioppianis nugis nimium indulgere. In apicibus enim vocum corruptarum aut nominum

propriorum numerus hic quærendus non est.

Daneus in lib. 3. Bellar. de R. P. cap. 10. Bulling. in cap. 13. Apoc.

L. Igitur non desunt, qui numerum hunc intelligunt de tempore, quo verus & insignis ille Antichristus manifestabitur mundo: & dicunt fore annum 666. ab eo tempore, quo hæc scribebat Johannes; illudq; tempus ponunt in annum Domini 91. qui anni si cum 666. conjungantur, efficiunt annos 761. à Christo nato, quo tempore Pipinus Rex Francorum Romanum Pontificem in summam dignitatem evexit.

Chytr. in cap. 9. 11. & 13. Apocal.

LI. Alii tempus Antichristi cum hoc numero ita conciliant, ut doceant, hinc tempus revelati Antichristi cognosci posse, quod incidit in annum Christi 666. circa quæ tempora Bonifacium III. Gregorii successorem, Episcopi universalis titulum a Phoca impetrasse constat ex historiis.

LII. Verùm Irenæus lib. 5. adv. hæres. agnoscit esse numerum hominis, ut D. Johannes nominat, non quidem personale aut proprium nomen, quale sibi fingunt Pontificii, sed appellativum & ab adjuncto aliquo sumtum.

53. Et

LIII. Et quia D. Johannes non exprimit idioma nominis, in quo numerus iste reperiatur (unde temeritas Apostatæ nostri colligitur, qui nomen hoc Hebræum fore scribit) idcirco Irenæus ex eâ linguâ, quæ sibi familiaris erat, & qua S. Johannes Apocalypsin suam conscripsit, tria produxit nomina, quæ sanè Pontifici R. & ejus regno apprimè congruūt, illumq; numerum 666. singula continent. 1. est ἀληθὴς, quod idem est, ac pulcrè feliciterq; florens: nihil autē est florentius & ad votum illud filiorum peregrinorum Ps. 144, 12. accommodatius, quā regnum Papale. 2. τειτὰν nomen solis, qui à Barbaris adoratur. Papa verò soli se comparat, seu majori illi luminari, quod Deus in cœlo posuit ad illuminandū diem, sibiq; divinum adorationis honorē tribuere non erubescit. 3. λατεῖνος, nomen gentis. Latini autem sunt, inquit Irenæus, qui nunc regnāt, & inter eos regnat Pontifex Romanus, qui, quod Bellarminus defendit lib. 5. de R. P. c. 9. & 10. etiam ut princeps politicus gladio temporali præest Romano seu Latino territorio, & jure se præesse putat: unde omnia jam latina habet, latinā Ecclesiā, latinas preces, missam latinam, Biblia, lati-

latina in concilio canonisata: omnia sacra latina, regnum deniq; latinum.

LIV. Itaq; nomen regis à regno sumsit D. Johannes, quemadmodum Rex Hispaniarum aut Galliarum, non semper proprio personali nomine, sed usitatissimè à regno Hispanus aut Gallus nominatur. Elige tibi ex hoc numero, Apostata, quodcunq; voles, vides utiq;, etiam hanc vaticinii particulam Antichristo tuo larvato nihil prorsus convenire, Pontifici verò tuo omniū optimè accōmodari posse.

LV. Nonum caput ne quidem semel probare conatur. Vivunt autem per Dei gratiam aliquam multa Christianorum millia, qui characterem bestiæ non acceperunt, & famem nondum passi sunt, nedum ea enecti: ergo impudens hoc Sciopii commentum est, & nescio, an à quovis Utopici istius Antichristi patrono adsertum, *fame morituros, quicunq; Antichristi characterem non acceperint.* Videat itaq; & rideat mihi homo pius hunc nugatorem.

LVI. In decimo capite proponit fabulam de Enoch & Elia, prædicaturis Evangelium, durante regno Antichristi, à quo tandem interficiendos eos esse narrat. In probatione hujus capitis docet.

1. Judæos hodieq; inter Traditiones à majoribus acceptas hanc habere, Eliam in tempore Gog in terras reversurum.

LVII. Nos verò fabulas & traditiones Judæorum non moramur: & si Bellarmino (quanquam siniſtro judicio) visum est, malè consuli Ecclesiæ, si in rebus gravibus recurrendo ad Hebræos codices Biblicos, veritatem à Rabinis hostibus emendicare deberet: multò magis, imò longè verius judicamus, pessimè consuli rebus fidei, si ex traditionibus Judæorum, h.e. fabulis & commentis hominum emendicemus veritatem.

LIIX. 2. Adducit ex scripturis loca nonnulla, quæ translationem Enochi & Eliæ in cœlum partim describunt, partim confirmant: de quibus sanè nulla nobis est controversia, ideo hoc labore supersedere potuisset.

LIX. 3. Denique alia proponit, è quibus reditum istorum sanctorum ad has terras demonstrare conatur. Primus locus est Ecclesiastici cap. 48. 9. qui dicit, Eliam in hoc conscriptum esse, ut in judiciis temporum leniat invidiam Domini, & conciliet cor Patris ad Filium, & restituat tribus Jacob.

LX. Ipse sonus verborum arguit, respicere Siracidem ad locum Mal. 4. atq; falsa

falsa opinione deceptum existimasse, Eliam ipsum in persona rediturum, cum tamen aliter doceremur in Novo Testamento, quemadmodum in vera expositione loci Malachiæ jam indicabitur: ergo hac autoritate libri Apocryphi hoc loco non movemur.

LXI. Secundus igitur locus est Malach. 4. quod totum caput novus hic Bibliorum interpres de Antichristi temporibus interpretatur, sed absurdè pariter ac impiè. Nam manifestum est, vaticinari prophetam de ortu & nativitate CHRISTI, quem solem justitiæ nominat, v. 2. oriturum timentibus nomen ejus, quem Zacharias etiam jam ante in simili vaticinio *virum orientem* nominaverat, Zach. 3, 8: 6, 12. ex quibus locis Zacharias Baptistæ pater ipsum *orientem ex alto* vocabat, Luc. 1, 78.

De cap. 4. Malach.

LXII. Ita quod Propheta de Christi ortu prædixit, id novitius hic interpres de ortu Antichristi, & velut occasu Christi circa tres postremos mundi annos exponit: quod Propheta vers. 4. de lege Mosis servanda auditoribus inculcat, hoc iste de legis transgressione accipit: quod Propheta de lege in Horeb monte Judææ lata loquitur, hoc iste de arca fœderis in ter-

terra Moabitarum monte Nebo reperienda interpretatur.

LXIII. Adeò fortiter spirat Antichristianus iste spiritus ex hoc homine, qui linguam suam ad id quasi conduxit, ut Christo & Prophetis ejus in os obloqueretur. Id quod manifestius fiet; ex postremis duobus versiculis, in quibus adventus Eliæ promittitur, antequam veniat Christus in carnem, qui convertat corda patrum ad filios, &c.

LXIV. Nam dum iste etiamnum expectat Eliæ adventum, vel potius reditū in terras, eo ipso obloquitur SS. Prophetis, & Christum in carnem nondum venisse credit; quia præcursor ejus, ex opinione sua, nondum venit: hic autem Judæorum error est, & Judaizantium hæreticorum, qui ante ἠλειμμένον suum Heliam putant esse venturū & restituturū omnia, dicente Hieronymo super c. 4. Malach.

LXV. Dum autem Eliæ Propheræ reditum à Malachia promissum opinatur, obloquitur ipsi Christo, qui hunc locum de Johanne Baptista interpretatur, Matth. 11. vers. 24. *Si vultis eum*, (Johannem) *recipere, ipse est Elias, qui venturus est*: obloquitur etiam Archangelo Gabrieli, qui

hunc

hunc locum Prophetæ expressis verbis directè de Johanne interpretatur, Luc. 1,17. *Ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ; ut convertat corda patrum ad filios, & incredulos ad prudentiam justorum, parare Domino plebem perfectam.*

LXVI. Ergo complementum suum habuit hoc vaticinium in Johanne Baptista, qui integro semestri nativitate sua adventum Christi in carnem antecessit, & concionibus suis Christo ministeriũ suum jam jam incoaturo viam præparavit.

LXVII. Neque verò obstat, quod Scioppius hoc vaticinium Malachiæ de ultimo Christi adventu accipit: ne cogatur vel Judaismum admittere, vel vaticinii hujus impletionem jam factam concedere; idq; ex hoc fundamento; *quia dies adventus DOMINI vocatur dies magnus & horribilis, cum vicissim dies incarnationis fuerit dies salutis & benignitatis.*

Sib. Lub. lib. 10. de Papa c. 7. Mat. Sutlin. l. 5. de R. P. c. 28.

LXIIX. Nam 1. possemus hîc cum quibusdam illud Hebræum הַכּוֹרָה reddere, non horribilem, *sed reverendũ & honorabilẽ*, qualis dies omni honore & veneratione dignissimus fuit dies incarnationis Domini. quippe dies ille, quem fecit Dominus. 2. Possemus cum Pontificio quodam scriptore

ptore diem illum horribilem intelligere de judicio Dei, quo tempore Titi & Vespasiani terram Judæorum percussit, quia prædicatione Johannis Baptistæ noluerunt credere. *Joh. Feria in cap. 11. Matth.*

LXIX. Sed sciendum est 3. loco diem illum Incarnationis Domini, & salutarem fuisse & horribilem, diverso respectu: salutaris apparuit *hominibus* Tit. 2, 11, inprimis autem, ut Zacharias ait, nomen Domini timentibus Zach. 3. 8: magnus autem & terribilis *diabolis*, quibus apparuit Messias, non ut Salvator, sed ut devastator operum diabolicorum 1. Joh. 3. 8: idq; ipsi diaboli fatentur, Matth. 8. 29: *quid nobis & tibi Jesu fili Dei? veniſti huc ante tempus torquere nos.*

LXX. Horribilis etiam erat incredulis Judæis. Nam cum adventu Christi incarnem, perditio simul gentis Judaicæ adveniebat, propter stupendam contumaciam, qua excæcati noluerunt salutem mundi recipere: quam ob caussam ipsi rejecti, & in ipsorum locum gentiles recepti fuerunt, quemadmodum Prophetæ prædixerant.

LXXI. Proinde & Judæis, & Pontificiis Judaizantibus, qui Eliæ Prophetæ adventum adhuc expectant, respondemus ex

ore Salvatoris, qui in simili casu discipulis suis ita respondebat, Matth. 17. 11. *Elias quidem venturus est, & restituet omnia: dico autem vobis, quia Elias jam venit, & non cognoverunt eum.*

LXXII. Utinam autem, quemadmodum discipuli Christi; sic & Judæi & Papicolæ Judaizantes non tantum quærerent, sed & intelligerent cum discipulis, quod de Johanne Baptista & Christus & Prophetæ Malachias dixisset! nam quod personam Eliæ Thesbitæ in cœlum recepti, frustra præstolentur, exinde colligere deberent, quod Johannes Baptista interrogatus; num esset ille Elias Thesbites, eum se esse negavit, Iohan. 1, 21. quia nimirum istum Eliam rediturum nescivit; cum tamen non potuerit esse nescius, quam graviter & constanter Gabriel Archangelus vaticinium Propheticum de Elia, ad se suumq; officium accommodaverit.

LXXIII. Quapropter, etsi nonnulli ex patribus, inprimis Augustinus tract. 4. in Iohan. Cyrill. lib. 1. in Ioh. cap. 24. Damascenus lib. 4. Orthod. fid. cap. 28. hunc locum de Elia Thesbite ante finem mundi adventuro, falso Judæorum errore falcinati, accipiunt: tamen multitudo errantium non

non facit errori patrocinium: antiquitas nostra Christus est hoc in loco, & si ab illo discesseris, Archangelus Grabiel, & Iohannes Baptista, testes omni exceptione majores; qui luculentissimis verbis super istum Prophetæ locum quasi commentarium scripsêre; à quo vel latum unguem recedere in ullius hominis gratiam, religio nobis fuerit.

LXXIV. Quartus locus ab Apostatâ adducitur ex Apoc. 11, 3. ubi legitur de duobus testibus, eorumq́ prædicatione & miraculis tempore Antichristiani regni: item quomodo finito testimonio suo interficientur ab Antichristo, & post tres dies & dimidium reviviscent, &c. *De loco Apoc. 11. 3.*

LXXV. Hæc omnia Scioppius κατ' ἐπίδοσιν accipit de Elia & Enocho: hos prædicaturos dicit ante finem mundi, durante regno Antichristi, diebus 1260: hos itidem interfectos iri ab Utopico isto Antichristo; & tandem post tres dies & dimidium in vitam redituros, & sic multos in fide Christianorum confirmaturos: Iudæos autem quamplurimos conversuros, ut in sequente membro paulo post sequetur.

LXXVI. Sed sunt hæ nugæ gerris siculis vaniores. Eliam ipsum è paradiso

non rediturum, jam audivimus: ergo nec Enochum: multò minus amplius aliquid perpessuri sunt inter homines. Sanctorum enim animæ in manu Dei sunt, & non patiuntur tormentum Sap. 3. 1. magnus hiatus est confirmatus inter hos & cæteros, ut è sede beatitudinis suæ exire non possint, ut ex parabolâ Christi colligitur, Luc. 16, 26. corpora quoq; ipsorum sunt glorificata & ἀπαθῆ, ut constat ex 1. Cor. 15. quomodo ergo Antichristus in ea sævire poterit?

LXXVII. Præterea regni Antichristiani & prædicationis istorum duorum testium idem erit terminus, nimirum finis mundi: nam ut duobus testibus dies 1260, ita Antichristo menses 42. (quos diebus illis respondere dicit Apostata) adsignat D. Johannes: quomodo igitur Enoch & Elias ab Antichristo poterunt interfici?

LXXIIX. Quod si locum habet figmentum Apostatæ, interficientur hi duo testes ab Antichristo post mortem Antichristi. Prædicabunt enim usq; ad finem mundi: Antichristus autem diebus 45. ante finem mundi interiturus scribitur ab hoc Apostata: porrò si cadavera illorum jacebunt in plateis civitatis magnæ, quam Hie-

Hierosolymam esse volunt Pontificii, idq; diebus tribus cum dimidio, sequitur, post finem mundi, consumtis omnibus elementis, superstitem adhuc fore Hierosolymam; & hos duos testes diebus tribus cum dimidio post novissimum diem resurrecturos, & sic novissimus dies non erit novissimus: quæ omnia quam concinnè cohæreant, quam benè consentiant, judicet Apostata ipse, si bonus est.

LXXIX. Præterea si prædicaturi sunt ipsissimi Enochus & Elias, paulò ante novissimum diem, & quidem prædicatione sua multos conversuri ad fidem, multos in fide confirmaturi; quid fiet illi Salvatoris, Luc.18, 8. *Filius hominis veniens putasne fidem inveniet in terrâ?* Scilicet discipuli erunt supra magistrum!

LXXX. Ulterius si diebus tribus & dimidio præcisè juxta vulgares dies numeratis, prædicaturi sunt, nonne certissimus dari poterit dies, imò momentum exactum adventus Domini ad judicium; istis ad minimum hominibus, qui tum in vivis sunt futuri? id verò & angelis & ipsi Filio hominis in statu exinanitionis suæ non fuisse cognitum, ex sacris literis didicimus, Mar.13, vers.32. imò ignorare nos illud voluit

fuit Deus, Matth. 24, 44. Actor. cap. 1. vers. 7.

LXXXI. Hæc absurda omnia fabulam illam Papisticam de Enochi & Eliæ concionibus, miraculis, interitu, & resurrectione non immeritò suspectam faciunt.

LXXXII. Scire autem debet Apostata, ea quæ de testibus illis prædicuntur, jampridem fuisse completa. Testes enim illi nihil aliud sunt, quàm orthodoxi confessores veritatis, inprimis autem sinceri Ecclesiæ doctores; quorum duo hîc, indefinitè tamen & absq; nomine, introducuntur, quia in ore duorum aut trium consistit omne verbum Deut. 19, 15. Matth. 18, 16. Ioh. 8. vers. 17. 2. Cor. 13. 2. Heb. 10, 28.

LXXXIII. Erunt induti saccis, quia homines inprimis ad agendam pœnitentiam cohortabuntur: hi magnâ erunt autoritate præditi, ut impetrare possent à Deo precibus quidquid salutare esset Ecclesiæ, & noxium hostibus, non secus ac olim Elias precibus suis cœlum claudere & recludere potuit, 1. Reg. 17. 2. Reg. 1.

LXXXIV. Tempus prædicationis certum pro incerto ponitur, quia Deus verbi sui prædicationem conservabit ad finem usq; mundi, quem certò constituit, nobis autem

aurem incertum esse voluit: tale tamen tempus exprimitur, quale ferè etiam durationi regni Antichristiani destinatum est, ut doceretur, durante Antichristi tyrannide, nunquam defuturos Ecclesiæ ingenuos veritatis confessores.

LXXXV. Tandem autem occiduntur ab Antichristo, qui sanguine martyrum & confessorum istorum factus est jampridem ebrius, quorum cadaveribus oculos pascit in ipsa urbe, quæ spiritualis est illa Sodoma & Ægyptus, in qua Christus in membris suis quotidie crucifigitur: sed Deus continuo alios dedit Ecclesiæ suæ doctores & confessores, in quibus spiritus priorum martyrum ac confessorum revixit, quosq; Romana bestia non potuit occidere, sed spiritus ipsorum placidâ morte adscendit in cœlum, quemadmodum hoc in Beato Patre Luthero & fidelibus ejus συμμύσαις eventus per Dei gratiam comprobavit.

LXXXVI. Quod si in his mysteriis Apostata omnia secundum literam vult intellecta, modò ne cogatur Antichristum in Pontifice suo agnoscere; utiq; jam modo vidit, quibus se tricis & absurdis implicet: pariliq; facilitate Judæi omnia vaticinia de Messiæ in carne adventu enervare poterũt,

quia gladii nondum versi in vomeres, neq; mons domus Domini in vertice montium positus, quod prædictum fuit Esa. 2, 2. Mich. 4, 1. nec omnes viæ planæ sunt, quod prædicitur. Esa. 40, 4. &c. quæ omnia qui secundum literam accipienda esse contendit, næ illum in Prophetarum scriptis hospitem esse, & in Anabaptistarum castra palàm concedere necesse est.

LXXXVII. Sed dimittimus vel tandem Eliam & Enochum: & ad caput undecimum progredimur, in quo de conversione Judæorum ex istâ Eliæ & Enochi prædicatione subsecuturâ, agitur: Ea verò ex hoc ipso fundamento concidit, quia figmentum de Eliæ & Enochi prædicatione jam dirutum est.

LXXXIIX. Aliàs Judæorum nonnullorum conversionem ante diem novissimum futuram, non imus inficias: promisit enim Deus, se tempore Novi Testamenti etiam possessurum Iudam partem suam Zach. 2, 12. & Apostolus testatur, cæcitatem ex parte contigisse in Israël, donec plenitudo gentium intraret Rom. 11, 25, sed de conversione ex prædicatione Eliæ & Enochi tempore Antichristi istius utopici oriturâ nihil prorsus habet universa scriptura,

&

& dicta, quæ noster Apostata hîc producit, id quod ipse vult, nequaquam probant.

LXXXIX. Primùm enim locus, Ose. 3, 4. agit quidem de conversione filiorum Israël ad Dominum Deum suum, & ad David regem suum, hoc est, ad Christum ex prosapia Davidis oriundum, qui itidem David appellatur, Ierem. 30, 9. Ezech. 34. 23. Sed hæc conversio non demum fiet annis tribus cum dimidio ante novissimum diem, sed jam facta est, & etiamnum fit, quando nimirum subinde Iudæorum aliqui, Deo largiente virtutem, partim diuturno suo exilio edocti; partim vanâ Messiæ sui exspectatione defatigati; partim etiam verbo Dei, viva voce scriptisq; à Christianis prædicato, adducti & convicti agnoscunt promissiones de Messia in IESU NAZARENO adimpletas esse. *De loco Ose 3. 4.*

XC. Hi nimirum sunt dies illi novissimi, quos Apostolus Paulus plenitudinem temporis appellat Gal 4: videlicet, non dies Antichristi Papistici, sed dies Christi incarnati; quo tempore absq; rege, absq; Principe, absq; sacrificio & sacerdote fore Iudæos, ipsorum Rabini ex hoc Prophetæ loco agnoverunt, quemadmodum ipsorum verba annotavit P. Galatinus l. 9. c. 6.

Unde sequitur, complementum hujus vaticinii non præcisè ad ultimos tres mundi annos, sed ad totum tempus Novi Testamenti referendum esse.

De loco Dan.12. vers.1.

XCI. Deinde locum Dan.12,1. *In tempore illo salvabitur populus tuus* (Iudaicus, addit de suo Apostata) *omnis qui inventus fuerit scriptus in libro vitæ*; de temporibus Antichristi revelationem insectatis libenter intelligimus: sed de salute populi tantùm *Judaici*, quod vult Apostata, salvâ pietate & illibatâ veritate vaticinii, non possumus.

XCII. Non enim Iudaicus tantum populus inscriptus est in librum vitæ, quemadmodum nec ille solum salvabitur, sed sicuti salus, ita & inscriptio in librum vitæ, seu electio ad salutem omnium est, qui invocant nomen Domini Ioel 2, 32. hoc est, omnium qui sunt κεχαριτωμένοι in Christo, interprete D. Paulo Eph.1, 6. sive gentes sint sive Iudæi, modò per fidem in Christo fuerint. *In Christo enim Jesu neq; circumcisio aliquid valet, neq; præputium, sed nova creatura*, Gal.6, 15. atq; hanc ob caussam universaliter loquitur de salute *omnis populi* in librum vitæ inscripti.

XCIII. Solatur itaq; Deus Ecclesiam, quod in mediis Antichristi furoribus nihilomi-

lominus sibi reservaturus sit electos & verè fideles, qui miraculis ac prodigiis Pseudoprophetarum in regno Antichristi seduci non poterunt, Matth. 24. sed salvabuntur quotquot inscripti fuerint in librum vitæ, sine respectu gentis aut personæ, eò quod impossibile sit, electos gratiâ Dei finaliter excidere aut perire posse.

XCIV. Tertius locus ex Luc. 21, 24. ad institutum Apostatæ planè est ἀπροσδιόνυσος. Ita enim habent verba: *Jerusalem calcabitur à gentibus, donec impleantur tempora gentium.* Apostata legit, *tempora nationum*, & interpretatur de conversione gentium, ex illo Apostoli Rom. 11, 25. *cæcitas ex parte contigit in Israël, donec plenitudo gentium intraret*, &c. *De loco Luc. 21. vers. 24.*

XCV. Sed multiplex hîc error est. 1. in græco non legitur *tempora* γεναιῶν sed ἐθνῶν, quod vocabulum hîc, de gentilibus à Iudæis contradistinctis usurpatur. 2. Nulla est consequentia: *Jerusalem calcabitur à gentibus, donec convertantur nationes: ergo prædicatione Eliæ & Enochi tribus annis ante finem mundi convertentur Judæi*: ut nihil dicam, quod Antichristus iste Papisticus, qui ex opinione Pontificiorum calcabit Ierusalem, non erit ex gentibus, sed Iudæis, fatente Apostata.

3. non

3. non loquitur ibi Salvator de periculis antecedentibus finem mundi, sed excidium populi Iudaici. Ergo totus hîc Apostata in ignota versatur regione.

XCVI. Vera autem sententia est, quod Ierusalem à gentibus, Romanis nimirum, obsidenda, destruenda, conculcanda, dominioq; imperii possidenda sit tamdiu, donec tempora dominii gentilis impleantur, seu donec Iudæi non amplius peregrinum, sed Iudæum habituri sint Dominum: id vero nunquam fiet: semper enim gentes, hoc est, vel Christiani vel Turcæ Iudæorum erunt domini, usq; ad consummationem seculi. Est igitur hæc perpetuæ servitutis descriptio, quam Iudæis post ultimum urbis excidium Dominus jampridem prædixerat Dan. 9, 22. *usq; ad consummationem & finem perseverabit desolatio.*

XCVII. Quartò producit locum ex Apoc. 7, 4. ubi scribitur numerum signatorum ab Angelo fuisse 144000. Hos putat esse eos, apud quos prædicationes Eliæ & Enochi profecerint: quibus addit alia centum quadraginta quatuor millia, quorum meminit D. Iohannes Apoc. 14, 1.

XCIIX. Sed revera non est hæc confirmatio, sed levissima detorsio textus Biblici.

blici. Nam in illis locis ne jota quidē extat de prædicationibus Eliæ & Enochi: hanc igitur expositionem suam ad hæc loca affert Apostata, non inde aufert, quod non est candidi interpretis.

XCIX. In septimo enim capite nihil adhuc habet de Antichristo, sed de hæresibus, quæ bonam partem ante revelationem Antichristi Ecclesiam vastaturæ erant; quales erant hæreses Tatianorum, Marcionitarum, Novatianorum, Arianorum & similium, inter quas tamen Deus electos suos sibi consignasse dicit, quos errores illi seducere non poterant, tam ex omni tribu Israël, quam ex omnibus gentibus & tribubus & populis, & linguis, ut vers. 9. sequitur; idq; ex parte Apostata ipse non diffitetur, quando pag. 94. caput nonum Apocal. ad primum Væ refert, quod est hæreticorum ante Antichristi tempora: ergò multò magis septimum eò referendum erit.

C. In cap. 17. agitur quidem de temporibus Antichristi, quomodo Deus semper aliquos signaturus sit, quibus errores & blasphemiæ Antichristi nocere nequeant; sed nihil ibi legitur de prædicatione Eliæ & Enochi. Fit hoc ex bonitate Dei quoti-

quotidiè, per ministerium eorum, qui orthodoxè docent de Deo Patre & Filio, ejusdemq; essentiâ, personâ, voluntate & officio: qua doctrinâ multi obsignantur & confirmantur in agnitâ veritate. Fruſtra igitur hæc omnia pro Iudæorum conversione, operâ Eliæ & Enochi triennio ante finem mundi futurâ, adducta fuerunt.

De loco Dan. 11. vers. 41.

CI. Sequitur duodecimum caput, de fuga Ecclesiæ in deserta, & cessatione sacrificii tempore Antichristi. Pro fuga Ecclesiæ adfert primò locum Danielis ex c. 11, 41. *Introibit* Antichristus *in terram gloriosam & multæ corruent; hæ autem solæ salvabuntur de manu ejus, Edom & Moab & principium filiorum Ammon.*

CII. Neq; de fuga Ecclesiæ, neq; de fuga in desertum verbulum extat in hoc loco: sed de nonnullis è manu Antichristi liberandis, quod licet non per fugam in desertum, alio tamen fieri potuit modo: idq; factum est, durante tyrannide Papæ, plenisq; velis in Ecclesia grassantibus persecutionibus ejusdem.

CIII. Ibi enim ex Antichristi manibus erepti sunt. 1. *Edom*, id est, sancti martyres (Edom enim à sanguineo colore nomen habet) qui bestiæ Romanæ ad sanguinem

nem usque restiterunt, veritatemq; cœlestem contra errores Antichristi morte suâ obsignarunt. 2. *Moab*, hoc est, confessores veritatis intrepidi, sub ipso regno Antichristi, qui מואב à Patre suo cœlesti & fide in Christum nunquam defecerunt, licet ob confessionem istam non fuerint interfecti, sed mirabili modo ex sanguinolentâ manu Antichristi liberati, quorum catalogus benè longus in multorum libris recitatur, & eorum confessiones, protestationes & testimonia contra Papatum deposita in Catalogo testium veritatis reperiuntur. 3. *Principium filiorum Ammon*, hoc est, infantes baptisati in Papatu, & post baptismum statim defuncti.

CIV. Hi sanè omnes furores Antichristi effugerunt, & ab erroribus ejus liberati conscientiam puram & fidem non fictam retinuerunt: quos propterea Spiritus S. introducit sub imagine Edomitarum, Ammonitarum, Moabitarum, gentium abjectissimarum, in conspectu Iudæorum; quia nihil abjectius, vilius & execrabilius est Antichristi satellitibus in Papatu, quàm illi tres hominum cœtus, quos etiam non nisi odioso hæreticorum nomine diffamare solent, quos tamen Deus pro nucleo electorum

ctorum suorum, tanquam ex manu Antichristi singulari consilio ereptos, habere solet.

De loco Esa. 16. 4.

CV. Deinde adfert locum Esaiæ cap. 16, 4. in cujus explicatione prorsus cæcus est glossator noster. *Absconde*, inquit Propheta, *fugientes* (Antichristum, ait Apostata, cujus typus erat Nabuchodonosor) *& vagos ne prodas: habitabunt apud te* (in desertis tuis, addit Apostata) *profugi mei: Moab esto latibulum eorum à facie vastatoris* (propter Antichristum, ait ille, se occultantes) *finitus est enim pulvis* (Chald. hostis) *consummatus est miser* (Chald. deprædator) *qui conculcabat terram. Et præparabitur in misericordia solium* (id est, ait glossator, post Antichristum statim sequetur judicium) *& sedebit super illud in veritate, in tabernaculo, judicans & quærens judicium, & velociter reddens, quod justum est.*

CVI. His verbis, quæ de populo Dei scribit Propheta, miser iste scripturæ interpres, perversâ planè ratione de Antichristo accipit: quæ Propheta de regno gratiæ Christi; iste de judicio Christi novissimo intelligit: & sic totum hunc locum pessimè corrumpit.

CVII.

CVII. Manifestum enim est ex toto isto capite, Esaiam contra Moabitas stilum stringere, iisq; pœnas divinitus destinatas prædicere: inprimis autem exilium & devastationem terræ suæ. Cum enim antehac Moabitæ plus satis Judæos risui & despectui habuissent: Jam Dominus vicissim ridet eos, & ironicè ipsis suadet, ut abscondant & recipiant fugientes & exulantes Judæos, exprobrans hoc pacto ipsorum inhumanitatem, quod consanguineorum, suorum Judæorum hactenus nullam curam habuerint, nec hospitio eos exceperint, sed hosti prodiderint: nunc autem rem eò rediisse, ut licet fugientes recipere, persecutionem patientes ab hoste defendere velint, id tamen facere non possint: ipsos enim patriâ extorres, omnibusq; destitutos auxiliis, non habere, ubi consistant: sublatos esse è medio hostes & deprædatores Judæorum, ipsosq; Judæos in integrum restitutos iri, quorum felicitatem ipsi non sine invidiâ sint visuri.

CIIX. Atq; hac occasione digreditur ad descriptionem regni Christi, quod sibi in hoc mundo præparaturus sit in misericordia & veritate, in tabernaculo seu domo Davidis, unde Christus secundum car-

nem oriundus erat, in quo regno Iudæi pariter & gentiles spiritualem animæ felicitatem perpetuò sint habituri. Quæ verba perperam & sine ulla ratione Apostata de novissimo judicio intelligit.

CIX. Nam 1. hoc solium præparavit sibi Christus *in misericordiâ*: in novissimo autem judicio non amplius erit misericordiæ locus, sed justitiæ, unde judicium illud vocatur justum judicium, Rom. 2, 5. & ipse justus judex 2. Tim. 4, 8. hic autem in Ecclesia locus est misericordiæ, ubi absolvit peccatores ex meâ gratiâ & misericordiâ, quæ absolutio ultra hoc seculum extendi non potest. 2. Præparavit hoc solium *in tabernaculo seu domo David*: tabernaculum autem seu solium extremi judicii aliter describitur, nimirum ut solium gloriæ, Esa. 63, 15. ut sedes virtutis ac majestatis, Matt. 24, 30: 25, 31. ut solium excelsum & elevatum, Esa. 6, 1. quæ omnia ad tabernaculum David non quadrant, quod humile & contemtum erat. In regno autem gratiæ suæ apparuit in domo David, è qua natus erat secundum carnem, Rom. 1, 3. & è qua patribus olim promissus fuerat, inprimis 2. Sam. 7, 12. ideo in veritate dicitur sedere super solium, quia promissiones Patribus

facta-

factæ in ipso certò erant adimplendæ: 3. dicitur *velociter reddere quod justum est*, vel juxta Hebræum codicem, *accelerare judicium & justitiam suam*. Jam verò si de novissimo judicio hic loquitur Propheta, non esset acceleratio, sed quasi procrastinatio justitiæ suæ: ipse verò non differt justitiæ suæ rationes in ultimum usque judicium, sed qui non credit in eum, JAM judicatus est, Joh. 3. vers. 18. & in foro justificationis nostræ non multis ambagibus utitur, sed in momento absolvit peccatorem credentē.

CX. Ita pulcerrimum hoc vaticinium insultus iste glossator transferendo & crinibus trahendo ad Antichristum suum, miserè depravavit: quod jam in integrum restituimus. Et hæc de fuga Ecclesiæ in deserta attulit: in quibus nihil minus, quam quod probare constituerat, vidimus; quod omnes pii judicent.

CXI. Jam, pro cessatione sacrificii tempore Antichristi, adfert 1. Locum Danielis cap. 9, 27. de defectu hostiæ & sacrificii ante abominationem desolationis in templo: quod iste de defectu Pontificii sacrificii Missæ intelligit.

CXII. Sed hic iterum, quæ de Christo prædicta sunt, ad Antichristum suum

De loco Dan. 9. vers. 27.

detorquet. Certissimum enim est, & ab eruditioribus Pontificiorum interpretibus etiam approbatum; 1. illud dimidium hebdomadis, in quo deficiet hostia, notare tempus illud, quod mortem Christi paulò post fuit insecutum. 2. Opinionem illam Irenæi & aliorum, (quos hoc loco sequitur Apostata) qui abominationem istam desolationis de Antichristo accipiunt, non esse convenientem sententiæ Angeli apud Danielem: is enim loquitur de nece Messiæ & vindictâ ejus necis, non longè post LXX. hebdomadas de Judæis sumenda: unde inferunt etiam nonnulli Pontificii scriptores, quod de abominatione desolationis dicitur, ad Antichristum referri non debere, quippe cujus adventum isti in ultimum articulum mundi rejiciunt. 3. Denique defectum illum hostiæ & sacrificii de sacrificiis veteris legis omnibusq; ceremonialibus Judæorum intelligendum esse: ea enim abroganda erant, postquam verus ille agnus Dei in ara crucis pro nobis immolatus fuit, hostiam & oblationem offerens pro peccatis, ut Apostolus loquitur, Hebr. cap. 10, vers. 12. in quam sententiam multa habet Pererius Esavita lib. 10. in Daniele pag. 632. seqq. Ergo ex Pontificiorum

Vide Pererium lib. 10. in Dan. pag. mihi 939.

rum etiam sententiâ nihil habet Daniel hoc loco de Missæ sacrificio.

CXIII. 2. Alter locus est Dan. cap. 12, vers. 11. *A tempore, cum ablatum fuerit juge sacrificium, & posita fuerit abominatio in desolationem, dies mille ducenti nonaginta.* *De loco Dan. 12. vers. 11.*

CXIV. Per hoc juge sacrificium intelligit, juxta communem stilum Pontificiæ curiæ, sacrificium Missæ, quod ab Antichristo sublatum iri fingunt. Sed de tali jugi sacrificio, quale isti somniant, altum est silentium in universâ scripturâ.

CXV. Meminit scriptura Veteris Testamenti jugis sacrificii Levitici Num. cap. 28, vers. 31. quod ab Antiocho tollendum prædixerat Angelus apud Danielem cap. 8. & 11. In Novo quoq; Testamento fit mentio perpetui sacrificii, quod est CHRISTUS ipse, immaculatus ille Agnus DEI, de quo Epistola ad Hebræos testatur, quod æternum habeat Sacerdotium, Hebr. cap. 7, vers. 24. quodq; unam offerens hostiam pro peccatis in sempiternum sedeat in dexterâ DEI, Hebr. cap. 10, vers. 12.

CXVI. Præter hæc duo ullum aliud juge sacrificium ignorat, præsertim tale, in quo Christus quotidiè denuò offeratur, quod in Missa fieri contendunt: id verò ne

quidem CHRISTUS ipse facere posset, alioquin oporteret eum frequenter pati ab origine mundi, ut Apostolus concludit, Heb. 9, 26: unde Augustinus fatetur, *singulari & solo vero sacrificio Christi pro nobis sanguinem effusum lib. 1. cont. adversar. legis & proph. cap. 18.*

CXVII. Est ergo juge sacrificium Novi Testamenti passio & mors DOMINI, & puta de ea prædicatio, qua de re Cyprianus scribit lib. 2. epist. 3. sub finem: *passio est Domini sacrificium, quod offerimus.* Hoc ergo juge sacrificium Christi a Pontifice R. sublatum est, & in ejus locum Missa substituta.

CXIX. Nam *ille utiq; Sacerdos vice Christi vere fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur, & sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesia Deo patri, si sic incipiat offerre, secundum quod ipsum Christum videat obtulisse*, inquit iterum Cyprianus l. d. Christus autem jussit non offerre, sed edere & bibere corpus ac sanguinem suum in Sacramento: non sub una tantum specie, sed utraque: horum autem contrarium fit in Papatu: ergo Cypriano judice, sacerdotes Papistici vice Christi vere non funguntur, & Sacrificium verum non offerunt, sed tollunt, dum CHRISTUM quotidiè incruento more etiamnum crucifigunt.

CXIX.

CXIX. Taceo, quomodo doctrina de passione & morte Domini, adeoq; universum Evangelium enervetur & corrumpatur traditionibus de meritis & satisfactionibus hominum, de purgatorio, de indulgentiis & aliis, quæ hinc dependent, quæq; Missa Papistica instar caudæ draconis Apocalyptici secum trahit: quibus sanè omnibus juge & verum illud Sacrificium nostrum passionis Dominicæ, quoad fructum, vim & efficaciam suam à Papicolis è medio tollitur, ita ut in hujus quoq; notæ Antichristianæ impletione nihil amplius desideretur.

CXX. 3. Pergit tamen Apostata tertio loco pro auferendo sacrificio Missæ tempore Antichristi, varias coacervare scripturas, in hunc sensum:

Quidquid CHRISTUS fecit in institutione sacræ cœnæ, id Sacerdotes Novi Testamenti adhuc faciunt, juxta illud: *hoc facite in meam commemorationem*, h. e. offerendo sacrificium Eucharistiæ commemorate & repræsentate sacrificium crucis meæ: Facere enim pro sacrificare & offerre sæpe usurpari.

Sed Christus obtulit seu sacrificavit panem & vinum, quia fuit Sacerdos secun-

dum ordinem Melchisedech, Psal. 110. Hebr. 7, 5. qui obtulit panem & vinum, Gen. 14.

Ergo Sacerdotes offerunt seu sacrificant panem & vinum in S. Eucharistia: idq; quia fit in omni loco, juxta vaticinium Malach. 1. in omni etiam tempore, die ac nocte, (siquidem cum simul apud hos quidem nox, apud illos dies sit; apud hos vespera, apud illos manè, semper in orbe locus est, in quo sit antemeridianum tempus, quo Catholici Missam faciant) rectè Missa à Daniele juge sacrificium vocatur: quod tempore Antichristi auferetur, ut non continuo in omni loco omnibusque horis peragatur.

CXXI. Hic est συναθροισμὸς argumentationis Scioppianæ, ad quam paucis respondeo: Et 1. quidem ad majorem dupliciter: 1. malè facit, quod ministros N. T. Sacerdotes vocat. Expiravit enim sacrificiorum propriè sic dictorum usus, post unicum illud à Christo peractum sacrificium in arâ crucis: nisi forte Ecclesiæ ministros sacerdotes voces, quemadmodum D. Paulus se ἱερεγοῦντα εὐαγγέλιον θεοῦ appellat, Rom. 15, 16. & sic omnes qui verbum

bum prædicant & sacramenta administrant, secundum Christi institutionem, Sacerdotes non nisi anagogicè dici possunt.

CXXII. 2. Ridiculum est & explosione dignum, quod illud τὸ *Facite* per *sacrificate*, seu *offerte* exponit, ex hoc fundamento, quia in aliis locis, quæ planè sunt extra controversiam, in tali significatione reperitur: quod ut non negamus, ita ex puris particularibus nihil sequi scire debebat hic Criticus: quanquam & hoc notandum est: in locis illis omnibus vocabulum *Faciendi* habere aliquid additum, ex quo certò colligitur illa metaphorica significatio: *facere holocaustō; facere bove altero, facere pro peccato*, Levit. 15, vers. 15. 1. Reg. 18, 23, 25. Nusquam autem τὸ *Facere*, neque ποιεῖν, neq; עשה absolutè positum, significat sacrificare. Ita verò in verbis institutionis ponitur: *Hoc facite.* Deinde arguit etiam articulus ποιεῖτε τοῦτο; si pro sacrificare positum fuisset, legendum esset in dativo, τούτῳ. Præterea in 1. Corinth. 11. etiam calici additur particula ποιεῖτε: ergóne calix etiam sacrificandus, immolandus & mactandus erit. Deniq; ad omnes omnino Corinthios ibidem scribit Apostolus:

Hoc facite: Sic igitur juxta glossam Scioppii omnes illi facti sunt sacriculi. Sed plusquam satis de nugis istis. Concedamus ergo majorem, hoc simplici & vero sensu: Quod Christus fecit in prima institutione, idem faciunt hodieq; verbi ministri.

CXXIII. Jam ad minorem respondeo 1. per inficiationem. Christus enim tum non sacrificavit, sed gratias egit, panem fregit & inter discipulos distribuit. 2. ad probationem minoris. Melchisedech non sacrificavit, non obtulit, sed protulit panem & vinum, ut textus habet Hebræus (מוֹצִיא), nimirum pro reficiendo Abrahamo ejusq; exercitu ex prælio redeunte: idq; fecit, ut rex Salem, qui pro sua munificentia viatico occurrit fessis militibus. Erat vero etiam sacerdos, ut habent Hebræi fontes; ergò benedixit etiam Abraham, & cum victoria redeunti è prælio ex animi sententiâ gratulatus est.

CXXIV. Quibus autem de caussis Christus dicatur Sacerdos secundum ordinem Melchisedech, prolixè docuit epistola ad Hebræos cap. 7, quia nimirum in ipso benedicuntur omnes generationes terræ: ipse est rex justitiæ, & princeps pacis: est ἀπάτωρ καὶ ἀμήτωρ, caret principio & fine,

ne, & quæ sunt alia plura, inter quæ nulla fit mentio sacrificii in institutione Eucharistiæ: ergo nec per sacerdotes, quos vocat Apostata, idem facit quotidiè, quod ne semel quidem ipse fecit: imò si faceret, non esset sacerdos secundum Melchisedech, sed secundum Aaron: ejus enim ordinis sacerdotes quotannis ingressi sancta sanctorum, sæpius offerebant sacrificia, propter imperfectionem. *Non autem in manu facta sancta introivit Jesus, sed in ipsum cœlum, ut appareat vultui Dei pro nobis: neque ut sæpe offerat semetipsum, quemadmodum Pontifex intrat in sancta per singulos annos in sanguine alieno: alioquin oportebat eum frequenter pati ab origine mundi, Hebr. 9, 24. seqq.* Ergo frustra laboravit Apostata in probando jugi sacrificio Papistico.

CXXV. Quod autem locum Malachiæ attinet, sæpius à nostris dictum atque demonstratum est, loqui Prophetam de prædicatione Evangelii, cujus præclara fama tempore Novi Testamenti sparsa est in omni loco, teste Apostolo Paulo, Roman. cap. 15. ubi hunc locum interpretatur, & ipsum quoq; talem ἱερουργοῦντα & sacerdotem nominat, qui gratam de Christo famam circumferat inter gentes, easq; ut obla- *De loco Malach. 1. 11.*

oblationem mundam, sanctificatam per Verbum & Spiritum sanctum, Deo offerat. Ita nihil omnino est, quod in hac argumentatione Apostatæ cohæreat. Atq; hæc de duodecimo membro dicta sunto.

CXXVI. In decimo tertio novam adfert fabulam de Arca fœderis, quam tempore persecutionis Antichristianæ in terra Moabitarum in monte Nebo à religiosis Judæis inveniendam esse fingit. Ubi in primo statim limine notetur *vel* ruditas hujus Apostatæ, quod Nebo & Sinam vel unum eundemq; montem, vel unius territorii montes fuisse putat; quia scripsit pag. 52. *arcam fœderis in monte Nebo aut Sina apparituram*: *vel* sanè Spiritus vertiginis: quod adhuc dubius est, utrum in Judæa, in monte Sina, vel in terra Moabitarum, in monte Nebo sit apparitura.

De loco 2. Macc 2, 4.

CXXVII. Hic tamen, quasi mutatâ sententiâ pro monte Nebo producit locum ex 2. Maccab. 2, ubi narratur de epistola quadam, in qua fuerit scriptum, quomodo Jeremias tabernaculum & arcam ante transmigrationem Iudæorum in Babylonem jussit comitari secum, usquequò exiit in montem (Nebo nimirum, ut colligitur ex Deut. 34, 1.) in quo Moses adscendit & vidit

vidit Dei hæreditatem; quomodo etiam Ieremias arcam & tabernaculum unà cum incenso tulerit in speluncam: quomodo accesserint quidam, notantes sibi locum, quos Ieremias reprehendit, eò quod ignotus sit futurus locus, donec congreget Deus congregationem populi, hoc est, ut Apostata interpretatur, donec convertantur Iudæi ad Christum, prædicationibus Eliæ & Enochi: tunc apparituram majestatem Domini.

CXXIIX. Hæc est allegatio Apostatæ, desumta ex libro Apocrypho, de quo Pontificius quidam scriptor annotavit, *anno 188. græcorum, Iudæos habitantes Ierosolymæ compilasse eum ex quinque libris Iasonis Cyrinæi, & per modum epistolæ Iudæis commorantibus in Ægypto misisse.* *Adrichem.*

CXXIX. Ex hoc igitur libro nulli fidei articuli confirmari possunt. Unde Hieronymus in præfat. libr. Solom. *Maccabæorum libros legit quidem Ecclesia, sed eos inter Canonicas scripturas non recipit.* Et *hanc scripturam*, inquit Augustinus cont. epist. Gaudent. lib. 2. cap. 23. *quæ appellatur Maccabæorum, non habent Iudæi, sicut legem & Prophetas & Psalmos, quibus Dominus testimonium perhibet tanquam testibus suis, dicens: oportebat imple-*

impleri omnia, quæ scripta sunt in lege & in Prophetis & Psalmis de me: sed recepta est ab Ecclesia non inutiliter, SI SOBRIE LEGATUR VEL AUDIATUR, maximè propter illos Macchabæos, qui pro lege Dei sicut veri martyres à persecutoribus tam indigna atq; horrenda passi sunt. Ergò sobriè legendi sunt Macchabæorum libri, & videndum quid cum superiorum temporum historiis congruat.

CXXX. Jam verò certum est, neq; Esdram neq; Nehemiam in suis libris quidquam annotasse de abscondito tabernaculo vel arca: in libris Regum etiam & Prophetia Jeremiæ nihil horum reperitur, ubi tamen etiam viliora interdū annotata sunt.

CXXXI. Verisimile etiam non est, Chaldæos in obsidione & expugnatione Hierosolymæ arcam in templo reliquisse intactam, quippe purissimo auro obductā: imò conqueruntur ipsi post captivitatem Babylonicam Judæi, *lumen lychnuchi esse extinctum, arcam fœderis direptam, loca sancta contaminata 4. Esdræ 10, 22.*

CXXXII. Usitata insuper fuit Judæorum traditio, in secundo templo arcam fœderis, unâ cum aliis quatuor rebus defuisse, quod ex Sanhedrini Hierosolymitano & aliis Rabinorum commentariis probat

P. Ga-

P. Galatinus lib. 4. cap. 9. quæ quomodo possent consistere, si Jeremias, jubente Deo, & conscis quamplurimis arcam secum abduxisset?

CXXXIII. Hæc ergo omnia & epistolam & totam illam narrationem libri Apocryphi suspectam reddunt, arguuntque manifeste, Judæorum fabulam esse, quos similibus excogitandis felices fuisse, Iosephus contra Apionem non diffitetur.

CXXXIV. Sed fingamus hæc ita gesta esse: quid hoc ad institutum Scioppii? potuisset sane arca reperiri statim post captivitatem, ubi Dominus congregavit populum suum in patriamq; reduxit: quis jussit Apostatam isthæc extendere ad tempora Eliæ & Enochi redeuntium è Paradiso, hoc est, ad Calendas Græcas, cujus rei ne quidem per conjecturam aliquam ea tota narratio meminit. Sed ita fit in caussâ desperatâ, cujus patronis fabulas addere fabulis nulla est religio.

CXXXV. Pergit tamen iste, & fabulæ hujus (quam ipse Prophetiam vocat) exitum sive implectionem legi scribit impudenter Apocal. 11, *ubi*, inquit, *cum narrasset, prophetiam Eliæ & Enochi fuisse finitam, & Judæorum conversionem ad Christum factam, subjicit: Et apertum est templum Dei in cœlo,* *De loco Apoc. 11. 19.*

& visa

& visa est arca testimonii ejus in templo ejus, & facta sunt fulgura, & voces, & terræ motus, & grando magna.

CXXXVI. Sed hac allegatione geminum committit crimen falsi. 1. Quod de prædicatione Eliæ & Enochi, deq; conversione Iudæorum per istam prædicationem facta garrit, de qua ne γρῦ quidem extat in textu, ut jam demonstravi. 2. quod per insignem fallaciam res diversissimas componit. Nam prædicatio duorum testium & exitus eorum pertinet ad Væ secundum, quod Apostata paulò post fatebitur p. 94. quo finito, incipit quarta pars visionum Apocalypticarum, ad quam ea quoq; pertinent, quæ de aperto templo Dei & arca testimonii in eo referuntur.

CXXXVII. Ridiculum autem est, quod Arcam testimonii Leviticam ex ligno & auro confectam in cœlo visam fuisse putat: ergóne spelunca illa, in quam eam abdidit Ieremias, fuit in cœlo; & jam demum triennio ante finem mundi aperitur? mirum si frontem habet Apostata, qui ista tam puerilia tantâ cum impudentiâ, ut confirmationem suarum fabularum Biblicam, Ecclesiæ obtrudere audet.

138. Lon-

CXXXIIX. Longè sublimiorem Spiritum sapiunt ea, quæ D. Johannes vidit in mysterio. Arca fœderis in cœlo ostensa fuit Filius DEI, quem orthodoxi Patres quoq; arcæ conferunt, in quo Pater æternus fœdus æteroum iniit cum hominibus, & in quo omnes thesauri sapientiæ divinæ sunt absconditi, Colos. 2, unde & thronus gratiæ appellatur, Heb. 9. *Vide Hil. sup. Ps. 131. Theodor. dialog. 1.*

CXXXIX. Hæc arca in regno cœlorum, hoc est, in Ecclesia aperta fuit 1. quando Pater æternus è cœlis testatus est, hunc esse filium suum dilectum, in quo sibi complaceat, quemq; nos audire debeamus: 2. quando ipse prædicando & miracula edendo voluntatem patris nobis declaravit; cujus Evangelium ab ipso prædicatum instar fulguris omnes fines terræ penetravit, & instar grandinis percussit omnes eos, qui consilium Dei adversus seipsos fuerunt adipernati: fit enim verbũ vitæ in quibusdam odor mortis ad mortem, 2. Cor. 2, 16. *Matth. 3, 17. Luc. 1, 4.*

CXL. Facessant igitur pueriles ineptiæ Apostatæ, de arcâ illâ ligneâ in cœlo conspectâ, de quâ ipsi fatentur Judæi, quod à captivitate Babylonica non iterum conspecta fuerit, haud dubiè à Chaldæis in flammas & cineres unà cũ templo redacta.

CXLI. In ultimo demum membro hujus capitis de irrito Antichristi conatu in persequenda Ecclesia, quæ in desertum fugerat, disserit. In quibus Lectorem 1. remittit ad ea, quæ hactenus de fuga Ecclesiæ in desertum, & de arcâ in monte Nebo adservatâ dixerat: quæ omnia cum fabularum plena sint, autor earum ipse innuit, hæc quoq; non esse dissimilia, in quibus, quia firmiora argumenta non habet, diutius immorari nobis non est animus.

CXLII. Miræ autem est audaciæ, quod, cum Væ secundum, Judæorum, omniumq; electorum conversione terminasset: jam Væ tertium spacio 30. dierum claudit, quibus Judæos frustra tentatos ab Antichristo securos fore, omnesq; in Judæam, terram patriã, collectos iri scribit. Nam de 30. illis diebus nihil habet Apocalypsis Johannis.

CXLIII. Persecutio ista draconis cap. 12. descripta, persecutio Romanorum Imperatorum, persecutio Antichristi, bellum ejus cum sanctis cap. 13. ruina Antichristi subsecuta cap. 14. angelorum exercitus & apparatus ad delendum Antichristum cap. 15. septem deniq; plagæ, quibus adflixit Dominus regnum Antichristi cap. 16: hæc, inquam, omnia, multis aliis præteritis, quæ

quæ ad Væ tertium pertinent, num spacio 30. dierum perfici potuerint, alii dijudicent: certè de unica persecutione bestiæ è mari adscendentis, scribitur, quod sit duratura 24. mensibus, Apoc. c. 13, quod itidem de bestia è terra adscendente alibi affirmatur. Viderit igitur Apostata, unde calculum hunc dierum 30. mutuatus fuerit.

CXLIV. Quis verò genius ipsi revelavit, illis triginta diebus *omnes Judæos redituros in Judæam?* hæc haud dubiè nova est, & veteribus incognita fabula de Antichristo.

CXLV. Ipse tamen adducit, pro ea, qua pollet, impudentiâ, locum Ezech. 34. 22. & cap. 39. 28. In quorum priore de Ipirituali pace & securitate loquitur Propheta, quam promittit Dominus Ecclesiæ novi Testamenti, cui daturus erat unicum illum pastorem, servum suum David, quod vaticinium de seipso interpretatur Christus Johan. 10. Is, inquit, cessare faciet bestias pessimas, id est, tyrannos, & omnes, qui gregi Christi nocere possunt, quibus frenum injiciet Dominus, ne pro lubitu grassari valeant, ut habitare possint electi sui in confidentiâ, & absq; terrore, animo tranquillo totoque pectore Deo suo serviant:

quale beneficium Ecclesiæ suæ alibi etiam promiserat Esa. 11, 6, 10. Ose, 2, 20. &c.

CXLVI. Ita dulcissimam hanc consolationem de spirituali tranquillitate homo iste carnalis in meram fabulam carnalem convertit de Antichristo suo, haud dubiè, quia bestiarum mentionem factam viderat: adsuetus enim est, unà cum præconceptis opinionibus suis vim inferre textui, non autem veram sententiam inde auferre.

CXLVII. Posterior locus Ezechielis agit de liberatione populi Dei ex manu Mahometis seu Turcici Tyranni. Is enim per Gogum & Magogum intelligitur, quod alibi probari solet. Ita nihil pro suo instituto obtinuit Apostata.

CXLIIX. Aliàs rem ipsam quod attinet, non negamus, irritum esse Antichristi conatum in persequendâ Ecclesia Christi, & vanitatem omnium suarum machinationum jam sæpissimè expertus est Pontifex Romanus, qui jam per tot annos, tot viribus & fraudibus Christum throno suo deturbare, & pusillum Ecclesiæ gregem absorbere conatus est: sed tantum abest, ut quidquam profecerit, ut potius palàm se prodiderit, ut bestiam illam, quæ habet cornua similia agni, loquitur autem sicut draco;

draco; ut mulierem illam purpuratam, matrem fornicationum & abominationum terræ, ebriam de sanguine sanctorum, & de sanguine martyrum Jesu: quæ quotidiè bella gerit cum testibus Christi, quos & interficit; ipsi tamen subinde revivisc unt, viventque, donec bestia cum Pseudoprophetis, & omnibus qui characterem bestiæ acceperunt, & adoraverunt imaginem ejus, in stagnum ardens igne & sulphure præcipitabuntur.

Apoc. 13. 12.
Apoc. 17. 5.
Apoc. 19. 20.

CAPUT VII.

De Exitu seu Interitu Antichristi.

1.

ANtichristus, ait Apostata, *cum viderit se persequendis Christianis omnem ludere operam, tandem 1. Gog regem terræ Magog, hoc est, Scythiæ seu Tartariæ cum infinita Barbarorum multitudine ad oppugnandos Christianos in Judæam adducet. 2. Sed signo Christi in cœlo apparentis perculsus, & exercitum suum flamma cœlitus delapsa absumi videns. 3. Cum Pseudopropheta suo fugiet in palatium suum montis oliveti, quo dehiscente ab Archangelo Michaële ligatus in infernum vivus præcipitabitur. 4. Sic victoria penes Christianos manebit, qui reliquos*

Pag. 52.

dies 45. ad CHRISTI judicis adventum in perpetua gratiarum actione consument: impii autem in securitate sua à repentina & tremenda die judicii divini opprimentur.

II. Quatuor alias fabulas sub finem syntagmatis sui proponit in his verbis, quas numeris notare volui majoris perspicuitatis gratia. Ubi primum notetur vertigo hujus hominis: Cum in syntagmate dixisset, *Antichristum irâ accensum & indignabundum abiturum, ut eos, qui in deserta profugerunt, persequeretur pag 52.* idque postmodum probare debuisset: jam in exegesi probare aggreditur ea, *quæ facturus sit Antichristus POST expeditionem istam adversus Ecclesiam, quæ in desertum fugerat susceptam pag 95.* quæ quomodo cohæreant, ipse viderit.

III. Affert tamen pro hoc capite in genere locum ex Apocal. 12. ubi dicitur de dracone, quod fecerit prælium cum reliquis de semine Ecclesiæ; quod sanè prælium adhuc durat & durabit usq; ad finem seculi, ubi draco ille magnus, serpens antiquus, qui vocatur Satanas, pugnat foris & intus cum electis de semine Christi: oportet enim & nos sentire morsum antiqui serpentis, qui portamus stigmata Christi in corpore nostro Gal. 6. non igitur necesse est, ut hoc

ut hoc prælium Satanæ differatur ad ultimum mundi triennium.

IV. Deinde verò capita in specie proposita quod attinet: Primum illud de Gogo ab Antichristo contra Christianos adducendo in Judæam, probare vult ex Apoc. 20, 7. seqq. ubi sic legitur: *Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas de carcere suo, & exibit, & seducet gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ, &c.*

V. Ad hanc probationem duo noto: primum crimen falsi insigne commisit Apostata; nam subdolè omisit in allegatione, quis sit seductorus gentes: hoc ipse de Antichristo vult intellectum: at D. Johannes dicit, *Satanas seducet gentes.* Aut igitur cum Origine & Hippolyto (quorum opinionem D. Hieronymus & alii damnarunt) statuit, Satanam ipsum fore Antichristum: aut subdolum scripturarum falsarium sese soricis instar omnibus pis prodidit. Eligat ipse utrum velit: nobis posterius videtur verosimilius.

Hieron. in cap. 7. Dan. Beda in cap. 13. Apocal.

VI. Seduxit autem Satanas gentes, quando Gog & Magog, i. e. Tartaros, Scythas, Turcas, postremis mundi temporibus instar diluvii cujusdam evomuit super latitudinem terræ, ita ut eum quasi inundare

viderentur; & super castra sanctorum (quæ Apostata ineptè & imperitè de sola Judæa intelligit) hoc est Ecclesiam; in qua Deus sanctum suum habet populum & civitatem dilectam, in qua colitur: sed tandem justa Dei vindicta instar ignis de cœlo descendentis hostes illos perdet, & Satanam cum mancipiis suis infernali igni devorandum dabit. Eadem est ratio vaticinii Ezech. 38. & 39. ubi ex professo de Turcica tyrannide, nihil de interitu Antichristi in Ecclesia agitur.

VII. Deinde viderit Apostata, quomodo hanc fabellam suam conciliare velit cum nugis Bellarmini. Apostata enim scribit, Antichristum adducturum Gogum & Magogum in Judæam ad impugnandos Christianos: Bellarminus lib. 3. de Pontific. R. cap. 17. scribit, *admodum esse probabile, per Gog significari ipsum Antichristum, per Magog exercitum ejus: & prælium Gog & Magog esse prælium Antichristi contra Ecclesiam.* Utrinque satis fabularum est, quæ nusquam cohærent. Nam per Gogum & Magogum Turcicum notari tyrannum, & nomen & patria, & mores & habitus, & studia ejus, & alia multa docent, ut alibi prolixè & ad oculum demonstratum fuit.

8. Pro

VIII. Pro altero capite, de signo Christi apparente in cœlo nihil adfert ex scripturis: quia nihil invenire potuit, quod speciem alicujus probabilitatis habere potuisset.

IX. Tertium probare conatur duobus locis. Primus extat Dan. 11, 45. de quo loco supra cap. 4. in initio latis dictum fuit: certè de monte oliveti Danieli eo loci ne quidem per somnium aliquid in mentem venit. Et posito, locum illum de monte oliveti intelligendum esse (quod tamen est falsissimum) quæ quæso consequentia? *Antichristus veniet usq; ad summitatem oliveti, & nemo auxiliabitur ei. Ergo apprehensus à Christo vel ab Angelo, Christi jussu, in præruptum dehiscentis montis & in stagnum vivus præcipitabitur.* Ita tamen Romæ argumentari didicit hic Aristarchus, nimirum in schola Pontificis, ubi ipsum dicere probare est: imò ubi dextram sinistram, & sinistram esse dextram creditur, dicente Papa.

X. Alter locus est Zach. 14, 3. ubi præ- *De loco Zach. 14. 3.*
lustre vaticinium extat de adscensu Christi in cœlos, quod egressurus sit & præliaturus contra gentes gladio verbi sui, prædicati per Apostolos, quos paulò ante suum adscensum emisit in quatuor mundi partes,

ad præliandum prælia Domini prædicatione Evangelii. Ideo mons Oliveti, unde ipse in cœlos adscendit, in quatuor partes scissus & divisus dicitur.

XI. Sed Apostata hanc divisionem montis oliveti spiritualem de reali ejus dehiscentia accepit, ut Antichristus inde deturbari possit, & fabulis suis anilibus hiatus aliquis reperiatur.

XII. Esto autem, fingamus montem oliveti ita reapse scissum iri, tempore Papistici Antichristi, hoc est ad 19. Febr: quæ quæso hîc etiam est ratio connexionis? *Mons oliveti scindetur, ex media parte sui: ergo Antichristus à Christo vel Angelo, Christi jussu deprehensus in præruptum montis dehiscentis præcipitabitur.* Sed satis hîc nugarum est: concludimus nos cum Apostolo: Φάσκοντες εἶναι σοφοὶ ἐμωράνθησαν. Rom. 1, 22.

XIII. In quarto denique membro ait, ab interitu Antichristi usq; ad diem novissimum fore dies 45. superstites: quod crassissimum est figmentum, cui Apostata ipse contradixit superius pag. 55. ubi scripsit, *durabit Antichristus usq; ad finem mundi*, & Apostoli Pauli vaticinio de Interitu Antichristi è diametro opponitur. Is enim adventu Filii Dei ad judicium Antichristum

inter-

interficiendum esse clarè indicat, eo loco, quem Apostata aliquoties laudavit. *Revelabitur ille iniquus*, inquit Apostolus 2. Thessal. 2. *quem Dominus interficiet spiritu oris sui*, *ET DESTRUET ILLUSTRATIONE ADVENTUS SUI.*

XIV. Ipse tamen videtur sibi invenisse non quod pueri in fabâ, in illo Dan. 12. *A tempore, cum ablatum fuerit juge sacrificium & posita fuerit abominatio in desolationem, dies 1290: beatus qui exspectat & pervenerit usq; ad dies 1335*: unde infert: ergo diebus 45. ante extremum judicium Antichristus è medio tolletur, *pag. 56. & 96.*

XV. Sed 1. refragatur huic consequentiæ Apostolus, testis omni exceptione major, cujus testimonium jammodo audivimus. 2. refragatur Christus ipse Matth. 24. Act. 1. qui certum tempus extremi judicii nulli hominum notum esse voluit: innotescere autem iis, qui illo tempore in vivis essent futuri, si ab interitu Antichristi adhuc 45. dies supereffent.

XVI. Unde D. Hieronymus, qui alioquin ex defectu eventus & errore istorum temporum in annos & dies durantis Antichristi consentit, rationem dierum istorum residuorum, reddere nescit: *Cur post necem*

necem Antichristi datum sit spatium eorum quadraginta quinq; dierum, solius Dei scientiæ est, inquit, nisi fortè dilatio regni sanctorum patientiæ eorum comprobatio futura sit. Theodoretus illis diebus occiso jam Antichristo Eliam prædicaturum esse opinatur, sed ab aliis vicissim refellitur. Alii dies illos ante judicium ideò datos esse scribunt, ut ab Antichristo decepti possint pœnitere.

Adricho. in Chronic. f. 285. b.

XVII. Verùm hoc litigio opus non est, si attendamus, mysterium hîc describi, quod non nisi mystico & spirituali sensu accipiendum est. Beatum igitur prædicat Angelus apud Danielem, qui pervenerit usq; ad dies, 1335. hoc est, eum, qui tempus gratiæ viderit, in quo salutaris & orthodoxa Evangelii doctrina felicem habitura erit successum in mundo, quod ante Antichristi interitum adhuc futurum indicat.

XIIX. Et haud dubiè Angelus de industria tam perplexè loqui voluit, ne acciperent homines ansam inquirendi in certum aliquod & definitum tempus novissimi judicii; quod facile fieri potuisset, si de certo die interitus Antichristi ante diem extremum constituisset.

XIX. Libenter igitur concludimus cum B. LUTHERO: *dies hi 1335. nunquam*

Luther. in præfat. Dan.

quam publicè intelligentur, donec impleantur in novissimo die: nisi forte Deus Noam aliquem exuscitarit, qui dies hosce exactissimè supputare possit.

XX. Atq; hæc sunt, quæ ad novitium *Syntagma de Antichristo* annotare volui; quæ num ad palatum Autoris vel amiculorum ejus futura sint, ἀφεγγὶς ἱπποκλείδη. Satis est, quod ostenderim studiosis veritatis, novellum hunc Romanæ Thaidis amasium, scopum, quem proposuit, non tetigisse: ideo in gratiam suarum, quas vocat, confirmationum Biblicarum, hoc unicum ἐπείσαγμα repono:

De quo S. Bibliorum autoritate confirmari non potest, quod non sit Antichristus, is revera est Antichristus.

De Pontifice Romano S. Bibliorum autoritate confirmari non potest, quod non sit Antichristus: quod hactenus demonstratum fuit.

Ergo Pontifex Romanus est revera Antichristus, & filius ille perditionis;

quem in verbo suo nobis revelatum Dominus IESUS interficiat spiritu oris sui, & eitò destruat illustratione adventus sui; nos autem in veritate Verbi sui conservet, seriis animi gemitibus precamur.

Disp-

DISPUTATIO III.
DE FRACTIONE PANIS.

Præside GEORGIO MYLIO D.
Respondit M. ERNESTUS ZEPHYRIUS *Cellensis Saxo.*

20. Decemb. 1606.

I.

ITerum redivivus prodit Carolstadius, hoc est, larvatus in Ecclesiam pacatam, & probè constitutam irruit Diabolus, tempore alienissimo turbas concitans, quæ credentibus incredulitatem: incredulis credulitatem augeant.

II. Duplice autem indicio prodit sese iste spiritus, tituli vendicatione primùm: deinde specie innovationis.

III. Titulum facto suo vendicat iste spiritus Aristarchicum, qui virgula censoria sumpta, non ad subsellia philosophantium penetrare, supercilio Critico non Grammaticorum pulpita invadere: sed correctoria autoritate, templorum suggesta adoriri, ad altarium adyta ipsa perrumpere non reformidat.

IV. Species novationis est de Fractione panis Eucharistici, & partibus iis, quæ in conse-

consequentiam quæstionis hujus veniunt: non principaliter quidem: sed χρηματικῶς duntaxat. Nam de Calvinismo invehendo agitur, qui quia nativo vestitu indutus, in conspectum Ecclesiæ venire non audet; mutuatitio habitu amictus, ex foro adiaphoristico, Ecclesiæ sese insinuare nititur. Hæc est illa Dalila.

V. Quod ita se habere, primùm documentis evincendum. 2. De summa controversiæ disputiendum. 3. Causa ipsa utrò citroq; ventilanda, & piè sentientium judicio submittenda est.

VI. De Calvinismo in Ecclesiam invehendo sub Critico isto schemate à novatoribus laborari, argumento primùm illud est, quod de autoritate Lutheri elevanda; sub hoc ipso conatu novationis, acerrimè cogitatum fuit.

VII. Testatur hoc libellus in lucem haud ita pridem editus à novatoribus, in quo quæcunq; Lutherus modestiæ partim studio, partim candoris ingenuitate, de suo nomine, de profectu in re Theologica successivè facto, de abusu scriptorum suorum ab aliquibus metuendo, romis suis inserta reliquit, eò detorquent isti, quasi piaculum sit, nominis Lutherani usurpationem retinere: quasi liberrimum sit cuivis, inseri-

Spruchbüchlein aus den Schrifften Lutheri zu Schmach-reden gedruckt.

in scripta Lutheri judicium sibi sumere; imò quasi non sit nefas, Lutherum pro quantivis Theologo adeoq; Papista insanissimo, se ipso teste, habere.

IIX. 2. In eodem libello pro retinendo Signi vocabulo in negotio Sacramenti acriter pugnatur, non eo sensu, quovel generatim Sacramentum divinæ gratiæ signum esse dicitur; vel speciatim res terrena signum visibile, rei invisiblis signatæ ac præsentis statuitur: sed quo Sacramentum ipsum integrum longissimè à Cœna absentis rei connotationem habere fingitur: atque hoc ita se habere, detortis scriptorum Lutheri locis, contenditur.

C j. b. IX. 3. Ibidem Corpus & Sanguis Christi in Cœna, spiritualis cibus animæ esse pugnatur, quasi istic vel corporeum planè à Christo nihil communicetur: vel animæ duntaxat, non corporis etiam nostri saluti consultum Christus voluerit.

X. Sed expressè ibidem additur, Statui hoc contra corporalem seu oralem corporis Christi manducationem. Quo indicio ut sorices sese novatores isti produnt.

XI. Et tamen partim detruncatis, partim improbè detortis Lutheri verbis hoc evincere conantur, ad substantiam Sacramenti referentes, quod ab ipso de usu

de usu & fine ejus salutari dictum est: simpliciter accipientes, quod ab ipso comparatè, & secundum quid enunciatum est: calumniam etiam verbis ipsis facientes, quemadmodum est ex hymno Paschali manifestum, in quo exclusiva ad Christum referenda, qui solus animam velit pascere, ad objectum animæ accommodatur, quasi hanc solam pascere velit Christus, qui ratione salutaris usus & finis toti homini, ejusdemq; tum animæ, tum corpori escam salutarem propinavit: ratione substantiæ autem & partiū essentialium, in Sacramento Eucharistico, animæ nehilum quidem, corpori autem, seu ori potius ejusdem (quippe soli manducationis & bibitionis organo) omnia destinavit.

XII. 4. Acriter ibidem dimicatur, *Impios fide vera vacuos atq; indignos in Cœnâ corpus Christi verum nullatenus percipere.*

XIII. Rursus huc accommodata Lutheri (quam prius extinctam cupiebant) autoritate. Qua id verò fide, documento uno manifestum faciunt. D j. b.

XIV. Ex minori enim Catechismo huc adducitur illa responsio ad quæstionem de corporali manducatione, idq; in hunc modum; Corporaliter manducare

& bibere (intellige Sacramentum, panem & vinum) ista certè non efficiunt, &c. Qui credit his verbis, ille habet, quod dicunt, & sicut sonant, nempe remissionem peccatorum.

XV. Triplex hîc depravatio commissa est. 1. Quod ad quæstionem de salutari manducatione Lutherus respondit, hoc isti referunt ad id, quod de Sacramentali manducatione controvertitur. 2. Glossemate περιβελικῶς aspersò, quo panis & vinum nominatur Sacramentum (quibus partem ejus duntaxat Luthero notari non ignorant) sententiæ Lutheri calumniam faciunt. 3. Quod Lutherus ἀφέσιν δίδωσι Remissionem peccatorum appellat (quæ & fide, & à fidelibus solis percipiatur) hoc isti interpretantur, Substantiam corporis & sanguinis Dominici, quasi hæc itidem à solis credentibus & dignis percipiantur.

D iiij. XVI. 5. In eodem libello asseveratur, corpus Christi verum semper sursum in cœlo esse, ibidemq; ad novissimum usq; diem manere. In vero tamen usu Cœnæ, fidei nostræ illud præsens esse, & participari.

XVII. 6. Deniq; si πῶς ἔστω à nobis sim-

simpliciter adhæreri, si imperscrutabilis esse mysterii perhibeatur, quod corpus Christi cœlo illatum, præsentissimum nobis tamen in Cœna esse creditur: hoc isti novatores petulantem simplicitatem & stuporem nominant, eò digitum intendentes, quod nisi quod in sensum aut intellectum humanum venit, id in fidem suam admittere nemo Christianus debeat. D vij.

XIIX. Pro fide & candore novatorum palpando, memoria illud est tenendum, quatuor poni à Luthero κρίσιμα, quibus Sacramentaria perfidia agnoscenda, & ceu infallibilibus notis deprehendendum sit, quis cum Luthero colligat aut dispergat. 1. Si τὸ ἔνδον in verbis Institutionis Eucharisticæ retinendum esse negetur. 2. Si organo oris manducationem corporis Christi fieri, inficiæ eantur. 3. Si corpus Christi tantùm in cœlo, non etiam in Cœna præsens esse statuatur. 4. Si manducatio indignorum non admittatur. Hæ singulæ atque omnes notæ in isto novatorum fœtu deprehenduntur. In hac ergo causa nihil ipsis cum Luthero commune esse: sed in castra Calvinianorũ eos transitum feciſſe, luce meridiana clarius patet.

XIX. Tandem B. Lutheri querelam adji-

adjicio, quam ille præfationi articulorum Smalcaldicorum insertam reliquit, his verbis: Quid dicam? Quomodo querelam instituam? Adhuc superstes sum, scribo, conciones habeo, & prælego publicè & quotidiè: & tamen virulenti homines, non tantùm ex adversariis: sed etiam falsi fratres, qui nobiscum se sentire ajunt, mea scripta & doctrinam meam simpliciter contra me afferre & allegare audent, me vivente, videente, & audiente, etiamsi sciant, me aliter docere, & volunt virus suum meo labore exornare, & miseros homines sub meo nomine decipere & seducere. Quid ergo, bone Deus, post obitum meum fiet?

Kurtzer einfeltiger Bericht vom H. Abendmal des HErrn

Impressus Cassellis per Wilhelm. Wessel.

A iij. b. C iij. b.

XX. Prodiit in lucem superiori anno alter etiam libellus ejusdem farinæ, rariora quidem & tectiora: sed planè eadem Calviniſmi indicia continens. Nam statim in prima ejus quæstione definitur Cœna, Quod sit actio divina, in qua præter panem & vinum, *Spiritualis animæ esca*, Corpus scilicet & sanguis Dominicus, credentibus Ecclesiæ suæ membris, ad communicandum sit ordinata.

XXI. 2. Mox ubi in Scripturis de Cœna Domini agatur, quæritur, Respondetur

detur autem, principaliter & propriè quidem in verbis Institutionis, à tribus prioribus Evangelistis, & à Paulo 1. Cor. 11. descriptæ. Additur tamen statim, Intellectum hujus ardui mysterii, à Spiritu sancto pluribus circumstantiis & fusius esse declaratum Joannis 6. à v. 28. usq; ad 65. &c. Item 1. Corinth. 12. à v. 12. usq; ad finem. Imò ibidem rationibus allatis pugnatur, Joan. 6. ex professo agi de Sacramento Eucharistico. C iiij.
3. In verbis Institutionis asseritur, ea duntaxat verba κατὰ τὸ ἑητὸν esse accipienda, quæ usus salutaris explicationem habent. C v. b.
Quo ipso ostenditur, ea verba, quæ Substantiæ ipsius notationem continent, Hoc est corpus meum, &c. figuratè intelligenda esse. Quod ipsum paulò post ex professo disputatur. D j.

XXII. Statim autem vertigo ingenii proditur, dum subjicitur, Pro multis effusum esse sanguinem Christi, idem esse, ac si dictum esset, pro omnibus & solis in Christum credentibus fusum esse. Quam glossam non κατὰ ἑητὸν: sed τρόπον esse propriam, nemo non intelligit. C ij.

XXIII. Simul verò novum hinc sese Calviniſmi documentum prodit, quo sanguis Christi non pro totius mundi peccatis fu-

tis fusus esse dicitur, quod disertè dictum est ab Apostolo Joanne, 1. Joan. 2, 2: sed pro credentibus duntaxat in meritum
D i. Christi. 4. Apud Paulum de vero corpore & sanguine Christi agi dicitur: Verùm non simpliciter: sed quatenus id pro nobis traditum, sanguis pro nobis fusus sit, particulâ δεικτικῇ, Quod in χετικὴν quatenus commutata, quod nimis crasse Calvinismum sapere, orthodoxum neminem latere potest.

XXIV. 5. Corpus Christi aliter, nisi
D ij. ad vitam & salutem manducari posse negatur, cujus contrarium disertè est ab Apostolo pronunciatum. 1. Cor. 11, 27, 29.

XXV. 6. Plenissimè in lucem prodit
D v. b. spiritus Calvinisticus, quando sic tandem præstigias suas eructat, Corporis & Sanguinis Christi meritum, est vera illa animæ esca, qua animæ nostræ in Cœna pascuntur. Ut fumos vendere palam deprehendantur, quoties de corporis Christi veritate & substantia in Cœna minimè controversa, speciosè multa garriunt.

XXVI. 7. Indignorum manducatio
E i. b. ibidem disertè etiam negatur. Ut nihil sibi cum Luthero in hac parte doctrinæ commune esse, & quid correctione sua præten-

prætensa moliantur, planissimè novatores isti testificentur.

XXVII. Quod quia luce meridiana patet clarius: cum quæstio vertitur, quid sit piis faciendum, quibus sub schemate correctionis, Fractio panis obtruditur à novatoribus: respondendum censemus, Aliter hoc quàm certissimam sanctissimi depositi depravationem, quod in doctrina Lutherana nobis est concreditum, non accipiendum esse.

XXIIX. Quod ergo tempore Interimisticæ συγκάζεως factum est à piè fidelibus, cum sub prætextu adiaphoristico, meretricis Babylonicæ venenum propinaretur, venditaretur q; ut masculè isti machinationi resistendum, è Babylone egrediendum, & quidvis potius ferendum sibi esse judicaverint, quàm præstigias istas admittendas: idem ad se quoq; pertinere in præsenti hac molitione pii existimabunt, ex eo ipso, quod est hactenus commonstratum, capite.

XXIX. Jam verò licet verum sit, τὰς προφάσεις τῶν αἰτίων πολὺ διαφέρειν: ventilandus tamen est prætextus ipse, qui in causa ista usurpatur. Id quod posito

τῷ κεκινωμένῳ, formatoq; disceptationis statu rectissimè expeditur.

XXX. Non est autem in præsenti quæstio, Quid in cœna ultima, instituto hoc Sacramento, Christus fecerit, fregeritne panem, nec ne, quem discipulis dedit. Quem ab ipso fractum fuisse, facilè fatebitur, qui non expressum modò tenorem verborum institutionis inspexerit: sed mensæ etiam paschalis ritum consideraverit, quo consuetum fuit, panes azymos grandiores apparare, ea & amplitudine & crassitie, ut vel singuli: vel pauci saltem, toti familiæ sufficerent.

XXXI. Nec quæstio est, Utrum similem panis Eucharistici modum Ecclesia vetusta unquam usurparit. Non enim litem movemus Durando, qui in primitiva Ecclesia oblatum fuisse unum magnum panem scribit, & omnibus sufficientem, Quod adhuc Græci servare dicantur.

Lib. 4. c. 53.

In S. Germani rerum Eccles. theoria.

XXXII. Et per nos obtineat, licet, quod in Chrysostomi liturgia, & forma panis, & ejusdem secandi, eultroq; concidendi ratio expressa legitur, quam Gentianus Hervetus his verbis descripsit: Est

panis

panis crassus, & fermentatus, & figura propemodum sphærica.

XXXIII. Non est etiam de eo controversia, An hæc res sit in conditione indifferente posita, ita ut si cui Ecclesiæ propter graves causas allubescat, talem ritum postliminio introducere, quasi hoc ipsi non licitum ac liberum esse debeat.

XXXIV. Quin neq; de eo molesti cuiquam futuri sumus, si sint in Ecclesia aliqua quàm plurimi, iiq; optimi, qui super tali ritu non reducto scandalum patiantur; quid hoc casu fieri debere, lex etiam ipsa charitatis jubeat.

XXXV. Deniq; non ita importuni sumus, ut ritum aliquot seculorum usu comprobatum, quo placentæ tenuissimæ & orbiculares fiunt, denarioli instar, ut Durandus loquitur, quæ in Cœna adhibentur, tanquam necessarium, & simpliciter immutabilem obtrudere cuiquam cupiamus. *Lib. 4. in sexta p. Canonic.*

XXXVI. Verùm de hoc cum novatoribus & correctoribus novellis disceptatio nobis intercedit, Utrum fractionis ejus ritus, quam violenter, & intempestivè, atq; citra causam justā ullā nuper in Ecclesiam invehunt, sit in administra-

tione Cœnæ aliquid necessarium, Ein gantz nöthiges Stück / quemadmodum libellus Marpurgensis de hoc argumento nuper editus loquitur: Num sit pars illius legitimæ administrationis primaria, Ein Häuptstück des hochwirdigen Abendmals/sic verbo Dei mandata, ut omitti aut mutari nullo modo debeat; imò sine eadem legitimè administrari Sacramentum Cœnæ omninò nequeat.

Cui titulus est, Kurtzer vnnd Schrifftmessiger Bericht von Brodbrechen.

XXXVII. Ritus autem ille talis est, Coquuntur ab istis panes, non azymi, quales sunt nostri, quos Nebulas panis appellant: sed fermentati, quos solidos & fortes panes nominant, tantæ magnitudinis, ut quaternis communicantibus unus sufficiat. Qui ad mensam publicam appositi, in conspectu populi, à Ministro Ecclesiæ, sub magni mysterii nuncupatione, in 4. partes dividuntur, divisæque partes manibus communicantium porriguntur, propria opera singulæ à singulis ori ingerendæ.

A vj.

XXXIIX. Hoc illud est grande Mysterium, quod correctoribus istis revelandum Deus tanto seculorum cursu reservavit, scitu observatuq; tam necessarium, ut propter hujus jacturam, orbis Christiani

ani salus, & veritas ipsa religionis Evangelicæ periclitata sit, Ecclesiæ invitæ, nolenti, reluctanti, exiliis, persecutione, vastatione publica, armis deniq;, & strepitu bellico obtrudendum.

XXXIX. Ζητουμένου partem ajentem tuentur Novatores: Nos à negante consistimus, qua firmata, si correctorum ausa carere fundamento veritatis monstraverimus, de piorum omnium calculo obtinendo, nulli dubitabimus.

XL. Fractio panis, ea, qua dictum est, necessitatis lege astricta, & sic, quemadmodum expositum est, modificata, caret Verbi & mandati divini autoritate. Ergo. 1.

XLI. De antecedentis membro altero, res est plana. Nam ex Sacramenti institutione, tum ab Evangelistis, tum Apostolo descripta, de fermentato, de quadripartito pane, nihil quicquam constat.

XLII. Prioris membri historiam & rem gestam legimus, hoc est, panem à Christo esse fractum percipimus: de lege aut mandato nihil quicquam cognoscimus. In contrarium prolata à correctoribus,

ribus, parte altera examinabuntur. Stat ergo negari firmitas.

XLIII. Habemus deinde succenturiantem nobis antiquitatem tam vetustam, quàm vetustissimam.

Dial. l. 4. XLIV. Quod ad istam attinet, Constat ex Gregorio, olim panem magnum, qualis in mensis apponi consuevit, fuisse adhibitum. Cujus indicio etiam illud est, quod hæretici quidam pani caseum admiscuerunt, hinc Artotyritæ dicti, quod in majori massa fieri quàm commodissimè potuit.

Inter ep. Aug. 31. XLV. Paulinus misso ad Augustinum pane Eucharistico, talia adjungit, Panem unum, quem unanimitatis indicio misimus charitati tuæ, rogamus, ut accipiendo benedicat.

XLVI. Basilius ad Cæsariam patriciam sic scribit, Idem est virtute, sive unam partem quis accipiat à sacerdote: sive plures partes simul. Cum partem & partes ponit, totum fuisse quippiam ultrò ostenditur.

XLVII. Quid istuc ad rem præsentem? nempe quadripartibiles panes adhibitu non esse necessarios, hinc patescit.

Stromat. lib. 1. XLVIII. At stabit, inquiet aliquis, tanto

tanto magis fractio. Respondetur, Ne hæc quidem necessariò. Eucharistiam, inquit Clemens Alexandrinus, cum quidam, ut mos est, diviserint, permittunt unicuique ex populo, partem ejus sumere. Mos autem esse ille potuit, qui notatus est à Dionysio, dicente, Velatum panem in multa concidens, & unitatem calicis omnibus impertiens. *Eccle. Hier. c. 3.*

XLIX. Epiphanius testis est in Ancorato, Sua ætate in usu fuisse panes rotundæ formæ, quæ ab ipso στρογγυλοειδὴς vocatur, quam fractione factam esse, præcipuè in publico, insuper etiam in fermentato, minimè est probabile.

L. Attentata fuit in Græcia circa A. D. 1054. (tum nimirum cum jam facta esset apud ipsos religionis inclinatio) in panis azymi usu consimilis correctio, autore Michaële Episcopo Constantinopolitano, qui in hac causa adversantem habuit Humbertum quendam. Sed ut in literarum monumentis relatum accipimus, Vicit exempli sanctioris, & majoris antiquitatis ratio, panis azymi usu in Ecclesia retento, ut est à Ruperto Tuicensi, & Petro Cluniacensi, atq; aliis scriptoribus, memoria proditum. Idem de fractione, *De divi. officiis l. 3. c. 22. lib. 5. ep. 16.*

quæ

quæ est fermentato consectanea, Ecclesiæ & piorum tum judicium fuisse, vero planè est consentaneum.

8. LI. Jam in recentioris etiam, quæq; seculi nostri est, Ecclesiæ judicio, nos meritò etiam acquiescimus. Tentata fuit in Palatinatu Electorali eadem correctio ante annos 40. Atqui contradictores illa habuit Theologos quosq; optimos. Ut audacius, quàm verius loquantur, qui ritum hunc à nemine celebri & pio Theologo in disceptationem fuisse vocatum asserunt.

9. LII. Sed quid? si ex inimicis etiam, quod dicitur, salus esse possit. Bezam igitur audiamus. Qui ex his, quæ fecit ipse Christus, & facienda nobis præcepit, quædam esse dicit, quæ si quis ullo modo omittat. Cœnam Domini dici non possit celebrare: alia verò, quæ etiamsi non ea ipsa prorsus forma fiant, qua facta sint à Domino: tamen habita intentionis, quam vocant, ratione, ritè fieri dicantur: quædam deniq; quæ ut mutari, nedum tolli sine justa reprehensione non possint: tamen non tanti sint momenti, ut propterea existimandum sit, Cœnam ibi nullam celebrari. Refert autem fractionem

onem ad genus hoc tertium : quod est tamen fictitium planè, & cum secundo genere unum prorsus atq; idem. *Epist. 2. f. 19.*

LIII. Jam libellus Cassellanus ille, verba Christi Cœnam instituentis, in verba Circumstantiarum & Mandati, distinguens, verbum illud, Fregit, ad priorem classem refert, de qua illud disertè enuntiat, quod verbis mandati non sint æquiparanda. Hæc enim cum sint obligationis & necessitatis, Rechte verbündliche vnd zwingliche Wort: Priora illa σχετικὰ diversi esse generis, non obligatoria, nullam habentia necessitatem. A iiij. b. C i.

LIV. Imò ut exemplis res pateat magis, in modo & forma sumti & distributi panis, fracti, vel, *Non fracti*, manu vel ore sumpti, Ecclesiam Christi sua frui peculiari libertate palam asserit: nec referre inquit, sive azymus, sive fermentatus, ater an albus, rotundus an angularis, magnus aut minutus adhibeatur.

LV. Nec destituitur negans hæc sententia justis & gravibus rationibus. Fingatur enim vera esse correctorum opinio: Jam de reformata Ecclesia dicendum suc-

fuerit, Nullam in ea Cœnam 90. annorum spacio celebratam esse.

Epist. 59. ad Paulinum. Ad Quod vult Deum de Ophitis.

LVI. Jam fractione etiam destitui prorsus nostram Cœnam, simpliciter asseverari nullo modo potest. Quid est enim illa, quam Augustinus appellat, ad distribuendum comminutio, quam oblationum in Eucharistiam confractio, ut idem pater loquitur: quæ licet publicè non fiat, publicè tamen facta esse conspicitur, perinde atque vini infusio licet publicè non fiat, facta tamen visitur.

LVII. Quæ ratio fractionis usum duxisse videtur ab Ecclesiis populosioribus. In quibus quia propter multitudinem communicantium, fractio publica, remoram congregationi numerosæ paritura erat: de compendio cogitatum fuit, quo non εὐχηιώνως tantùm: sed εὐτάκτως etiam omnia in Ecclesia fierent.

Ad Januar. ep. 119.

LIIX. Præfixit quidem Augustinus regulam, Si vix aut omninò nunquam inveniri possint causæ, quas in hujusmodi ritibus instituendis homines secuti fuerint: ubi facultas tribuitur, sine ulla dubitatione illos resecandos esse.

LIX. At vacat in hoc negotio utraq; clausula sive cautio. Nam & causæ sunt, quas

quas in his ritibus instituendis, homines sunt secuti: & citra facultatem, hoc est, justam & tempestivam occasionem, resectio diversi ritus, & novi introductio à correctoribus suscepta atq; instituta est. Quo nomine extremæ temeritatis culpa non caret eorundem turbulenta machinatio.

LX. Sed ad elenchum adversariæ confirmationis manus admovenda est, cujus vanitate perspecta, ultrò sententiæ nostræ firmitas eluceſcet.

LXI. Sunt autem firmamenta sex, quibus pessimæ causæ præsidium imponitur. 1. Exemplum Christi. 2. Mandatum ejusdem. 3. Apostolica observatio. 4. Ipsius Eucharistiæ ab hoc ritu indigetatio. 5. Mysticarum cogitationum designatio, & arcanorum maximorum adumbratio. Sextum est, quod ex Lutheri autoritate concinnatum producunt. Quæ singula consideratione merentur.

LXII. Quoad primum: de facto Christi, non est controversia. Manifestæ enim literæ illud esse, jam supra indicatum, & ultrò concessum est. Sed vitiosa est ἑρμήνεια, Factum Christi, Exemplum Christi. Siquidem facta ejus non sunt omnia exempla.

LXIII. Omnis quidem actio Christi nostra est institutio: sed non in specie facti: verùm sub generica duntaxat consideratione. Quæ in præsenti negotio ad probandum nihil momenti habet.

LXIV. Sed arctius premenda est argumentatio. Concinnata enim in hunc modum sonat: Christus fregit panem. Ergo nobis perinde, & nullatenus aliter faciendum est.

LXV. Primùm elenchus est τὸ ἐπὶ μέρους: quia ex particulari surgit probatio. Itaq; nisi medii complexus universalis detur in hoc argumento, extremorum languida, imò nulla erit connexio.

LXVI. Instantia hoc illustrari potest. Christus jejunavit in deserto 40. diebus & noctibus. Gaudete ergo Romanenses, Evictum est, de quo pugnatis, quadragesimale jejunium. Christus miraculis veritatem suæ doctrinæ confirmavit. Nulla ergo valeat doctrina cujusquam, nisi qui miraculis eandem confirmaverit.

LXVII. Secundò paralogismus τὸ αἰτεῖν eodem argumento committitur. Fregit Christus panem, quia ipsemet eundem ad distribuendum prius non apparaverat:

vetat: sed qualem ex aliena præparatione tum fortè ad manum habebat, usurpavit. Finge ipsi præparationem panis Eucharistici fuisse faciendam, qualis fieri à nobis solet, qui non extempore ad celebrationem Cœnæ accedimus: haud dubiè non unum feciſſet, quem posteà comminueret panem: sed partes comminutas, & ad distributionem jam præparatas feciſſet haud dubiè. Ita ut in diversis planè terminis causæ versetur Christi & nostra actio.

LXIIX. Deniq; ἄγνοια ἐστ ἐλέγχῳ propter facti diversitatem maximam. Christus ne integrum quidem panem aut placentam adhibuit, quam fregit. Erat enim paschali convivio destinata, quo jam absoluto, cum fragmentorum aliquid remansisset, ea jam in Cœna illa comminuta, in Cœnæ novæ institutione adhibuit, qualia in promptu habere potuit, talia tamen, quæ cibationi duodecim discipulorum sufficerent. Jam nos ex correctoribus percontemur, Nũ in sua Cœna panes ex aliis conviviis residuos, panes jam antè comminutos & confractos, panes in usum duodenorum communicantium sufficientes adhibeant? Quo negato, quinam

sibi cum facto Christi conveniat, deliberent.

LXIX. Vident correctores argumenti nullitatem. Proinde aliò se conferunt, expressi mandati à Christo fractionem panis esse affirmantes. Mandatum autem expressum esse ajunt verbo illo imperante, Facite hoc. Quæ verba de omnibus his, quæ fecit Christus, intelligenda esse, libellus Marpurgensis asserit. Macte virtute. Huc enim audaciæ Novatorum & Calvinistarum nemo quisquam, quod sciam, progressus est.

2.

A v.

A vij.

LXX. Atqui Christus ipse optimus suorum verborum interpres est, qui hæc verba non actui fractionis: sed præcepto manducationis subjunxit, & modum ac finem præfinitum voluit, quo manducandum esset, nempe in sui commemorationem. Luc. 22, 19.

LXXI. Constat hoc magis, Apostolo etiam ipso interprete. Hic enim edisserens, quid sibi verba ista mandati velint, sic exposuit, Quotiescunq; panem hunc ederitis, &c. mortem Domini annuntiabitis.

LXXII. Jam qui Marpurgensi huic libello, cum Cassellano altero convenit, qui

A iiij. b.
B iiij.

qui hæc verba à verbis circumstantiarum diserte distinguit, & illa cum his minimè conjungenda esse edicit. Imò eos, qui verbis mandati addunt aliquid, & plura illa faciunt, aut latius diducunt, quam Christus fecit, perinde in errore esse pronuntiat, atq; eos, qui mandato Christi derogant. C ij.

LXXIII. Quod si verba ista, Facite hoc, κατὰ κοινῶ ad omnia ea, quæ Christus fecit, extendenda sunt: cur non nocta tantum? cur non Jerosolymis itidem, in cœnaculo, atque extra templa? cur non paschali duntaxat tempore? cur non cœnatis prius? cur non recumbentibus potius, quàm stantibus, Cœnam Dominicam administrant?

LXXIV. Sed ne huic quidem firmamento satis fidunt ipsi. Proinde ad Apostolicam observationem confugiunt: non quidem illam simpliciter (Nam ex hac nihilo plus causam suam adjutum iri dorantur, quàm ex facto Christi) sed mandati divini modificatione inculcatam, idq; in hunc modum, Apostoli nil nisi à Christo mandatum fecerunt. At fractionem panis observarunt, Testantibus hoc Actis Apostolicis, Act. 2, 42. 46. & 20, 7. Ergo, &c.

LXXV. Si de expresso præcepto mandatum accipiatur, bisariam laborabit major. Nam neq; quæ ab illis facta sunt, mandata omnia à Christo fuerunt. Exemplo esto, sors super electione Mathiæ Apostoli missa, Act 1, 26. Decretum de suffocato & sanguine, Act 15, 20. Circumcisio Timothei, Act. 16, 3. Tonsura & sanctificatio Pauli, Act. 18, 18. & 21, 26. & similia. Et quæ à Christo mandata erant, non omnia ab ipsis facta sunt. Id quod & somnus, & fuga eorundem in horto, & contentio de primatu in Cœna ultima plus satis ostendit.

LXXVI. Jam ubi expressum illud mandatum extet, commonstrandum erit. Nam verba illa, Facite hoc, ad hanc rem nullo modo referenda esse, ex parte nostra ad sufficientiam evictum est.

LXXVII. Sin ad occultum mandatum, & traditionem confugitur: Augustini illud reponderi poterit, Tract. 96. in Joannem, Cum Dominus tacuerit, quis dicet, illud vel illud esse: aut si dicere audeat, unde probabit?

LXXVIII. Ecquæ verò hæc erit Pandoræ pyxis in Theologia, pro scripturis manifestis, ad occulta mandata provocare?

79. Quod

LXXIX. Quod ad minorem attinet; constat equidem de πλυσμονία istius phrasis. Aliquando enim vulgaris cibi sumptio, eaq; ut OEcumenius annotat, parca & frugalis, hac phrasi notatur. Qui sensus magnis interpretibus in locis allegatis non displicet. Quo obtinente, nihil pro sua sententia hinc habebunt adversarii.

LXXX. Quandoq; distributio eleemosynæ hac phrasi significatur, Esa. 58, 7. Frange esurienti panem tuum. Quam significationem loci, Act. 2, 46. esse propriam, Calvinus ipse non diffitetur.

LXXXI. Quæ phrasis a forma panis ortum duxisse videtur, quæ Hebræis in usu non crassa aut densa: sed lata & tenuior fuisse videtur, ac proinde fractioni, quàm scissioni aptior, quales nostræ sunt placentæ festales.

LXXXII. Hinc factum est, ut in Cœnæ etiam institutione, phrasis ista servata sit. Nam cum panis in promptu esset, cujus usus tum in Cœna paschali fuerat, partem hujus in novo Cœnæ Dominicæ instituto fractam iterum, communisse, & ad edendum discipulis distribuisse Christus dicitur.

LXXXIII. Posito igitur, imò concesso etiam, locutionis istius termino, Cœnæ Eucharisticæ celebrationem in Actis esse notatam: num statim partitionem in frusta, eamq; manu fuisse factam, consequens est? aut si hoc detur etiam, Num illicò simplicis necessitatis ritum istum esse, fuerit consectaneum? Neutrum opinor.

LXXXIV. Supereſt enim illud, quod ipse etiam libellus Cassellanus inculcat, phrasi ista, Frangere panem, ex idiotismo linguæ Hebrææ significari distributionem & acceptionem, ut tum fractio panis intelligatur esse facta, cum Cœnæ Dominicæ administratio per distributionem celebrata est, quocunq; interim ritu aut modo comminutionis observato, qui vel secando, vel frangendo factus sit, quorum posteriorem tamen in Judæa usitatiorem & probabiliorem fuisse, ultrò largimur. D iij. b.

LXXXV. Eadem datur ad locum Apostoli, 1. Corinth. 10, 16. responsio. Distributione enim Eucharistiæ facta, panis fractus esse verè dicitur, pane ipso quocunq; modo comminuto, qui tamen distributionem non admittit, nisi fractus, concisus, comminutus. Ita ut hilo etiam

iam minus sit, quod pro ritu isto stabiliendo ex locis istis adducitur.

LXXXVI. Nihilo magis triumphat ea ratio, quæ ab indigetatione petitur, dum adeò necessarium, & tanti momenti habitum fuisse ritum istum ab Ecclesia primitiva gloriantur, ut ab hoc appellatio etiam Sacramento isti attributa sit.

LXXXVII. A tempore, quo idem institutum est, nocturno, & vespertino epulo, in quod institutio eadem incidit, Cœnæ appellationem Sacramentum hoc ipsum sortitum est. Adeóne verò absurdus erit quisquam, ut non nisi tempore nocturno, nec nisi à cœnantibus aut cœnatis celebrandum esse hoc mysterium existimet?

LXXXIIX. A donationibus in pauperes erogatis, & ab oblationibus munerum à dilectione profectis, Sacramentum hoc ipsum, ἀγάπης, Oblationis & Sacrificii appellationem meruit in Ecclesia primitiva. Neq; tamen invenitur, qui donationes & oblationes istas, vel simplicis necessitatis: vel de substantia Sacramenti istius esse contendat.

LXXXIX. Sunt, qui varias hujus appellationis causas investigant; ex Sacramen-

cramentaria gente præcipuè, nempe ut numero obtineant, quod ratione non evincunt.

XC. Nobis una atq; altera sufficit, præcipuè Scripturarum fundamento nixa, qualis hæc est primùm, quod in communi epulo Cœna institura fuit; in quo panis fractus fuit, quas patrisfamilias fuisse partes, non est ambiguum: præcipuè Christi consuetum fuisse morem, ipsum quoque non est obscurum, saltem ex historia Emauntica. Luc. 24.

XCI. Altera à phraseologia ducitur, Hebræa præcipuè, quæ distributionem notans, sacro isti mysterio vel maximè competit, siquidem nemo unus sibi hujus mysterii sumptionem usurpat: sed in communione usus ejus præcipuè consistit, quæ sine distributione nulla sit.

XCII. Quod si à concurrente beneficentia tertium etiam libet addere, cui in usu Sacramenti istius studere pii præcipuè debent, ut esurienti frangant panem suum, Esa. 58, 7: completum in hoc genere aliquid habebitur, aliis rationibus ad eos ablegatis, quibus nocere, quàm docere magis est propositum, quique ad fingendum paratiores sunt, quàm ad vin-

cen-

cendum. Id quod sequens ratio ab ipsis producta, evidenter commonstrabit.

XCIII. Nam hic Durandos novos repræsentant, Rationali divinorum officiorum conscripto eo, cujus rationem Ecclesia nullius temporis unquam agnovit, quæ in adumbratione & repræsentatione tota posita est, eaq; gemina.

XCIV. Priorem libellus Marpurgensis ponit in passione & morte Dominica, cujus necessaria omninò est recordatio, quæ fiat commodissimè in fractione panis. Editur enim panis Eucharisticus pro applicatione: frangitur autem, pro recordatione mortis Christi. Et quia pro verbo Tradendi, quo Lucas usus est, Luc. 22. 19. Apostolus utatur verbo Frangendi: ideo sine ritu fracti panis, quo nobis primarii & principalis partis istius in Cœna Dominica fiat adumbratio, Cœnam istam plenè & legitimè celebrari neque debere, neq; posse. In cujus sententiæ præsidium ex vernacula Bibliorum versione adducitur etiam illud Joan. 2. 19. Frangite templum hoc, &c. quod à Christo de corpore suo dictum fuerit. A viij. b.

XCV. Jam Augustinus etiam sub hac causa in subsidium vocatur, qui Sacra-

crementum vocet Verbum visibile. In eo oculis cerni debere, quod in verbo auribus annunciatur. Item scriptum reliquerit, Sacramenta non fore Sacramenta, nisi similitudinem haberent earum rerum, quarum sunt Sacramenta. Similitudinem autem dolorum, passionum & mortis Christi in fractione panis rectissimè proponi. Ergo summè esse necessariam.

XCVI. Alteram adumbrationem esse de Unitate corporis Ecclesiastici, seu membrorum Christi, Ad quam Apostolus 1. Corinth. 10, 17. & 1. Corinth. 12, respiciat. Ut autem ea, quæ exigitur, symmetria coalescamus in unum corpus, fieri neutiquam posse, si peculiarem quisq; hostiam seu panem Eucharisticum accipiat. Hæc isti.

XCVII. Judaismi aliquid commentatio ista resipit, quasi mysteria Sacramentorum nostrorum typis novis scateant, & rursus pro corpore atq; rebus ipsis, figuræ atq; umbræ nobis obtrudendæ sint.

XCIIX. Edoceri autem planis scripturam documentis petimus, ubinam, & quibus verbis adumbratio ista & repræsentatio nobis vel proposita, vel mandata sit?

sit? Manducationem nobis & bibitionem præceptam esse, hoc non ignoramus. Recordationem ejus, hoc est, mortis Dominicæ prædicationem faciendam esse, rectissimè meminimus, 1. Corinth. 11, 26. De adumbratione facienda nihil quicquam scriptum invenimus.

XCIX. Et quamvis fractionis panis benè crebra fit mentio: ea tamen passionem Domini adumbrari, nusquam expressum habetur: Peculiari autem arbitratu typos comminiſci, nimis temerarium est.

C. Similis in Baptisticum Sacramentum ingesta est adumbratio, dicendo, Sicut aqua sordes corporis abluantur: sic animæ sordes Baptismo mundari, q- beneficii istius pars ad corpus nulla redundet: aut aqua respectum illum in Sacramento isto unicè sustineat, quam ipsi Petrus disertè abrogat, 1. Pet. 3, 21.

CI. Quid verò tandem passio & mors Christi cum comminutione fragmentorum panis commune habet, aut analogicum? Corpus Christi fractum non est, quod fieri necessum fuisset, si fractio panis adumbrare istud debuit.

CII. Imò frangi ne quidem debuit,

aut

aut potuit, Exod 12, 46. & Joan. 19, 33, 36. Quæ hîc ergo similitudo fingitur?

CIII. Quod si excipiatur, licet reipsa fractum non sit: tamen convulsum esse, apertum latus, confossas manus & pedes esse, tandem etiam corpus ab anima separatum esse, quod analogicè fractio dici queat: in promptu erit responsio, analogicæ fractioni, fractionem simplicem non respondere, & sic non esse adumbrationem, id, quod dicitur; imò analogicæ fractioni, analogicam repræsentationem opponendam esse.

CIV. Imò hoc verè esset pro luce umbras, imò tenebras potius in Ecclesiam invehere. Majorem enim lucem habuisset veteris testamenti agnus paschalis in repræsentanda passione & morte Christi: quam novum testamentum haberet in fractione panis.

CV. Apostoli terminus agnoscitur, tribuenti fractionem corpori Christi. Sed quali sensu quæritur. Non simplice utique (hunc enim ea, quæ jam sunt dicta, non admittunt) sed figuratum & metaphoricum, eum scilicet, quem unanimis reliquorum Evangelistarũ explicatio ponit, Tradendi scilicet in mortem. Attritus enim

enim propter scelera nostra, vulneratus est propter iniquitates nostras, Esa. 53, 5. sed sine partium integralium comminutione.

CVI. In Joanne, non Frangendi: sed solvendi verbum extat, ex quo isti fractionis ritum tum elicient, si asinum à discipulis solutum, Christoq; in ingressu Jerosolymitano adductum, ab ipsis fractum esse monstraverint.

CVII. Quo sensu Augustinus & antiquitas pia, Sacramentum appellarit Verbum visibile, piis non ignotum est, nempe, Quoniam gratia Evangelii & promissio de remissione peccatorum, in Sacramentis ritu in oculos incurrente (qui sensus omnium est efficacissimus nobis) proponitur, quæ in verbi prædicatione, auditui duntaxat, & sic invisibiliter, traditur.

CIIX. Nimis ergo à rhombo longè discedit, quando sub hoc prætextu quidvis in oculos ingeritur. Et causæ Pontificiæ egregium patrocinium statuitur, dum missarici sacerdotes, maximam ferè partem passionis Dominicæ, in theatrico suo lusu celebrandæ Missæ à se repræsentari quasi ad vivum nugantur.

CIX. Sacramentorum symbola ipsa, ceu partes, adeoq; Sacramenta ipsa integra, habent utiq; earum rerum similitudinem, quarum symbola sunt, aut Sacramenta: sed non nisi eam, quæ à Scriptura monstratur, in Cœna quidem, Panis & Vinum, Corporis & Sanguinis Christi, idq; discretè, Non Panis, sanguinis Christi: aut Vinum corporis ejusdem: sed vice versa: Rursus totum Sacramentum, manducatione & bibitione rei utriu que, elementaris nimirum & cœlestis, sumptum, similitudinem habet refocillationis ejus, quæ ex gratia & remissione peccatorum, esurienti spiritualiter & sitienti cuivis obtingit.

CX. Ulterius autem similitudinem istam rapere, quàm à Scriptura est permissum, aut quidvis etiam libidini suæ hac in parte permittere, à pietate alienum esse existimandum est.

CXI. Adumbrationem alteram in usu Patrum & doctorum Ecclesiasticorum aliquatenus esse, præcipuè in materia sermonum homileticorum: non eundum est inficias. Sed illud inde consequi, quod infertur, minimè conceditur.

CXII. Sicut ex farina multa unus fit panis: ex acinis uvarum expressarum multis unum fit vinum: ita ex piis uno & eodem pane vinoq; communicantibus, unum in Christo fieri corpus asseritur. Rectè hoc, vereque. Sed num illud itidem rectè vereq;, quod infertur, Ergo panis Eucharisticus in publico necessariò est frangendus? Neutiquam: quippe à re ad modum rei fit collectio. Imò sic non ad fractionem: sed ad subactionem, pistionem, &c. colligendum esset.

CXIII. Cum in convivio eodem plures hospites considunt, eodem omnes pane vesci dicuntur, cum ex eadem farina pisto fruuntur. Et cùm ex hoc facto concordiæ & dilectionis iisdem intercedentis argumentum libet petere, verè rectéque dicere possem, sicut uno pane vescantur: ita unitatem ipsis suavissimam intercedere. Quemadmodum ergo hic non est opus cocto uno pane grandi, & in particulas comminuto, ut uno pane fruiti dicantur: nec solvitur concordia, aut non indicatur, cum fractio unius panis non est adhibita: ita res habet pariter in negotio Eucharistico.

CXIV. Quod si ad unitatem spiri-

tualem, quæ ex fide pendet, designandam, unius panis massa, ejusdemq; fractione opus foret: his qui in diversis locis sunt, Unionem spiritualem intercedere impossibile foret.

CXV. Imò laboratura esset, quæ in Symbolo creditur, Sanctorũ communio.

CXVI. Deniq; apud ipsos Novatores non constare posset illa, de qua nugantur Unitas, qui non singulares quidem sed quaternarios tantũm panes in sua celebratione dicuntur adhibere. Unde non pluribus, quàm quatuor communicantibus Unionem & Communionem intercedere foret consequens.

CXVII. Proinde cum ipsis divisionem panum libeat facere tum, quando quaternarios pinsunt, & ad usum Cœnæ destinant: quid prohibeat, si singulares à nobis fiant, de farina quidem una & eadem, ac proin frangendi seu comminuendi, si illorum usus esse ad distributionem debeat; sed comminuendi vel manu, vel cultro, idq; vel publicè vel privatim: siquidem de istorum neutro vel mandati, vel interdicti in Scripturis quicquam invenitur.

CXIIX. Deniq; pro stabilienda fractio-

ctione panis, ex Luthero varia loca à correctoribus adducuntur, pleraq; omnia desumpta partim ex secunda parte libelli de abusu Missæ: partim ex libello de utraq; specie Sacramenti.

CXIX. Qui Sacramentariam fidem Novatorum in istis allegationibus vult deprehendere, sequentia περιπέλα notet. 1. Lutherus de ea fractione panis agit in locis allegatis, sine qua Cœna Domini celebrari legitimè non potest, quaq; omissa, è diametro cum institutione & ordinatione Christi pugnatur. Atqui fractionem panis eam, de qua contendunt Novatores, Lutherus ipse nunquam usurpavit. Consequens ergo foret, Aut nunquam à Luthero Cœnam Dominicam legitimè, & juxta Christi institutionem fuisse celebratam: aut contraria Lutherum sibi & fecisse, & scripsisse. Talem scilicet isti homines Lutherum fingunt. T. 2. Jenens.

CXX. 2. Loca, quæ allegantur, omnia, è diametro Pontificiis sunt opposita, idque in negotio Privatæ, seu, quam ipse appellat, Angularis Missæ, in qua à solo sacrificante fit manducatio & bibitio, omissa prorsus distributione, quam fractionem panis ille nominat,

sensu translato. Jam ea, quæ contra Pontificios militant, in aciem contra Evangelicos producere, quæq; translato sensu à Luthero dicta sunt, in simplicem sensum contra eundem intorquere, cujus nam fidei sit, orthodoxus quisq; judicet.

CXXI. 3. Lutherus duo ista, Fractionem panis, & Distributionem, non alio sanè sensu, quam ἐξηγητικῶς, semper ferè conjungit, quo rectius de sensu suo constare posset: idq; tum etiam, cum qui de fractione ista panis Sacramentaria litem Ecclesiæ reformatæ moveret, in natura rerum non daretur conspiciendus. Correctoribus tamen non est piaculo, divulsione istorum verborum facta, mentem Luthero affingere, quæ in mentem venire ipsi tum per temporum rationem ne quidem potuit.

CXXII. Quæ cum ita sese habeant, uti dictum est, ut neq; exemplo Christi evinci: neq; mandato ejusdem probari: neq; observatione Apostolorum doceri: neq; nomenclatura appellationis obtineri: neq; ulla mysticarum cogitationum designatione propugnari: neque autoritate Lutheri defendi ullo modo possit, necessaria frangendi panis in Sacrosancta

Eucha-

Eucharistia demonstratio: duo hinc haud immeritò elicimus. Quorum primum, est, gravis illa & plus quàm tremenda Novatorum insimulatio, qui sine ritus istius observatione, Cœnæ sacratissimæ legitimam celebrationem unquam esse factam, aut fieri etiam posse, pernegant.

CXXIII. Qua assertione stante, consequens est, neq; à tempore reformatæ religionis in Ecclesiis, consensum in doctrina cum Luthero profitentibus, legitimè uspiam Cœnam Dominicam celebratam esse, quippe parte sui præcipua & principali destitutam, ac proinde nullam: neque etiamnum hodiè Ecclesias Augustanæ confessioni addictas, de mysterii istius sacratissimi thesauro vero gaudere posse. Quam injuriam Christo capiti & judici vindicandam relinquimus.

CXXIV. Alterum illud est, Quæ sit rei ejus, de qua hac in causa Ecclesiæ lis movetur, natura & conditio, Non qualem Correctores fingunt, absolutè & simpliciter necessaria, non ad substantiam & integritatem Sacratissimæ Cœnæ pertinens, aut partem ejus præcipuam ac principalem constituens: sed talis; quæ liberam prorsus observationem habeat, quæ-

que ad classem rerum indifferentium, quas adiaphora vocant Theologi, unicè est referenda.

CXXV. Undè æstimandum tandem piis mentibus relinquimus, Quid sit de correctorum facto, tranquillitatem pacatæ Ecclesiæ sua temeritate deformationis perturbantium, & necessitatem cultus in re liberrima atque indifferente statuentium, judicandum.

CXXVI. Leges enim figere sine verbo Dei, conscientiis hominum vincula injicere, summam pietatis in rebus externis constituere, in peccati censu collocare id, quod non est eodem à Scriptura ipsa relatum: hæc turbulenti & mendacis spiritus opera sunt.

CXXVII. Alium non ordinem tantùm: sed formam etiam plantandæ salutaris doctrinæ, regendæq; Ecclesiæ, exemplo suo monstratam Christus & Apostoli nobis reliquerunt.

CXXIIX. Nam ut salva sit legis atque Evangelii doctrina, ut rectè sonet concio pœnitentiæ, ut in negotio operum, præscripta divinarum tabularum duntaxat valeant, ut semper vigeat charitatis studium, ut consternatis mentibus nun-

nunquam desit efficax consolatio, ut usus Sacramentorum ritè habeat, &c. præcipuè laboratum fuit.

CXXIX. Postquam satis hîc officio factum est, externarum rerum curæ, quarum exercitium ad modicum est utile, 1. Timoth. 4, 8. operæ etiam aliquid datum est.

CXXX. Verùm ideo demum modo & ratione, quæ est rerum ipsarum naturæ & conditioni, conformis atq; congrua.

CXXXI. Primùm observatis regulis Apostolicis. 1. Ut omnia fierent ad ædificationem, 1. Corinth. 14, 26. Destructio enim & ἀναστασία à Deo pacis atque ordinis patre non proficiscitur. 2. Ut omnia fierent decenter atq; ordinatè, 1. Corinth. 14, 40.

CXXXII. Tum relictis in suo genere censuq; rebus hisce tractandis, qui est ἀδιάφορος, medius atq; indifferens, sic nimirum comparatus, ut neque pietatis summa in usu: neq; conscientiæ reatus in neglectu istarum rerum per se ullus consisteret.

CXXXIII. Nam in his rebus non fert libertas Christiana, ut conscientiis fabricentur compedes, aut religioni figan-

tur leges in utramvis partem, quæ vel observatu bonum, vel neglectu ipso deteriorem quenquam faciant.

CXXXIV. Quod si ab hoc tramite in utramvis partem, vel præcepti, vel interdicti, ulla fiat discessio: tum verò non tanquam pro rebus leviculi momenti: sed pro ipso libertatis Christianæ deposito, non ut pro focis tantùm, sed ut pro aris ipsis, & soli cuivis pio, & cum aliis, cumq; ipsa Ecclesia depugnandum est.

CXXXV. Tyrannis enim hæc est nova in Ecclesia, Pontificiæ illi, quam divino beneficio excussimus, par & æqualis, falsitate primùm, quamvis eidem in materia rerum, & genere actionis, è diametro opposita: tum violentia etiam & crudelitate.

CXXXVI. Papa præcipiendo in rebus mediis: Sacramentaria gens, Correcturam professa, prohibendo, tyrannidem exercet: Papa rerum liberarum usum: ista gens, earundem abstinentiam facit necessariam. Geminus autem iste duntaxat modus est, quo libertatis Christianæ thesaurus violatur, ex parte una, si res à Deo non præceptæ, legibus necessariæ observantiæ ab hominibus astringantur: ex

alte-

altera, si res à Deo non prohibitæ, legem necessariæ abstinentiæ ab iisdem fortiantur.

CXXXVII. Par hîc utrobiq; est tyrannis, & carnificina conscientiarum eadem. Nam sive omittendum sit ex præscripto humano, sub venditatione cultus divini, cujus usum Deus liberum reliquit: sive faciendum sit ex necessitatis imperio, cujus abstinentiam Deus voluit esse arbitrariam: pari vinculo constricta tenetur hominis conscientia, pari periculo libertas Christiana est obnoxia.

CXXXIIX. Deo autem soli in conscientias hominum constat magisterium, & mixtum, quod dici solet, merumq; imperium, tum in præcipiendo, tum in prohibendo circa hæc, quæ ad cultum divinum pertinent.

CXXXIX. Hoc ergo vel non præcipiente, cum ab hominibus præcipitur: vel non prohibente, cum ab iisdem fit prohibitio: laquei nectuntur conscientiis, Christiana libertas in periculum adducitur, & Deo ipsi gravissimè præjudicatur.

CXL. Id dum à dextra exorbitans Papa facit in partem præcepti: à sinistra hallucinans gens Sacramentaria in partem

interdicti: medio tramite incedens orthodoxa Ecclesia, neq; Papæ in liberis rebus præcipienti: neq; Novatoribus in eodem rerum genere prohibenti se subjugandam accommodat: sed liberis rebus liberè utens, tum faciendo, tum omittendo pro libertatis Christianæ custodia in excubiis agit, neutri parti vel ad horam cedens in subjectione, ut veritas Evangelii illibata atque intemerata permaneat Gal. 2, 5.

CXLI. Imò tantùm abest, ut se subjugari atque in servitutem redigi hac in parte patiatur, ut pro asserenda libertate, si res & tempus ferat, utrobiq; in contrarium planè, spiritu heroico renitatur, projiciendo ea, quæ Papa tanquam necessaria præcipit: usurpando viciſſim ea, quæ Novatores ut necessaria prohibent: Extra casum præcepti aut interdicti, neque illa omissura, neque hæc usurpatura.

CXLII. Causa facti ea est, ut sese dominam esse rerum istarum mediarum testatum faciat, neq; exui se ab hominibus patiatur libertate ea, in quam est ab ipso Filio Dei, non auri vel argenti: sed pretiosissimo sanguinis sui λύτρῳ asserta.

143. Fun-

CXLIII. Fundamenta autem facti sui Ecclesia habet firmissima hæc. 1. Quia doctrinis & mandatis hominum Deus frustrà colitur, teste Christo, Matth. 15. v. 19.

CXLIV. 2. Filius hominis Dominus est etiam sabbathi, Matth. 12, 8. Dictum est autem hoc propter discipulos, quos in pari rerum istarum dominio constitutos esse voluit. Et si sabbati quidem, quod tamen præcepti divini favore nitebatur: quidni aliarum rerum magis externarum, quæ privilegio simili non gaudent.

CXLV. Hoc est autem spirituale illud dominium libertatis Christianæ, ut conscientia sit in genere istarum rerum libera. Quod tum fit, si neq; servando istas pius ac religiosus: neq; omittendo, prophanus aut impius quisquam statuitur.

CXLVI. 3. Gravissima est Apostoli sententia, Gal. 5, 1. Qua libertate vos Christus liberavit, in ea state, & nolite iterum jugo servitutis (Leviticæ, multò magis humanæ) alligari: observata ratione ea, quæ ab eodem inculcata fuit antea Gal. 2, 5. Quod libertate hac amissa, veritas Evangelii non amplius apud nos permanet.

147. Ra-

CXLVII. Ratio est, quia cum fidem extingui necessum sit in anima, traditionum humanarum doctrinis obnoxia, fieri nullo modo potest, ut Christus ibi porrò habitet.

CXLIIX. Extincta fide, pulsoque Christo, principi tenebrarum & patri mendacii locum concedi illicò est consequens, A qua tristissima servitute, pios Evangelii confessores, Christus vindex & assertor libertatis nostræ, quaqua versum clementissimè conservet, tueaturque. AMEN.

DISPUTATIO IV.

DE PACE ECCLESIÆ EVANGELICÆ.

Præside GEORGIO MYLIO D.
Respondit M. POLYCARPUS LYSERUS *Wittebergensis.*

13. Martii 1607.

I.

Inscriptio libelli.

PRodiit haud ita pridem in lucem libellus, argumento constans haud infausto, quippe εἰρηνικὸς, & de pace Ecclesiæ Evangelicæ exhortationem continens.

2. Ad

II. Ad eum respondere, equidem non ignoramus, non esse privati unius & alterius hominis.

III. Nec imus inficias, scholastici suggesti & fori disputatorii non esse propriam hanc provinciam.

IV. Ecclesiæ enim istæ partes sunt, quæ hominum tum Theologica scientia, tum rerum usu ac prudentiâ valentium, indaginem desiderant.

V. Sed quid vetet interim, præparatorio discursu argumentum istud ventilare, & stimulis quasi subditis, Ecclesiam officii sui equidem non admonere; sed ad expediendum id, quod meditatur, susurratim quasi instigare?

VI. *Ecclesiæ Palatinæ* subscriptionem libellus in frontispicio præ se fert. Cujusnam? Electoralis, an diversæ? Differentem enim esse, non est obscurum. Quid ergo si Palatina Palatinæ respõdeat? *Subscriptio.*

VII. Sed quia *Electoralem* intelligi, locus impressionis in eodem statim frontispicio arguit: quid sibi vult, quod sociis aliis, Helveticâ, Sabaudicâ, &c. exclusis, Palatina causam istam suam facit? Sanè, quod tangit multos, à multis itidem tractari debet, ne causæ communi, singulari

lari actione præjudicetur, utq; constet, ratum iri habitum, quod in communi causâ à parte una efficitur.

IIX. Nonnihil etiam tempus ipsum editi libelli nos admonet. Imminere tum judicabantur Imperii Comitia, quæ tamen prorogationem passa sunt. Hac occasione abusis Palatinis, utinam non fuerit animus vel pomum Eridos aliarum deliberationum instituto subjiciendi: vel insidiosâ machinatione Ecclesiam nostram circumveniendi, cum qua sciunt, aut scire saltem debent, causam istam tractandi non esse vel tempus, vel locum in Comitiorum strepitu.

IX. In modo scriptionis etiam scrupuli aliquid oboritur: Quod omnibus scribitur, nemini scribitur, & in ventum q. spargitur: præcipuè si anonymia illa accedat, ut à quo capite, vel autore, causæ tantæ tractatio proficiscatur, non constet.

X. Cùm Concordiæ nostratis causa tractaretur, non publicis & anonymis scriptionibus negotium hoc commissum fuit: sed Principes ad Principes datis literis, missisque legatis, adhibito prius Theologorum, aliorumque prudentium virorum consilio, rem istam curatam volue-

luerunt. Idq; exemplo Israelitarum, *Jos. 23.* Quid? quod idem, aut non multum absimilis agendi modus Palatinis displicuit, si res seria ab ipsis tractata fuit. Sed generalia sunt ista, quæ missa facimus, ad eorum quæ sunt specialia, considerationem accedentes.

XI. Summa libelli ad quatuor capita redigi potest, quorum primum est de *Fine*: secundum, de *Via ad finem pertendente*: tertium, *de conditionibus*: quartum, *de causis consilii & exhortationis*. Quæ singula qualia sint, accuratè disquirendum est. *Summa libelli.*

XII. Ac de *Fine* quidem multa in medium afferre, non est usque adeò necessum. Quo nomine Pacem operosè allegatis Scripturis suadere, *Joan. 13, 34, 35. & Joan. 17, 11, 21. 1. Cor. 10, 17. 1. Cor. 12, 12. &c.* id penulam est æstate deterere. I. *Finis.* *Pax Ecclesiæ. Fol. 3. 4*

XIII. Finem istum docet Natura, dictat ratio, pietas imperat, idq; tum etiam, si res sit nobis cum hominibus duntaxat, in quibus universali lege Naturæ conjunctis, præter Naturæ societatem nihil amplius invenimus, *Rom. 12, 18.*

XIV. Arctiùs hoc bonum nobis commendat communis gratiæ Vocatio apud eos, qui Christo Servatori ac Redemptori

nomen

nomen dederunt, ubi ex Naturæ conscientiâ, pacem corporis, ut membra: ex gratiæ conscientiâ, pacem Ecclesiæ, ut Filii Ecclesiæ, studio omni meditari, officio procurare pro virili parte debemus, ut alii feramus alios, & nunquam committamus, ut pax à filiis Pacis oppugnetur.

XV. In hujus pacis studio si Ecclesiæ Palatinæ, & sociis, Evangelica nostra hactenus officium suum non probavit, Deo judici supplicamus, qui paternâ sua gratiâ efficiat, ne diutius isti Ecclesiam nostram legitimo testimonio defraudantes, in meridie ipso cæcutire deprehendantur.

XVI. Imò hac in parte in orbe Christiano dica Palatinæ ipsi Ecclesiæ scribitur, quæ ea hucusq; pacis specimina edidit, ex quibus patere non potuit, quantum apud istam non dico communis gratiæ Vocatio: sed vel ipsa Naturæ saltem societas valeat. Id quod Ambergensis Ecclesiæ suspiria. Bonreuttensis sanguinolentæ lachrymæ, Ministrorum exilia, civium captivitates & mulctæ, subditorum pressuræ, documentis manifestis attestantur. Atque utinam non lingua testentur diversum, quàm animus sentiat, dum pacem & concordiam pleno ore eructant.

17. Equi-

XVII. Equidem nos bifariam *Pacis* indefessum *studium*, tum Palatinæ, tum aliis sociis Ecclesiis testatum ex abundanti facimus. Primò: *rogando ipsos*, ut si qua est exhortatio in Christo, si quod solatium charitatis, si quæ sunt viscera miserationum, ut de explendo piorum gaudio cogitent, & novationibus turbulentis Ecclesias vastare, artibus omnia evertere ac cædibus etiam nonnunquam cruentare desinant.

XVIII. Deinde, precibus ardentibus *orando Deum*, ut hominum istorum misertus tandem, ad pacis, si non Ecclesiasticæ, politicæ saltem studium sic eorum animos flectat, ne tranquillitate ea frui porrò non possit Ecclesia, quam si non optatam, tolerabilem saltem per summas illas Dei miserationes habere illa poterat.

XIX. Quid est autem, cur Palatinæ Ecclesiæ, ac sociis, pacem istam non præstemus, qui ad hujus præstandæ officium, cum Romanâ etiam Ecclesia in religiosi fœderis obligationem venimus, cujus fidem si pacta non firmarent maximè, religio tamen ipsa atq; conscientia in animis nostris stabiliret.

XX. In cujus nexus societatem non est, ut vel insidiosè ingerant, vel importunè

aut vano metu, intrudant sese Palatini, quibus non minus fide, quàm istis fœdere deberi à nobis, utut illi non agnoscant, nos tamen per gratiam Dei rectissimè nobis sumus conscii.

XXI. Quod si ulterius non progrederetur Palatinorum suasio, nec aliud quæreret, quàm hactenus dictum est: laborem scriptionis & exhortationis supersedere facilè poterat. Peteret enim quod habet, quæreret, quo fruitur, ac fruitur quidem, postquam à Deo est discessum, nostræ potissimum Ecclesiæ beneficio.

II. *Via Fraternitatis.*

XXII. Verùm transilit modestiæ & æquitatis limites suasio Palatina, finem istum ea viâ nobis commendando, qua nobis pietatis conscientiam non fas est, ambulare aut tutum progredi, *Fraternitatis* scilicet.

XXIII. Hic finium Ecclesiæ fundorum actus est, quorum terminos non confundi, tanti nostra interest, quanti est periculi, salutis ipsius æternæ causam interverti. Id quod hypotheses sequentes monstrabunt.

XXIV. *Prima* hæc esto, *Gemmâ lege fidelium conscientiæ obstringuntur in Scripturis, Tuendæ tam veritatis, tum pacis.*

XXV. *Pax* impetratur Matth. 5, 9. *Beati pacifici*

pacifici, Marc.9.50. *Pacem habete inter vos*, Rom.12.18 *Non est dissensionis Deus, sed pacis*, 1.Cor 14.33. Hebr.12.14. *Pacem sectamini cum omnibus*, Jacob.3.18. *Fructus justitiæ in pace seminatur facientibus pacem*, 1.Pet.3.11. *Qui vult vitam diligere, &c. inquirat pacem & sectetur eam.* Et passim alibi.

XXVI. *Veritatis* studium commendatur, *Joh.17.17.* dum Christus pro electis intercedit apud Patrem, *Sanctifica eos in veritate*, Gal.2.5. *Veritas Evangelii permaneat apud vos.* Gal.3.1. *fascinatio* vocatur, *si non obediatur veritati.* 2. Joan. v.2. *Veritas permanet in vos.* 2.Thess.2.10. *In receptione veritatis, salus: in repudiatione, exitium consistere* dicitur. 2. Tim.2.25. *Qui veritatem non agnoscunt, diaboli laqueis captivi teneri* perhibentur.

XXVII. *Utraque* conjunctim præcipitur Ephes.4.3. *Soliciti estote servare unitatem Spiritus in vinculo pacis.* Ephes.4.15. *Veritatem facite in charitate.* 2. Timoth. 2.22. *Sectare justitiam, fidem, spem, charitatem & pacem.* Zachar.8.16. *Veritatem tantùm & pacem diligite.*

XXVIII. Nolumus hîc suspicione gravare Palatinos, quasi sepiæ atramentum spargant, dum veritate prætermissa, pacis so-

lius studium inculcant: sed istud tamen monitos volumus, Spiritu S. autore, non ipsis magis ad pacem, quàm ad veritatem respiciendum esse.

XXIX. Quin imò, si digitum & ductum Christi attendere libet, hujus potior, quàm illius observatio nobis esse debere innuitur, id quod ordo ipse monstrat, quo paci veritas anteposita esse cernitur.

In Epistolis. XXX. Scripsit alicubi *Erasmus, Mihi à deo invisa est discordia, ut veritas etiam displicens seditiosa.* Id si de vitio hominum intellexit, mitigationem scriptio admittit. Sin de eo, quod accidit, sensus ipse fuit, utiq; à veritate multum aberravit.

XXXI. Pio enim cuiq; ita Veritas chara esse debet, ut pax quævis displiceat, quæ cum mendacio est conjuncta.

Cont. Arrian. f. 213. XXXII. *Speciosum* quidem *nomen est pacis*, inquit Hilarius, *& pulchra est optatio unitatis.* Sed quis ambigat, eam solùm Ecclesiæ atq; Evangelicorum unitam pacem esse, quæ Christi est?

XXXIII. Quo in sensu *Erasmum* Erasmo opponimus, qui alibi in iisdem epistolis scriptum reliquit, *Melior est talis pugna, quæ Deo proximum facit, quàm pax illa, quæ separat à Deo.*

34. Quin

XXXIV. Quis ergò *secunda* hæc esto hypothesis, *Concordiam atq; pacem veritate vacuam, esse impiam, ipsoq; facto nullam.*

XXXV. Ita quidem divinarum Scripturarum oraculis edocemur. Luc. II, 32. *Qui non est mecum*, inquit Christus, *contra me est, & qui non colligit mecum, dispergit.* 2. Cor 13. 8. *Non possumus aliquid adversus veritatem.* 2. Joan. v. 10. *Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non affert, nolite eum recipere in domum, nec Ave ei dixeritis.* 2. Cor. 6, 14. *Nolite ducere jugum cum infidelibus. Quæ participatio justitiæ cum iniquitate? quæ societas luci ad tenebras? Quæ conventio Christi & Belial? quæ pars fideli cum infideli? Quis consensus templo* Dei *cum idolis?* Quo sensu Apostolus hæreticum hominem post unam & alteram correptionem devitandum esse monuit, *Tit. 3. 10.* imò Hymenæum & Alexandrum circa fidem naufragos, Satanæ tradidit, *1. Tim. 1, 20.*

XXXVI. Quod si pro hoc sensu exempla antiquitatis libeat adducere, non singularia illa, Joannis, qui cum Cerintho balneum sibi commune esse noluit: Polycarpi, qui Marcioni fraternitatem atq; amicitiam ambienti, respondit, *Agnosco te primogenitum Satanæ*: sed communia Ecclesia-

Euseb hist. lib. 4. c. 14.

rum Antiochenæ, Alexandrinæ, Nicomediensis, Constantinopolitanæ & similium, quæ à corruptelarum & schismatum patronis, eorundemq; assecl is divortio manifesto se abjunxerunt: instituti modum tela ista longè excessura esset.

XXXVII. Sed & damus *tertiam* hypothesin, *Pax quædam externa est, temporalis & politica: spiritualis alia & interna, cujus utriusque maxima est disrepantia.*

XXXVIII. Illam colere possunt ac debent omnes; hæc in solo piorum exercitio consistit.

XXXIX. Illam omnes exercere debent erga quoslibet: hæc soli Deo, atq; ejus piè fidelibus ultrò citroq; intercedit.

XL. Illa ut mutuò sese homines ferant, & in externâ quadam societate pacatè invicem agant, efficit: hæc, ut spiritu unum sint homines, præstat.

XLI. Illius partim ex naturæ lege, partim ex vocatione ad communionem gratiæ, vinculum dependet: hujus tum in consensu de veritate cœlesti, tum in voluntatum atq; animorum pia conjunctione fundamentum unicè consistit.

XLII. Exemplum hujus in primitiva Ecclesia proponitur *Act. 4. 32. Multitudinis credentium*

dentium erat cor unum, & anima una. Christus autem conjunctionis hujus beneficium fidelibus suis a Patre cœlesti exorat, *Joan. 7. 21. 22. 23.*

XLIII. De hac pace verissimo verius scripsit *Nazianzenus: Nihil ad concordiam usq; adeo validum est in us, quibus res divinæ verè cordi sunt, atq; consensus de Deo. Nec quicquam adeo facit ad dissidium, atq; de eodem dissensio.* *Orat. de Pace.*

XLIV. *Ephesino* Episcopo suo Apostolus ita præcipit, *Sectare charitatem & pacem cum us, qui invocant Dominum de corde puro.* 2. Tim. 2, 22.

XLV. Jam, cùm alibi pacem esse, Apostolus idem dixerit, quæ cum omnibus hominibus sit colenda, uti suprà commonstratum est: aliam certè pacem esse arguit, quæ nobis cũ solis piè fidelibus intercedit.

XLVI. De hac ergo pace accipiendi sunt loci Evangelici & Apostolici, quos ex sermone Christi valedictorio, & epistolâ Corinthiacâ libellus Palatinus adduxit, quos ad pacem promiscuè cum omnibus colendam referre, à mente Christi & Apostoli prorsus alienum est.

XLVII. Jam ergo patet tandem ex datis hypothesibus, quàm sit iniqua suasionis Palatinæ flagitatio, nimirum 1. Pacem à nobis

bis exigunt, quæ sit veritate vacua, & cum ejusdem proditione conjuncta. 2. Coalescere nobiscum in Christo volunt: sed citra unitatem Spiritus. 3. Fraternitatem expetunt in dissidio de Deo, quam postulare, à ratione alienum: præstare à pietate est, quam maximè dissentaneum. Id quod liquidum sequens demonstratio efficit.

Amici.

XLVIII. De pace Ecclesiæ verba faciens Psaltes, *inter fratres & amicos sive proximos* dispescit, *Psal. 122. 8.* horum nomine eos notans, qui tametsi non sint prorsus extra pomœria Ecclesiæ, saltem secundum formam externam atq; ordinem spectabilem: germana tamen Ecclesiæ veræ membra non sunt, neq; ex facto adhuc sub unitate Spiritus ad eam pertinentia.

Fratres.

XLIX. *Fratres* autem in Ecclesiâ vera appellantur, qui in Ecclesiâ ipsa sunt, non societate tantùm Naturæ, aut communione gratiæ: sed veritate etiam & unitate Spiritus in Christo Jesu conjuncti.

L. Fingamus ergo, Palatinos intra gremium fraternitatis admitti à nobis; jam facto ipso testabimur, errores eorum vel approbari à nobis: vel in eo censu haberi, quibus veritas cœlestis nulla parte violetur. Quorum neutrum religio conscientiæ

tiæ permittit. Non est quidem cum Christo unum, qui cum fratre unionem solvit: Sed & unum cum Christo esse desinit, qui fraternitatis vinculo cum eo coalescit, qui cum Christo non colligit.

LI. Mirandum verò est, beneficium fraternitatis ab Ecclesia Palatinâ apud nos jam abiri, quod majores ipsorum utraque manu quondam in Comitiis Augustanis *Anno 1530.* repudiatâ nostra Confessione, respuerunt.

LII. Et quid est, quod in societate fraternitatis ejus esse cupiunt, cujus stabiliorem coalitionem, per *Formulam Concordiæ* superiori tempore factam, adeò illi Deo invisam esse pronunciarunt, ut abominatione quavis sit detestabilior?

LIII. Sed ad fontes ipsos dissidii, quo nostra & istorum Ecclesia scinditur, propius fiet accessio, Ubi cœlum terramq; testem vocamus, & mundi universi judicium imploramus, ratione an pertinaciâ, judicio an temeritate, jure an injuriâ factum sit, quòd & à Luthero negatum est Cinglio in Colloquio Marpurgensi Anno 1529. fraternitatis beneficium: & nos jam ab ejusdem beneficii concessione & indulgentiâ magis magisque, adeoque totis mentibus abhorremus.

LIV. Equidem, si in eo adhuc statu esset causa controversiæ, quo fuit tempore Colloquii Marpurgensis, & causæ novæ interim exortæ non fuissent: fortasse minus difficilem se Ecclesia præbere hoc seculo poterat.

LV. Verùm, exasperata nimis, & temporum progressu in pejus identidem mutata est Ecclesiæ adversæ professio & doctrina. Id quod privata illa causatum, rerum, actionum, dictorum, scriptorum singularium discussione atq; examinatione hoc loco omissa, communium tantum & publicorum dogmatum, eorumque, quibus jus & autoritas similis esse potest, assignatione commonstrabo.

Dissortium doctrinæ utriusq.

Deus.

LVI. De *Deo* in *Colloquio* publico *Mombelgardensi* non dictum, sed scriptum est: non disceptatum, sed enunciatum est, *Deum efficere non posse, ut Christi corpus uno eodemq; tempore, pluribus locis essentialiter præsens sit, aut ut alibi nunc sit, quam in cœlis*, fol. 53.

LVII. De eodem ibidem fol. 517. 523. publicè assertum, & deinceps acriter propugnatum fuit parte 2. Resp. ad Acta Colloquii, fol. 147. *Deum absoluto quodam & occulto*

cultro decreto, & voluntate ea, quæ causas omnes ordine antegrediatur, maximam generis humani partem, non ad exitium tantum æternæ damnationis: sed & ad peccatum ipsum ab æterno prædestinasse: quia justitiam suam in homine declarare non potuisset, nisi eum ad æternam damnationem destinasset.

LVIII. De *lapsu* protoplastorum & peccato originali publicè pugnatum fuit, *Oportuisse illos per Satanam decipi & labi, ut misericordiæ in condonando delicto locus esset. Lapsum ergo istum non invito Deo, neque nudâ & otiosa permissione aliquâ, quæ ab ipsius voluntate & decreto separetur, factum esse: sed cum finem ordinaverit Deus, necesse quoque esse, ut causas ad eum finem ferentes, constituerit.* Colloq. fol 525. *Lapsus protoplastorum*

LIX. *Velimus, nolimus, cogimur admittere,* habet Cinglii publica Confessio, *Peccatum originale, ut est in filiis Adæ, non proprie peccatum esse.* Unde est, quod *Calvinus* Institut. lib. 4. cap. 15. *Beza* Resp. altera ad Acta Colloq. fol. 103. 129. *infantes fidelium Sanctos & membra Christi nasci, generatione carnali non obstante,* pronuntiat.

LX. De *opere redemptionis & redemptore* ipso docetur ab adversariis, *Intolerabilem* *Redemptio.*

esse

esse vocem, si Christus dicatur mortuus esse pro damnatis, Colloq. Momb. f. 514. Hoc dogma peculiariter suum fecit Ecclesia Palatina, disputando, *Christum non esse mortuum pro omnibus*, Tossanus thes. 20. A. 89. Danæus in der Rettung f. 97. *sed tantùm pro electis.* Cui dogmati tamen adversa statim fronte repugnatur, cum beatis cælitibus in æterna vita adjunguntur Catones, Scipiones, Aristides, Socrates, Numa, Camillus, Hercules, & similes ethnici, quibus cum fide Christiana, ejusq; organis nihil commune fuit. *Cinglius in expos. fidei & R. Gualtherus in Apologia.*

Persona Christi.

LXI. De *persona Redemptoris Christi* si singula & singularia excutere libeat, nihil penè ab istis incorruptum relinqui deprehenditur. Sed emblemata aliqua publica colligentur, ex quibus tanquam ex ungue leo cognoscatur. 1. *Unionem* duarum Naturarum hypostaticam talem tradunt, quæ sola περιχώρησις id est, gestatione & sustentatione Humanitatis à Divinitate definiatur, quaq; salva dici possit, Totum λόγον esse in Carne assumpta, & totum λόγον esse extra eandem *Martyr. dial. f. 10.* Quid de hoc fœtu Nestoriano sentiat *Lutherus*, T. 3. *Jen. in Confess. Majori* videre licet.

2. Præ-

2. *Prædicationem* humanorum de Deo, & divinorum de homine, quantum ad Naturas, tantùm esse verbalem docent *Admon. Neost. ad. f. 70.* Quod est planè Samosatenum ex mortuis resuscitare. Hinc propositiones istas, *Deus est homo, filius Mariæ est filius Dei*, proprias & regulares nominant, *Consens. Orthod. f. 18. 122.* & sic resolvunt, *Filius Dei, qui sustentat humanam naturam est Deus.* Deniq; nihil verè dici de Humanitate posse asserunt, nisi quod vel ipsa est essentialiter: vel quod accidentaliter & subjectivè ipsi insit, Et hanc enuntiationem, qua *Deus* dicitur *passus*, sic interpretantur, *Deus*, id est, *caro Deitati unita est passa*, Homo est omnipotens, id est, Deitas Humanitati unita, est omnipotens, *Resp. ad Acta Colloq. f. 83.* Hæc est illa Cinglii ἀμοιώσις, quàm Lutherus verè & graviter Larvam Diaboli appellat in *majori Confess. T. 3. Jen. f. 455.*

3. *Adorationem* non in ipsam carnem Christi, etiam in hypostasi Filii Dei manentem, dirigendam esse: Qui hoc faciat, eum ex ipsius Dei ore maledictum esse, *Danæus Exam. f. 417. 418. Et in Assert. fol. 58.* Nullam carnis aut humanæ naturæ cogitationem necessariam esse, imò prorsus re-

moven-

movendam esse, à religiosa Dei, divinaq; naturæ etiam in Christo ipso adoratione. O blasphemiam!

Justificatio. LXII. De *Justificatione* docent, eam infantibus sine propria, *Resp. 2. ad Act. Colloq. fol. 97.* Ethnicis aliquibus sine omni fide obtingere. *Cinglius in expos. fidei.*

Fides. LXIII. Donum *fidei*, & quæ illud necessario consequuntur, solis electis Dominum largiri. *Præfat. resp. prior, ad Colloq. Momb. f. 25.* Mortaliter peccantes (qualis fuit David adulter & homicida, Petrus abnegator) fidem non amittere, & templum Christi nihilominus manere. *Bezâ Vol. I. f. 207. Zanchius Miscel. f. 242.*

Ministerium verbi. LXIV. De *Ministerio* & prædicatione Evangelii tradunt, Multos per Verbum Evangelii forinsecus vocari, quos tamen Deus simpliciter nolit venire, quippe quos absolutè à se rejecerit; imò idcirco vocari, ut ipsi sese indurantes mensuram suam impleant. *Resp. 2. ad Acta Colloq. f. 149.*

Libertas Christiana. LXV. De *libertate Christianâ* quid sentiat Ecclesia adversa, circa usum ceremoniarum liberum, id praxis Ecclesiastica ostendit in iis locis, in quibus deformem reformandi potestatem illa obtinet.

LXVI.

LXVI. De *Sacramentis* Cinglius in sua ad Imp. Confess. Anno 30. scribit, *Credo, imò certò scio, omnia Sacramenta tam abesse ut gratiam conferant, ut ne afferant quidem & dispensent.* Et palpabilis error vocatur, quo causativa, ut loquuntur Scholastici, jus conferendæ gratiæ, principalis quidem Deo, instrumentalis autem sanctis tribuitur. *Resp. 2. ad Acta Colloq. Mombel. f. 115.*

LXVII. De *Baptismo* negant, Salutem ab isto pendere, aut fundamentum salutis ab eo inchoari. Et aliquam virtutem latentem aliam aquæ (licet sacramentali) attribuere, quam sacramentalis significationis, existimamus manifestam esse idololatriam: *Colloq. Momb. f. 434.* Et *Ant. Sadeel in respons. ad fide profess Burdagel. art. 11.* scribit, *Si quis dicat, Baptismum esse ad salutem necessarium, eam non esse suam & sociorum sententiam.* *Sacramento*

LXVIII. *Nunquam ego dixi*, inquit Beza in præfat. resp. prioris ad Acta Colloq. Mombelgart. fol. 24. *Baptismum esse regenerationis in pueris obsignationem: neque dixi, pueros vel omnes vel aliquos* (Nullos ergo) *reipsa in illo Baptismi momento regenerari: sed regenerationis beneficium suo demum tempore divinitus ordinato, illum Baptismi* *Baptismus.*

actum

actum in infantibus, ex verbi auditu subsequi. At num in omnibus baptisatis istud evenit? Nequaquam. Solis enim electis donum fidei, & quæ illud necessario consequuntur, Dominus, quo demum tempore ipsi visum est, largitur. Probabiliter autem quosvis, tum pueros, tum adultos, censere nos Christiana charitas jubet inter electos &c. Sic ergo parentes de salute baptisati infantis certi esse neutiquam possunt.

Cœna Domini.

LXIX. De *Cœnæ Dominicæ* verbis Institutionis scribit *Cinglius* in subsidio, Verba ejus Tropicè accipienda esse, quod ipsei Spiritu in somnis sibi suggestum habeat, qui ater an albus fuerit, ignoret.

LXX. Verborum illorum, *Hoc est corpus meum*, septem ut minimum explicationes producuntur, nuspiam sibi cohærentes, quæ spiritum vertiginis arguunt.

Carolstadius τὸ HOC non ad panem Eucharisticum: sed δεικτικῶς ad id, quod accumbere cernebatur, retulit.

Cinglio, EST idem valet, quod *Significat.*

Oecolampadio, *Corpus* notavit *Corporis figuram.*

Calvinus, *Corpus* de *Meritis & efficaciâ corporis* accipiendum esse statuit.

Eidem, *corpus* non verum & essentiale: sed νοητὸν intelligendum esse, visum fuit.

Non-

Nonnulli placuit χέσις corporis pro ipsa οὐσία, ut corpus, *quod* traditum est, idem sit, atqui corpus, *Quatenus* traditum est.

Heidelbergenses in Catechismo suo f. 37. *Edendi* verbum de interna & *fidei acceptione* Christi & passionis ejus interpretantur.

LXXI. *Tigurini & Genevenses* in Formula Confessionis f. 23. scribunt, *Corpus Christi à nobis tanto locorum intervallo distare, quanto cœlum abest à terrâ. Nos affirmamus*, dixit Beza in Colloq. Possiacenо, *Christi Corpus & sanguinem tantùm à pane & vino abesse, quantum cœlum à terrâ abest.* De bello Gall. f. 261. Tom. 1. Theol. f. 673.

LXXII. *Beza* scriptum reliquit in Epist. *Excrementum Satanæ* esse eorum dogma, qui *oralem seu realem carnis* Christi manducationem in Sacrâ Cœnâ statuant: imò *commentum* appellat, cujus vel ipsum Satanam pudeat.

LXXIII. Ne plura odiosè hoc loco sint coacervanda, ad eos libellos lectorem remittimus, quibus Theologiæ Sacramentariæ συνόψις in certa quædam capita à nostris Theologis est congesta, non autoribus tantùm, & libris; sed verbis etiam formalibus allegatis.

LXXIV. Hæc omnia & singula, & his

centies tum plura, tum graviora, passim in publico prostant: hæc in bibliothecis publicis & privatis asservata manent: hæc Ecclesiæ totius Christianæ manibus teruntur. Neq; horum quicquam est, cujus vel retractati judicium appareat ullpiam apud adversarios: vel de quo corrigendo spes esse in futurum possit.

LXXV. Agite quæsumus, amici Palatini, cujus dogmatis jam vos tandem pigeat, ostendite: quid ex tanti temporis certaminibus & habitis colloquiis melioris sensus hauseritis, expromite.

LXXVI. Imò ut amicitiæ fidem magis vobis testatam faciamus, si veritate victi, cogitatis ad Ecclesiæ nostræ promeria sinceriora transire, ut sine ignominiâ transeatis, non vicisse volumus, Christo Servatori laudem salutis nostræ in solidum tribuentes, non nobis, sed Deo trophæa collocabimus, hoc imò à vobis impetrate, ne veritas Evangelii amplius à vobis malè audiat, sintq; à vobis aliena, quæ nimiũ falsa & horrenda ex scriptis vestris recensuimus.

LXXVII. Sic Dei salutarem manum è cœlo medicinam fecisse lætabimur, sic Ecclesia Christi dissidiis, quibus justo Dei judicio hactenũ flagellata fuit, anè perquam exitiosis, se liberatam esse gratulabitur.

78. Sic

LXXVIII. Sin hac viâ vobis ingredi nondum est animus (quod utinam avertat Deus clementissimus!) non novum, aut mirum vobis videbitur, si viâ *fraternitatis* in pacem vobiscum coalescere adhuc horreſcamus, *amicitiæ* pacem ex parte nostra interim, ex proposito quidem, & scienter, nunquam violaturi.

LXXIX. Qua in parte mitiores sumus vestro illo *Bezâ*, qui recusatis sibi à nostris hominibus fraternitatis dexteris, *amicitiæ* etiam dexteras acceptare noluit. *Colloq. Mombelgart. fol. 568.*

LXXX. In quam sententiam ne nudius tertius demum descendisse videamur, en vobis *Luthert* aphorismum damus, cujus hæc sunt verba: *Politicam pacem cum istis hominibus equidem colemus. Quoad verò societatem spiritualem, vitabimus eos, damnabimus, arguemus, dum spiritus hos regit artus, tanquam depravatores Verbi divini, blasphemos & mendaces: Interim ab ipsis, tanquam hostibus, tolerabimus persecutionem & discordiam, quamdiu permissum hoc illis à* DEO *fuerit: pro ipsis etiam preces ad* DEUM *fusuri, & monendo instituri, ut desinant. Sed blasphemias ipsorum tacere aut probare, neq; possumus, neque volumus* Tom. 3. Jen. fol. 341.

LXXXI. In quâ sententia *Ignatium* etiam fuisse, apophthegma illud ipsius ostendit, quo dicere solitus fuit, *Nemo potest amicus* (aut frater) *meus esse, qui Dominum meum blasphemat.*

LXXXII. Et quid Philippo Landgravio Hassiæ, fraternitatis istius suasionem in Colloquio Marburgensi, Anno 1529. enixè urgenti, à *Brentio & Melanchtone* sit responsum, peculiari & gravissimo scripto in publico constat.

LXXXIII. Sicut nec illud latet, Salten *Sleidano lib. 8. & 17.* attestante, quod ab Electore Saxone Helvetiis, Anno 1531. Francfurti in conventu Principum, in fœdus recipi flagitantibus est responsum: quodque Evangelici Principes semper sunt testati, pro fidei sociis à se nunquàm fuisse agnitos, aut etiamnum agnoscit, qui in doctrinâ de Cœnâ Domini semel divortium ab Evangelicâ Ecclesiâ fecerint.

LXXXIV. Et meritò miramur vehementer cum Luthero, siquidem πληροφορίας fidem de doctrinæ suæ veritate conceptam animo adversarii habent, & non contra testimonium propriæ conscientiæ faciunt, dum nos falsæ atq; impiæ, imò multis modis hæreticæ doctrinæ patronos publicè pro-

proclamant; quo animo illi fraternitatis nostræ conjunctionem ambiant?

LXXXV. Jubet quidem *hostes nostros* diligere Christus: *suos* verò *hostes* diligere nuspiam jubet, quales sunt, qui falsa doctrinâ in Ecclesiâ grassantur, & animabus, Christi sanguine redemptis, exitium struunt. Horum commercia humanitatis prætextu, & officio charitatis excusare, à pietate alienum est. Quod tamen de *obstinatis & errorum patronis atq; autoribus* intelligi maximè volumus.

LXXXVI. Ut ergo concludamus hunc locum, Via fraternitatis, sub dissidio isto religionis, in pacem Evangelicam nos cum Palatinis & sociis eorundem coire posse, disertè negamus.

LXXXVII. Sed *conditiones* examinentur, quibus illi viam istam persuadere nobis satagunt, sic comparatas, ut istorum hominum misereat, pigeat, pudeat. *III. Conditiones fraternitatis.*

LXXXVIII. Primum, opinionum de fide (f. 5.) & *fundamenti fidei* (fol. 23.) discrimen nobis inculcant, & dum fundamenti integritatem prætendunt, pleraque sub *opinionum de fide* titulo libera sibi esse postulant, dumq; in capite rei consensio sit, de opinionibus hominum non laborandum esse existimant.

LXXXIX. O miseram, & bis miseram fidem, de qua opinari cuilibet licet, quod libet, in cujus consociationem nos venire, piaculo nobis ducimus.

XC. Jam enim fides esse definit, circa quam opinionibus hominum, sibi invicem repugnantibus, locum relinquendo, ad Pyrrhonicam impietatem pleno gradu descenditur. Cujus fundamentum, quo se modo habeat, infrà discutietur.

XCI. Sic *Pelagius* ad summam religionis nihil referre dixit, quomodo quisque verba illa Scripturæ de Peccato Originis, Rom. 5. Eph. 2. Psal. 51. intelligeret. *Esse enim rem Quæstionis, non fidei.*

XCII. Ecquæ verò hæresis sub Argolico isto clypeo latibulum non inveniet? Et quam monstrosa fœditate facies Ecclesiæ καθολικῆς ista deturpabitur?

2. XCIII. *Secundò*, doctrinæ nostræ publica *defensio*, & contrariæ sententiæ *refutatio* à Palatinis libera nobis offertur, *f.* 55. 56. cujus libertatis usu Ecclesias nostras illi à se minimè spoliandas esse profitentur.

XCIV. Quid est ergò, cur adeò nobis succenseant, dum adversæ sententiæ dogmata à nostris hominibus acriter refutantur?

95. Et

XCV. Et quid sibi edicta illa Palatina, & Palatinorum similia volunt, spiritu Palatino in diversis locis promulgata, quibus docere Ministri, non disputare: realia, non πολεμικὰ tractare: concionari, non litigare jussi fuerunt, sub exilii & supplicio-rum comminatione? nisi quod vulpina induitur, dum leoninæ usurpandæ occasio ipsis optata affulgere intelligitur.

XCVI. Num verò sub istiusmodi dissidio satisfiet præcepto Apostolico, *Idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, Phil. 2.*? Siccine unitas spiritus servabitur in vinculo pacis? *Eph. 4. 3.*

XCVII. *Tertio*, cùm ipsi nos minimè damnare cupiant, hoc solum flagitant, ne à nobis ipsi quoq; damnentur, & in concionibus nostris odiosè perstringantur. *f. 56.*

XCVIII. Quæ verò hæc est ratio, amici Palatini? Cùm Bezæ quondam objiceretur, non homines, sed dogmata ipsa; non Ecclesias, sed impios Doctores damnari, responsum est ab ipso, *Quis sese non arbitrabitur, in eo, quod defendit, dogmate condemnatum? Et hæreseos damnata pastorum doctrina, quam greges communi consensu receperint, quomodo non damnentur Ecclesiæ? Vol. 1. fol. 144.* Cum Patriarcha ergo hoc sub Palatinis prius conveniet.

XCIX. Atqui, in d vortio sententiæ nos utrobiq; sumus. Simulationis & sensum, & factum in Petro damnavit Paulus, *Galat. 2. 11.* A personæ autem damnatione longissimè ipsum abfuisse credimus.

C. Damnatus est in *Cypriano* error *Donatisticus*, in Origene, & quamplurimis aliis, *Chiliasticus*. Ecclesias tamen ipsorum damnatas esse, à pio nemine legimus.

CI. Quid autem privilegii præ aliis corruptelarum patronis Palatini sibi flagitant, dum in errore tam inveterato non tantùm Evangelii cursum tamdiu impedire: sed & Ecclesias, quas possunt, turbare & seducere identidem non desistunt?

CII. *Quartò*, scriptis publicis sibi deinceps parci cupiunt (*f. 56.*) quibus in ipsos fiant invectiones, quibus saltem eo nomine minus sit opus, quoniam controversiæ plurimis aliis in luce publicâ prostantibus, jam sint explicatæ.

CIII. Atqui, non quærendum est duntaxat; sitne id, de quo controvertitur, anteà explicatum: sed in eo cardo est, an id iis etiam sit perspectum, de quorum salute nobis in præsenti laborandum est.

CIV. *Acerbitas styli* in hoc genere scriptionum, equidem minimè est probanda.

Sed

Sed & illud meminisse par est, ἀπ' ἔργων οὐκ ἀλῶν, σοκέστ' ἔπη καλά. Et si malæ causæ patroni lacessere non desistunt, minus mirum esse, si in caussâ bonâ aliqui non usque adeò sibi temperent.

CV. Sed ad locum ultimum fiat progressio, in quo *causarum* fit assignatio, quibus viam monstratam, non in veritate, *Zach. 8.* sed simulatione ambulandam, persuadere nobis annituntur. *IV. Rationes suasoriæ.*

CVI. *Primùm: Quæstiones, de quibus utrinq; multis jam annis controvertitur, sic esse comparatas dictitant, ut sine istarum notitiâ multi utrinq; sint salvati, neq; salutis ratio etiam in istis versetur, f. 4. 5.* *I. Ratio. Adiaphoria dogmatum.*

CVII. Judicet ergo mundus universus, imò tu Christe judex justissime judica, quo jure nos ab ista gente, tot annorum decursu, pestilentissimorum errorum rei, Satanicorum mendaciorum patroni, & hæreticorum omnium pessimi, hactenus fuerimus proclamati.

CVIII. Cùm de Controversiâ Eucharisticâ à *Petro Martyre* subscriptio in formulâ quadam Confessionis requireretur, scribit Josias Simlerus in Vita P. Martyris, ab eo responsum esse, *Quæstionem istam non tanti esse, ut inter fideles communionem & charitatem solvere debeat.*

CIX. Num hoc non est Pelagianum illud, *Esse res istas quæstionis, non fidei?*

CX. Absit autem à nobis iste sensus, absit ab iis omnibus, qui eorum, quæ sunt recensita suprà, dogmatum absurditatem & impietatem intelligunt.

CXI. Ut enuntiato isti fucum faciant Palatini, exempli loco quæstionem de *Fractione panis Eucharistici* in medium producunt.

CXII. Atqui de hac quæstione non ab initio Reformationis Evangelicæ publice pugnatum fuit: sed proximis demum annis dimicari cœptum est. Et qua conscientiâ fit ab illis, eorundemq; sociis, ut propter ritum istum, & res alias externas, personas, actiones, circumstantias &c. Ecclesiæ pacatissimæ scindantur, quas ipsimet salutis nihil interesse profitentur.

CXIII. *Deinde*, liberam de hac quæstione in utramq; partem faciunt sententiam (quod est ipso facto ἀδιαφορίαν in quæstionis materiâ ponere) cui tamen statim è diametro contradicunt, Fractionem panis excensu rerum indifferentium eximentes, *fol. 6.*

CXIV. Et constat sanè, quod de ista quæstione *Beza epist. 2.* jam pridem scripserit.

tit. Sed ipso hoc scripto & sibiipsi, & vobis ἀλληφάτως commissæ, luculentus testis est.

CXV. Insuper, necessitas fingitur, quæ violata errorem quidem pariat: non autem fidei & saluti damnum inferat.

CXVI. Veritati, non necessitati, error est oppositus, quorum illa per errorem violata, non statim salutis est periculum (*Errare enim possum*, inquit ille, *at hæreticus non ero*) necessitatis autem in mandato divino nunquam fit sine periculo salutis prævaricatio.

CXVII. Et nova damnatione nostræ sententiæ, ut & veritate Cœnæ Dominicæ negata non est opus: saltem id à nobis omitti dicant, quod sit ex mandato Christi in celebranda Cœna necessariũ, jam reipsa dicent, quod à se dici tamen, palàm negant, *fol. 7. 8.*

CXVIII. Et mox ipsi alia rursus contradictione sese implicant, dum fractionem panis, imaginum demolitionem &c. in censu ceremoniarum referunt, quæ sint à Deo ipso ad usum mandatæ, ac proinde necessariæ.

CXIX. Ceremoniarum nobis in Ecclesiâ Christi quicquam in specie mandatum esse à Deo, non meminimus. Non enim cere-

ceremoniarum magistrum, sed cultus veri Doctorem nobis Christum cœlestis Pater constituit.

CXX. Ceremoniam autem in suo genere necessariam statuere, planè est oppositum in adjecto introducere.

CXXI. Nec sublevat Palatinos id, quod de facto Romanorum scribit Apostolus, *Roman. 14. 2. Alius credit se manducare omnia: Qui autem infirmus est, olus manducat*, quasi hinc evincatur, Non damnandum esse, si adiaphora pro necessariis habeantur.

CXXII. Nam de facto & sensu privatorum hominum Apostolo sermo est: non de dogmate publico.

CXXIII. Si quis ergò de Scripturæ mente non satis informatus, bono animo in Deum fertur; quis pius hunc non censebit tolerandum, quamvis bonum ille non procuret. *Foveri enim oportet, quod bonum est: errorem tolli*, inquit Augustinus.

CXXIV. Deinde, infirmitati & ignorantiæ posterius tribuit Apostolus, ex quo affirmatæ cœcitati & pervicaciæ patrocinium, nullo jure quæritur, Quod sibi tamen arrogare Palatini non erubescunt, *fol. 11.*

CXXV. Errorem autem errore cumulant,

lant, dum *Circumcisionis* tempore Pauli observatam ἀδιαφορίαν, ita negant, ut nullo unquam tempore indifferentem illam fuisse diserte asserant, *f.12.*

CXXVI. Quid ergò de facto Pauli statuent, qui eam in discipulis suis & adhibuit, & non adhibuit? Imò aliquando usurpatam, in casu venditatæ necessitatis, eam adhibere nullo modo voluit? *Actor.16. 3. Galat.2 3.*

CXXVII. *In veteri testamento*, inquiunt Palatini, *mandata illa fuit: tempore Pauli paulatim illam è medio sublatam atq; penitus abrogari Deus voluit.*

CXXVIII. Ita est, ut dicitis, viri amici: Sed si *paulatim* & *pedetentim* in Novo Testamento abroganda fuit: an non τὸ μεθόριον in solidum sibi ἀδιαφορίαν vendicavit?

CXXIX. Denique, ne libertas quidem Christiana etiam hoc modo lædi à Palatinis scribitur, *fol.14.* quoniam libertas illa non afferat privato cuiq; ceremonias & ritus introducendi licentiam, cujus rei potestas sit penes magistratum & ministerium. Quid hoc est, quæso confusionum? An non cœlum hoc est, miscere terræ? Neque enim hîc de jure illo constituendi ritus istos ecclesiasticos agitur, quod nullius ordi-

ordinis in Ecclesiâ, sed Ecclesiæ ipsius, & cui hoc ab illa ceditur, est proprium: sed de titulo & natura rituum, & num affectionem necessitatis conciliare istis quisquam possit. Qua in quæstione libertatis Christianæ cardo vel maximè vertitur.

2. Ratio. Sufficiens controversiarũ decisio.

CXXX. *Porrò* (quod secundum est in hoc capite) *controversias nobis intercedentes utrinque, jam tandem ad sufficientiam disceptatas & decisas esse* profitentur. In tit. lib.

Controversias jam satis esse decisas.

CXXXI. Ita quidem nos sentimus: Et verè sic sentimus. Nam ut de scriptis publicis sexcentis nihil dicamus; ut latere patiamur ea, quæ in diversis aulis, in Comitiis Imperialibus, in solemnibus Principum congressibus in hoc genere acta ventilataq; sunt: Quid de tribus saltem illis publicis *colloquiis* videtur vobis Palatini, *Marpurgensi, Maulbrunnensi, Mombelgartensi*? An non ora hic vobis præclarè obturata sunt?

CXXXII. Sed in vobis ut nihil hujus sensus esse suspicemur. 1. illud cogit, quod in publico extant tot solemnes vestræ protestationes, Neminem adhuc vel pro Lutheranis contra Sacramentarios, vel pro his contra illos judicasse: nullam de his rebus Synodum indictam, coram nullis judici-

dicibus auditos esse, qui ad damnationem deposcantur, *Beza Vol. 1. fol. 144.* Calvinistarum doctrinam, nunquam esse judicatam, neque spem ullam esse, ut in aliquâ Synodo legitimè judicetur, *Zanchius, Miscel. fol. 87.* Sacramentarios injustè proclamari hæreticos, cùm tamen causa ipsorum, nunquam legitimo judicio cognita sit, *Josi. Simlerus in vita Bullingeri.*

CXXXIII. Tum diversum liquide Palatini ipsi in hoc ipso suo libello suasorio profitentur. Nam utrum Fractio panis Eucharistici sit in censu rerum indifferentium, de eo adhuc disceptari, & adhuc sub judice litem esse inquiunt, *fol. 11.* Hic ex ungue de leone fiat judicium. Quin imò de præsentia corporis Dominici in cœna, in hunc usque diem nondum esse decisam controversiam (annis 80. amplius disceptatam) ipsimet etiam scriptitant, *fol. 44.*

CXXXIV. *Tertia* suasionis ratio affertur talis, *Quicunque in fundamento salutis consentiunt, merito se fratres invicem agnoscunt, licet super fundamentum illud ab aliquibus non aurum & argentum: sed fœnum & stipulæ ædificentur,* 1. Corinth. 3. At sic habet partis dissidentis ratio, quæ retento fundamen-

3. *Suasionis ratio. In fundamento consentiri.*

damento, si quid habet à doctrina Lutherana dissentaneum, utut aureum non sit, ligneum tamen aut stuppeum esse potest. g. fol. 23.

CXXXV. In *duobus* consistit argumenti dijudicatio. 1. An lignea & fœnea dici possint, quæ esse à Palatinis perhibentur. 2. An istis positis, fundamentum salutis unicum & illibatum retineatur.

CXXXVI. Ad ventilationem *prioris* illud facit, quòd lignea, fœnea, stuppea ab Apostolo nominantur, non illa, quæ palàm sunt impia, & cum substantiâ fidei Christianæ pugnantia; sed ea duntaxat, quæ vel fidei in Christum nonnihil ex rebus alienis per circumstantias assuunt: vel ex morum atq; ingeniorum humanorum importunitate invecta, cultum Dei vel obscurant nonnihil, vel remorantur. Cujus generis erant in Ecclesia Corinthiaca curiosæ & inutiles quæstiones, λογομαχίαι, studium immodicum sapientiæ & eloquentiæ humanæ, immodica doctorum admiratio & æmulatio.

CXXXVII. Ex quo est illud consequens, non esse hujus generis ea, quibus substantia ipsa articulorum fidei impugnatur, & sic consequenter fundamentum salutis evertitur.

CXXXVIII. Cujus generis neutiquam suæ partis dogmata esse, Palatini asserunt, inductione factâ articulorum quorundam, qui sunt ex controversis tantùm non præcipui, quales sunt *de Prædestinatione, de causâ peccati, de Fide, de Personâ Christi, de Cœnâ Eucharistica.*

CXXXIX. Quo loco miseret nos primùm imbecillitatis memoriæ, cum qua Palatini conflictantur, qui hactenus pugnarunt, omnia, de quibus controversum fuerit hactenus, jam abundè definita decisaq; esse. Jam verò numerum benè magnum afferunt eorum articulorum, de quibus adhuc quàm maximè controvertatur. Item, ejus conditionis esse pronuntiarunt articulos, de quibus adhuc disceptetur, in quibus cardo fidei & salutis neutiquam versetur. Jam verò ea producunt capita, in quibus prora quasi ac puppis salutis & fidei consistit, de quibus adhuc lis inter partes ferveat.

CXL. Ac *primum Prædestinationis* locum assignant, speciosè quidem & insidiosè tractatum, in quo nusquam à Luthero dissentiant. Sed frustrà jacitur rete ante oculos pennatorum. *Prædestinatio.*

CXLI. Summam huc redire inquiunt,

f. 28. lapsu Adamico hominem horribiliter esse depravatum. Ita faremur. 2. Vires naturæ humanæ ita esse labefactatas illo lapsu, ut ex viribus propriis credere in Christum, aut accedere eundem nullo modo queat. Assentimur. 3. Ab eodem vocato etiam per prædicationem Evangelii, Verbum salutis intelligi, apprehendiq; non aliter posse, nisi Spiritus S. gratia & illuminatio superveniat. Non refragamur. 4. Fidem proinde non esse opus liberi arbitrii: sed purum putum donum Dei. Rectè hæc quoq; habent, & fidei ἀναλόγως, ac Lutheranè prorsus hactenus omnia. 5. Fidem à Deo conferri non nisi volente. Cui autem collatam in tempore velit, eidem etiam voluisse ab æterno. Ne hîc quidem repugnamus.

CXLII. Quid sequitur? Imò quid sequi par fuerat? Illud fuerat, Quibusnam ergo fidem largiri Deus velit, quibus nolit: Omnibusne per prædicationem Evangelii vocatis: an tantùm aliquibus absolutè ad hoc ab æterno destinatis? Hîc enim Rhodus, hîc saltus est, hæc est illa Dalila, de qua utrinq; controvertitur. Hîc pacificatores Palatini pisce magis muti sunt, & uno saltu in abyssum infinitæ scientiæ in Deo se recipiunt,

piunt, *f.29.* Inde duo inferentes, Eos, qui careant fide, non habere, cur cum Deo expostulent. Et, De infidelibus non esse cum Deo disputandum.

CXLIII. Obsecro vos amici, Quid sibi vult sudor iste? quid anhelitus & singultus? Vobis tacentibus, nos id eloquemur. Id nimirum corde premitis, quod verbis fateri erubescitis, Deum nolle fidem largiri omnibus, Deum ab æterno idem noluisse, Deum ab æterno salutem non credentium noluisse, Deum quia fidem largiri noluerit, quippe salutis medium proprium, absolutè salutem ipsorum noluisse ab æterno: Voluisse autem (quod vis contrarietatis evincit) absolutè ab æterno eorundem damnationem: Quod rigidius enuntiat *Zanchius Miscel. fol.302. Absolutè vult Deus electos salvos fieri, & vult Deus reprobos absolutè non servari.*

CXLIV. Hic ergo qualem Deum credant Palatini, Christianus orbis observabit, eum nimirum, Qui nolit omnes credere, Qui hoc ab æterno noluerit, qui pereuntium salutem absolutè ab æterno noluerit: sed voluerit absolutè eorum damnationem. An hæc stuppea est structura? Nunc hac stante, illibatum fidei fundamentum permanet? Ubi hæc Lutherus docuit?

CXLV. Istorum hominum (de Valentinianis verba facientis hæc sunt Irenæi) *errores in lucem producere, est eosdem refutare.* Et Hieronymus T. 2. epist. ad Ctesiphontem, *sententias vestras prodidisse, superasse est.* Patet prima fronte blasphemia. Non necesse habet convinci, quod sua statim professione blasphemum est.

CXLVI. Nec sublevat eos hîc illud, quod non ad voluntatis in DEO, arcanæ scrutationem: sed ad Verbum revelatum, idq; Evangelicum ablegari inquiunt eos, qui de Prædestinatione sua certi esse cupiant, ita quidem, ut verè in Christum & sine hypocrisi credens, certò statuat, se esse in numero Electorum, quoniam scriptum sit, Omnes in Christum credentes non perituros: sed vitam æternam habituros, *f. 31.*

CXLVII. Non ad dogma, sed praxin dogmatis istud pertinet, atq; in iis duntaxat locum habet, qui fidei habitum actu ipso in se deprehendunt. Quid autem de iis fiet, qui cum desperatione conflictantur, fidei ne hilum quidem in se persentiscentes? His necessariò ex dogmate Palatino illud sese oggeret, Fidem actu non sentis. Igitur ne habes quidem, Fidem non habes tibi datam à Deo. Igitur dare noluit:

Quod

Quod autem noluit in tempore, ab æterno noluit. Fidem dare noluit. Noluit ergo etiam absolutè salutem conferre. Non igitur voluit ab æterno, nisi damnationem tuam. En qui gurges, quæ vorago desperationis!

CXLVIII. Vice autem versa, quid de iis fiet, qui ad tempus credunt? De his quo credunt tempore, quia dici non potest, quod non credant, erunt illi de Electione sua certi, qua tamen à fide deficientes tandem, excidunt. Cujus contrarium & statuunt Palatini, & statuant necessum est ex absoluto Electionis decreto. Si enim absolutè eliguntur, absolutâ etiam necessitate salvantur electi, Quo modo de simplici impossibilitate fuerit, ut electionis gratiâ vel excidant unquam; vel excidere queant.

CXLIX. Elidit ergo seipsum dogma istud prædestinatorium, & eam articuli hujus praxin inducit, quæ theoriam ejusdem prorsus evertit, sic comparatam, ut in publico eam profiteri, patronos ejus pigeat.

CL. Scire cupitis amici Palatini, quæ sit via, qua coire possit consensio? τάξις est, qua eligimur, qua justificamur, qua glorificamur, eaq; ὁμολογία. Justifica-

mur autem ordine fidei præsentis. Glorificamur tandem ordine fidei perseverantis. Eligimur ergo etiam ordine fidei, sed futuræ, tum conferendæ, tum prævisæ à Deo. Decretum itaq; vestrum ἀτακτον & absolutum ad Garamanthas remittite; imò semel relegatum in *Admonitione* vestra f. 13. ubi negastis, à vobis doceri, *Deum nuda & absoluta sua voluntate & decreto aliquos ad damnationem ordinasse, non postliminiò* in Ecclesiam vestram revocate. Sic consensioni via hac quidem parte parata rectissimè fuerit.

CLI. Revocatum autem est profectò in *Colloq. Montb.* à Beza & collegis, asserentibus, *Deum æternum & immutabile decretum fecisse, omnes causas secundarias antegrediens, quo justo judicio quidam ad æternam damnationem destinati sint.* f. 523. *Justitiam Dei in homine declarari non potuisse, nisi eum ad æternam damnationem destinasset.* Ibid. *Deum occultis causis, sibi soli notis, suo amore, reprobos istos, in suo æterno decreto nunquam dignatum esse,* fol. 532. *Decretum Dei de damnandis peccatoribus, à corruptione, & putribus ejus fructibus non dependere: sed à sola ipsius voluntate,* Resp. 2. fol. 162. Paræus in der Rettung f. 46. 48. 51. Hujus unius dogmatis causa, superioribus secu-

seculis hæreseos damnati sunt, quos Sigebertus in Chronicis scribit appellatos fuisse *Prædestinatos*. Et nos pro stuppeo errore duntaxat istud agnoscamus?

CLII. *Secundus* locus est *de causâ peccati, & Providentiâ.* Ubi iniquissimè se insimulari conquesuntur, quòd Deum peccatis autorem faciant, qui delectetur peccatis atq; illa adjuvet. Quam à se alienissimam esse sententiam attestantur, & contrarium à se doceri passim, nec aliud sensum esse, aut sentiri adhuc, asserunt, quàm quòd omnia tam mala, quàm bona divinæ providentiæ, & hujus consilio & voluntati subjaceant, f. 35. eo planè sensu, quo *Act. 4. 27. Herodes & Pilatus* dicantur *fecisse, quæ manus & consilium Dei decreverint fieri*, Deo nimirum ista permittente, qui pro sua omnipotentiâ, si voluisset, impedire ista omnia potuisset, *fol. 34.* *Causa peccati.*

CLIII. Gratulamur vobis viri Palatini mentem sobriam, & doctrinæ Lutheranæ sensum aliquem in hoc capite, si quidem seriò & candidè mentem vestram depromitis, et, si Deus peccati autor statuatur, blasphemiam esse agnoscitis. Sed estis hâc admonendi de aliquibus.

CLIV. *Primùm* blaspemi istius dogmatis reos vos esse actos fatemini, non directè, sed per consequentiam, atq; ex hypothesi, candorem aliquem in hoc etiam nobis probantes; sed in eo grande σφάλμα committentes, quòd hypothesin istam & consequentiam ex doctrina de Providentiâ à vobis tradita, impertinenter deductam à nostris hominibus esse fingitis.

CLV. Providentiæ & prævisioni divinæ omnia tam mala, quam bona subjacere, si Ecclesia Lutherana aliis libris non abundè docuisset: solus *Concordiæ liber* id præstare potuisset. *fol.600. 770.* ut verecundiæ fines profectò gnaviter transeant Palatini, dum in ipsis hoc dogma reprehensum esse comminiscuntur, ubi non nisi per nostrum latus ipsos fodere potuissemus.

CLVI. Sed alia hypothesis est, quæ ab ipsis hactenus propugnata fuit. I. *Calvinus Inst. l. 3. c. 23. sect. 3* inquit, *Centies, Deum autore esse reprobationis confiteor.* II. *Beza* sic scribit, *Malorum operum prævisionem, decreto odii reproborum in Deo non præviisse.* Resp. 2. fol. 167. III. *Oportuisse Hevam & Adamum per Satanam decipi, ut Deus finem creationis hominis consequeretur.* Item, *Transgressionem Adæ factam nec invito, neque ignoranti, neque otiosè*

otiosè præsciente Deo, neque nudâ & otiosâ permissione aliquâ, quæ ab ipsius voluntate & decreto separetur. Cùm enim finem ordinaverit, necesse quoq; esse, ut causas ad eum finem ferentes constituerit, Colloq. Mombelg. fol. 525. Calvinus habet, Deum mala non tantùm permittere: Verùm etiam efficere, Inst. 2. cap. 4. sect. 3. Danæus evomit talia, Illa, quæ reprobi & impii agunt, Deus fieri vult, non voluntate tantùm permissiva: sed etiam effectiva, nec tantùm, ut alii volunt, voluntate consequente: sed & antecedente tum ipsorum improborum ortum, tum mundi creationem. In Enchir. Augustini fol. 878.

CLVII. Jam nos conscientias vestras, viri Palatini, compellamus. Quia Deo à vobis tributum fuit. 1. Quòd sit reprobationis impiorum. 2. Quòd decretum odii in reprobos prævisionem malorum operum præiverit. 3. Quòd decreti divini respectu peccare Adamum oportuerit. 4. Quòd sine hoc peccato Deus finem creati hominis consequi non potuerit. 5. Quòd & damnationem reproborum, & causas ad eum finem ferentes ordinaverit. 6. Quòd peccata non tantùm permittat: sed & efficiat, & sexcenta alia, his similia: Num invalida hinc à nobis nexa sit consequentia contra vos, Quòd Deum peccati autorem statuatis?

CLVIII. Vestrarum etiam conscientiarum judicio permittimus, An ex providentiæ & prævisionis divinæ hypothesi (quæ quidem à nobis minimè impugnatur) an verò ex aliis impuris & blasphemis dogmatibus sit hæc nexa consequentia.

CLIX. Denique, universi orbis Christiani judicio delegatum volumus, qua conscientiâ isti homines in se damnatum esse Permissionis dogma effutiant, quod in nostra Ecclesia defensum tum sannis semper deluserunt, tum hostiliter etiam stylo piloq; persecuti sunt.

CLX. Notandum verò probè est, quòd peccato & lapsu ab absoluto divini decreti consilio jam remoto, Malum istud Palatini ad providentiam seu prævisionem in Deo nunc referre didicerunt. Quam sententiam si retractare aliquando fortè sociorum suorum suasu voluerint: cœlo terraq; testibus nos relapsionem istam Deo judici commendabimus.

CLXI. Ultrò autem illis in hoc dogmate Consilii & Voluntatis divinæ terminos largimur. Prævisa enim mala consilio dirigere ac gubernare, proprium est summi illius boni, à quo malum non permitteretur, nisi consilio sapientiæ & potentiæ suæ bonum inde eliceretur.

CLXII.

CLXII. Jam permissio ipsa non est, nisi Voluntatis In Deo. Per quem si nihil fieret, nisi quod fit voluntate ejus simplice atq; absoluta, de qua *Psal.135. 6* ne ista quidem scriptio Palatina facta esset, quam fide dubia, consilio incerto factam, permittente Deo, nos consilio ejusdem sic dirigendam relinquimus, ut nominis divini gloriæ propagandæ quocunq; tandem modo serviat.

CLXIII. Illud appendicis loco libet hîc attexere, Non novum esse in Ecclesia, ut rei insimulentur hæretici & falsi Doctores eorum dogmatum, quæ licet ipsi palàm & directè non agnoscant, imò his etiam diserte contradicant: firma tamen & legitima consequentiâ ex assertionibus ipsorum eliciuntur. Quod unico *Nestorii* exemplo planum libet efficere.

CLXIV. Non simulatè: sed plenis & apertis verbis fassus fuit Nestorius, *Unam singularem in Christo personam* esse. Id quod epistola ejusdem ad Cyrillum scripta evincit. *Tom.12. Concil. fol.662.* Quia verò passiones in Christo, sublatâ reali communicatione Idiomatum, soli humanitati assscriptas, à Divinitate prorsus separavit, in contradictione manifesta sui

sui ipsius dogmatis vim non intelligens, & effectum à causa sua propria, Communicationem scilicet & Unionem à se invicem divellens; à Patribus Synodi Ephesinæ hæreseos damnatus, & solutæ Unionis personalis in Christo, contra quasvis etiam interpositas protestationes, reus est pronuntiatus.

Electio immutabilis. Fides & perseverantia ejusdem.

CLXV. *Tertius* locus est de *fidei*, *gratiæ atq; electionis divinæ certitudine ac perseverantiâ*, in quo asserendo, de calumniâ sibi facta, mirificè expostulant. Summam dogmatis sui sic proponunt, Impossibile esse, ut electi damnentur. Hoc eò per calumniam torqueri, quasi doceant, Qui electus sit, eum necessariò salvari, quicquid etiam designet. Et vicissim, Qui electus non sit, necessariò damnari, quacunq; etiam vitæ sanctimoniâ polleat. Quàm à se alienam esse doctrinam, Christo etiam in testem vocato, clamitant, *fol.37.38.* & hanc suam esse sententiam dictitant, Electos hanc ob causam non posse damnari, quoniam virtute Dei custodiantur per fidem in salutem. *1.Pet.1.5.* & licet labantur aliquando; tamen per pœnitentiam ab eodem erigantur. Si quidem electi non aliter, quàm hac conditione à Deo sint electi,

Eph.1.45. Rom.8.30.

nempe

nempe fidei ac regenerationis conferendæ &c. *fol.49.*

CLXVI. Hosti fugienti pontem esse sternendum, vulgò dici consueviſſe, novimus. Quod igitur fugam hîc à Palatinis adornari cernimus, equidem non sine aliqua moleſtiâ inſectamur fugientes. Quia tamen in ipſa fugâ calumniarum tela à tergo projiciunt, ea diſpellenda ſunt.

CLXVII. Abſolutam ab adverſariis tum Electionis, tum Reprobationis decretum in Eccleſiam invectum eſſe, ſi iſti negant, in naturâ rerum ſe fuiſſe negant: & ex præcedentis loci demonſtratione ad ſufficientiam apparet.

CLXVIII. Jam plura hîc addere non eſt neceſſum. *Abſolutè* elegit Deus, quos elegit. *Abſolutè* reprobavit, quos reprobavit. An hoc non illud ipſum eſt, quod à ſe traditum, unquam eſſe, jam Palatini negant...?

CLXIX. Sed clauſula illa ſe gravari conqueruntur. Neque damnari, neque ſalvari alterutros poſſe, *quicquid etiam faciant.*

CLXX. Quid eſt ergo illud, quod utrorumq; conditionem & ſtatum incommutabilem eſſe docuerunt? *Rennech. car. aur.*

aur. fol. 150? An hoc non illud est, quod Sigebertus in Chronicis quondam ab hæreticis traditum esse scribit, qui *prædestinati* sint appellari, *Sic aliquos à Deo esse electos, ut nullum illis obsit peccatum: sic reliquos omnes ab eodem reprobatos esse, ut nulla ipsis prosint opera?*

CLXXI. Sed adhuc formalia in terminis deesse clamitant. Agite ergo *Bezam* audiamus loquentem in *Coll. Montb. f. 469. Quos Dominus non elegit, etiam si millies baptisarentur externo aquæ Baptismo: illis tamen nunquam fides aut Christus donatur.* Quod autem potest esse melius hominum opus, quàm Sacramentis uti? An hoc non est illud crudum dogma Calvinistarum, *Reprobatos non posse salvari, Quicquid etiam faciant?*

CLXXII. De Electis autem quam cruda & abominanda eorundem fuerit hactenus doctrina, oculis spectandum, imò palpandum manibus piorum omnium proponimus, Electos non tantùm non damnari posse, quicquid etiam faciant: sed *ne remissionem quidem peccatorum semel impetratam, per insequentes lapsus fieri posse irritam.* Zanchius ait Miscel. fol. 242. *Etiamsi vitam pessimam ducant.* Rennech. Cat. fol. 157. *Ita ut David etiam in cædem & adulterium ruens, Petrus Christum abnegando, fidem aut*

Spiri-

Spiritum Sanctum non amiserit. Beza Vol. I. fol. 207.

CLXXIII. En vobis Palatini viri, vestram innocentiam! En, quam passi fuistis, scilicet, calumniam! En si tertium etiam habere libet doctrinæ vestræ constantiam, in qua cum pro absoluto consilii divini decreto hactenus semper pugnaveritis, jam fidei conditione ordinatam Electionem, & sic non absolutam amplius profitemini. Sed pareat fuga, dummodo absit illud, Ὁ φεύγων καὶ πάλιν μαχήσεται.

CLXXIV. *Quartus, de persona Christi* locus est, in quo duas naturas, Divinam & Humanam, personaliter unitas, illi confessi cum Ecclesiis Evangelicis pulchrum sibi consensum intercedere gloriantur, *excepto solo Ubiquitatis dogmate*, cui non tantùm multæ Lutheranæ Ecclesiæ, Brunsvicensis, Pomerantica, Holsatica, Marchica, Danica; sed & ipsi auditores nostri contradicant. *Fol. 39. 40.* *Personæ Christi.*

CLXXV. Hac fide de CHRISTO meliorem habent cacodæmones, qui Christum in una personâ Deum & hominem: & (quod illi non credunt) generis humani redemptorem agnoscunt: &, quod illi detestantur, ut creaturis

turis omnibus, ita sibi etiam præsentissimum, potentissimumq; profitentur.

CLXXVI. In loco isto, quòd præter dogma Ubiquitatis (privatam paucorum quorundam opinionem, à plerisq; omnibus repudiatam) nihil præterea controversum esse asserunt: aut quid dicant, nescitur; aut cum ratione, quod dicitur, insaniunt.

CLXXVII. De dogmate isto *Formula Concordiæ fol. 591.* sic habet, *Christus jam non tantùm ut Deus: verùm etiam ut homo, omnia novit, omnia potest, omnibus creaturis præsens est.* Et fol. 741. *Christus super omnes cœlos ascendit, & revera omnia implet, & ubiq; non tantùm ut Deus, verum etiam ut homo, præsens dominatur & regnat à mari ad mare, & usq; ad terminos terræ.* Similia ibidem extant *f 755.* Num hoc est, paucorum quorundam rixatorum dogma esse, quod in publico Confessionis Ecclesiasticæ symbolo, à tot myriadibus Doctorum subscriptum & approbatum est?

CLXXVIII. Ecclesiæ, quas isti nominant, me patrono non indigent. Respondent pro plerisq; istarum, tot millia chirographorum, quibus intra hos 17. annos vanitas Palatinæ assertionis testificatione publicâ confusa & convicta est. In cæteris fides ipsis habetur, quantam merentur.

179. Jam

CLXXIX. Jam quid vobis de sequentibus his dogmatibus videtur?

1. *In Christo sic unitas esse naturas duas, ut realiter commune nihil habeant, præter solam nominum, quæ inde sequatur, permutationem, Dei atq; Hominis.*

2. *Quod Christo nunc etiam in statu exaltationis & Majestatis suæ, ex parte Humanæ Naturæ, non omnia sint cognita: sed ea tantùm, quæ scire ipsum decet, & par est ratione muneris sui.*

3. *Quod Christus ratione exaltatæ Humanitatis suæ finitam tantùm, dimensam & circumscriptam potentiam acceperit, Angelicâ quidem majorem: sed cum omnipotentiâ Divinitatis minimè comparandam.*

4. *Ne nomen quidem* omnipotentiæ *Christo ex parte Humanitatis asscribi sine blasphemiâ posse.*

5. *Deo, cum universa ipsius omnipotentiâ impossibile esse, ut efficiat, quod corpus Christi una vice in pluribus locis, quam uno esse possit, modo quantum quantum cœlestis & supernaturali.*

6. *Ex ore Dei maledictum & blasphemè idololatram esse, quisquis Christum hominem adoret, & cultum adorationis non ad solam ejus Divinitatem dirigat.*

7. *Non Filium Dei pro nobis passum esse: sed*

solam carnem ejus & Humanitatem: sic tamen quod Filius Dei Humanitatem suam sustentarit.

8. *Carnem Christi nihil prodesse, nec magis esse vivificam, quàm Petri, aut alius cujusquam Sancti.* Hæc vestra sunt, Palatini, & sociorum vestrorum de Christo dogmata. Quæ nos ex inferni barathro profecta esse credimus. Num est ergo de personâ Christi vestra cum nostris Ecclesiis consensio?

Cœna Domini.

CLXXX. *Quintus* de Cœnâ Eucharistica locus est, quem unum superesse, Palatini dictitant, in quo à Luthero dissentiant: neq; isto sanè integro: sed ea duntaxat ejus parte, quæ sit omnium levissima, *f.* 41. nempe de Manducatione reali corporis Christi, quæ sit signum tantùm Spiritualis, quam ipsi fateantur, *fol.* 42. Qua concessa, non dici possit, In Cœna tantùm symbola & signa inania sumi, sed ipsum corpus Dominicum, *fol.* 43. De cujus non manducatione, sed modo manducationis solummodò controversia existat, *fol.* 44. In quo capite si errari maximè ab istis contingat, in fundamento tamen salutis non errari, neque hoc nomine fraternitatè ipsis negandam esse. *f.* 51.

CLXXXI. Falsissimis hypothesibus tota hæc structura nititur. Ad quam brevi

manu

manu demoliendam hanc arietem admovemus. Negatâ Sacramentali manducatione, Sacramentum ipsum negatur. Adversarii illam negant. Igitur.

CLXXXII. Major, cùm luce sua pateat, minor sic astruitur. Duorum inclusio præcisa, tertii est exclusio. Adversarii geminam duntaxat manducationem admittunt, Unam elementorum visibilium, quæ non est Sacramentalis: sed naturalis. Alteram spiritualem, quæ non est corporis & sanguinis Christi manducatio, nisi metaphorica: sed meritorum duntaxat & beneficiorum inde emanantium, participatio: neque hujus Sacramenti propria: sed Sacramentorum omnium, imo Verbi etiam ipsius prædicati communis. Tertiam ergo abnegant, & consequenter, Ipsum Sacramentum. Num hoc verò est leviculum?

CLXXXIII. Deinde, corporis Christi realem manducationem, Spiritualis manducationis signum esse, Atq; in præsentiâ rei, de signo frivolè cõtendi asserũt.

CLXXXIV. Incompleta prior est assertio. Non n. signũ tantùm: sed & obsignatio atq; pignus illa est spiritualis manducationis, qua mediante fit nimirũ, ut de

hac posteriore efficiamur certiores. At pani & vino obsignationem istam tribuere, absurdum est. Fit igitur illa mediante corpore & sanguine Christi manducato bibitoq;.

CLXXXV. De usu verò & necessitate hujus ordinationis cum Christo expostulet, qui volet, qui in re præsentissima, nempe communicatione meritorum & beneficiorum Christi, obsignationem tamen ejus fieri, instituto isto Sacramento, voluit.

CLXXXVI. Jam si in spirituali manducatione propriè nulla fit substantiæ corporis Christi manducatio: Sacramentalis autem manducatio in Sacramento nulla est: num aliud quam panis edatur & vinum bibatur, hoc est, vacua corpore & sanguine Dominico in Cœnâ relinquantur symbola, pio cuivis judicandum relinquimus.

CLXXXVII. Ex quo planum illud evadit tandem, quàm verum sit, quod Palatini asserunt, *Non de manducatione ipsæ Corporis Dominici: sed de modo duntaxat manducationis esse controversiam*, quem illi spiritualem duntaxat, & fidei proprium statuunt:

unt: nos & spiritualiter per fidem, & corporaliter ore fieri contendimus.

CLXXXIIX. Nam de *substantiâ* corporis Dominici, *non credendâ*, sed *edendo* nos pugnamus. Quod tametsi ore corporeo fieri contendimus, siquidem sine oris organo nunquam editur, quod fieri velle, expresso mandato Christus præcepit: modum tamen ejus imperscrutabilem esse credimus, tantum abest, ut de eo disceptationis quicquam cum quoquam suscipiamus, ut habet *Lutherus. T. 6. f. 507.*

CLXXXIX. Quid est autem nisi lusus quidam? quod verbis Christi fidem à se non negari, Palatini inquiunt: sed de sensu & intellectu duntaxat eorundem ambigi, *f. 45.*

CXC. Quid sunt ergo verba sine sensu? quæ si rerum ipsarum symbola non sunt, ne verba quidem amplius: sed nugæ sunt.

CXCI. Et frivola est, qua se in hoc sensu niti dicunt, dubitationis ratio, 1. *Quia unum duntaxat Christo corpus sit, idq; ad cœlum evectum fol. 46.* Siquidem diversus essendi modus, numerum in substantiâ corporis non efficit: Et; Ascensus in cœlum, præsentiam corporis ejusdem

in Cœnâ non tollit, sed extollit: non evertit, sed stabilit.

CXCII. Qua nihilo melior est *secunda* ratio, *ex analogiâ phrasium Sacramentalium* petita, *Gen. 17, 10. & Exod. 12, 11, 27. 1. Cor. 11, 24.* fol. 47. 48. quarum prædicationum diversissima est ratio ab ea, qua de patribus essentialibus Sacramenti in verbis institutionis Christi agitur. Taceo, quòd hæc argutatio de signo & commemoratione contradicit iis, quæ paulò antè sunt ab istis dicta de Corporis Christi in Cœnâ præsentia & manducatione, cujus si signum duntaxat est in Cœnâ, non erit juxta istos præsentia: si commemoratio fit duntaxat, non fiet manducatio.

CXCIII. Nihilo magis *tertia* militat, quòd *Joan 6. corporalem manducationem corporis Christi à Christo rejectam esse* perhibent. De naturali enim seu Capernaiticâ, non de verâ & reali corporis Christi manducatione istud est accipiendum.

CXCIV. Expirat ergò tandem Palatina etiam hypothesis, qua sibi securitatem ex vilitate erroris pollicentur. Qui solverit unum de mandatis Dei minimis, minimus vocabitur in regno cœlorum, Matth.

Matth. 5, 18. Error unus pertinaciter defensus, hæreticum facit.

CXCV. *Quarta* in suasione Palatinâ Impossibilitatis est ratio, quæ *ex imperfectione scientiæ humanæ* prætenia emergit, *1. Cor. 13, 9. Ex parte cognoscimus &c.* qua fiat, ut quæ optari possit, sperari nunquam debeat, omnium de capitibus omnibus in religione consensio. Id quod exemplo Patrum Ecclesiasticorum docetur, quorum nulli in scriptis suis per omnia, cum reliquis conveniat. *IV. Suasionis ratio. Imperfectio humana.*

CXCVI. Personalia hæc sunt, & privatorum hominum propria. Ex quibus ad errores publicos, eosq; in summâ luce pertinaciter adhuc defensos, elumbis fit collectio.

CXCVII. Ac potest quidem inter eos, qui sunt donis diversissimi, constare vera Unitas. Qui autem sensu de Deo differunt, his illa, quæ somniatur, Spiritus unitas intercedere neutiquam potest.

CXCIIX. Et tolerantur sanè à nobis errantes, juxta præceptum Apostolicum, *Phil. 3, 15. 16.* Sed ex *infirmitate* atque ignorantiâ errantes & sanabiles, quique a nobis non exeunt. *Adversariorum* alia est conditio, qui & discessionem à nobis,

A. 1530. publicam primi ipsi fecerunt: & passim hostili animo hactenus in nostros grassati, spem sanabilitatis (proh dolor) exiguam nobis hactenus reliquerunt. Utinam in melius commutandam!

V. Suasionis natio. Periculum à Pontificiis.

CXCIX. *Ultima* in suadendo periculi est ratio, quæ apud ipsos fortasse plurimum militat. *Periculum* autem *inculcant atque exaggerant, quod à communi & sævissimo hoste in Papatu nobis immineat.* Fol. 18. 57.

CC. Jam scitum quidem illud est Hieronymi, *Amicorum dispendia, hostium sunt compendia.* Sed quorsum præsentium temporum pericula exaggerantur? Quasi verò tempore exhibitæ Confessionis Augustanæ, non decuplo majus illud fuerit; Cujus tamen nihil tum adversariis in mentem venit.

CCI. Et quid ad hoc periculum propulsandum faciat, quæ nobis à Palatinis via ostenditur?

CCII. Neque defuit profectò hactenus securitati adversariorum à nostra parte patrocinium, ut est suprà ostensum, &, ut spero, neq; in posterum deerit, quantum salvâ veritate fieri poterit, dummodò res

dò res novas moliri, & pacem publicam turbare dediscant.

CCIII. Quod in *religiosæ* (quæ vocatur) *pacificationis* beneficio non confidenter nobis esse acquiescendum monent *fol. 20.* pessimæ fidei consultores sunt, ut eo, tanquam sorex, suo se prodentes judicio, dum nihil ferunt ægrius, quàm si beneficii ejusdem consortes esse, ab aliquo fortè negentur.

CCIV. Atqui, esto sanè, sint homines aliqui sanguinarii, qui sanctionem istam è medio sublatam cupiant: quid hoc ad ordines? quid ad caput ipsum Imperii? unde nervus omnis sanctionis istius, postquam a Deo discessum est, dependet? Liget nicht an der Hund heulen/ daß die Pferdt sterben.

CCV. Quod de periculo Papatus invaliturі admonent, ex oblivione abominationum Papisticarum metuendo, quam perennis Sacramentariorum refutatio apud nostros homines conciliet, *fol. 59.* jubemus illos suarum rerum satagere, & memores esse præcepti Apostolici, μὴ ἀλλοτριοεπισκοπεῖν *1. Pet. 4, 15.*

CCVI. Pauca illos: sed oppidò necessaria vicissim admonentes: Quorum primum sit. *Anno 1530. Jac. Præpo-*

primum hoc esto, *Ut libidinem mentiendi deponant.* Quod enim Lutherus quondam ad amicum scripsit, *Sacramentarios esse non solùm mendaces, sed ipsum mendacium;* de hoc nos adhuc justissimo jure conqueri, eorum etiam constat judicio, qui in causâ religionis ab utraque parte sunt alienissimi.

CCVII. 2. Quod jam modò subinnuimus, *turbulentis & seditiosis machinationibus* (ex quibus hactenus q. compacti esse toti, non nobis magis, quàm orbi Christianorum universo visi sunt) *valedicentes, paci publicæ favere, & pietatis cultum in tranquillo exercere satagant.* Nam qua fide pacem flagitarint, atq; etiam obtinuerint hactenus aliquibus in locis, tristi experimento didicimus, dum illa potitis, res novas illicò movere & persecutionibus sævire consuetum fuit. Gebrandt Kind fürchtet das Fewer.

CCIIX. 3. *Communem illam suorum hominum ἀθεότητα corrigant*, qua factum est hactenus, ut cum fidei Sacramentariæ professione susceptâ illi statim pietati, timori Domini, reverentiæ sacrorum universæ, morum disciplinæ consuetæ, ordini

dini & pudori omni in solidum renunciasse animadversi sunt.

CCIX. 4. Deniq; ex notationibus superioribus Catalogo errorum & blasphemiarum collecto, & consilio cum sociis suis inito, *certiores nos scripto publico faciant, quas blasphemias abjurare, quibus doctrinæ puritatis corruptelis nuntium remittere apud se decreverint.*

CCX. Interim nos vota pro illorum illuminatione ad Deum concipere, & emendationis aliquid ab istis polliceri nobis atque expectare non desinemus: In contrario eventu, Prophetæ illud cum gemitu geminaturi, *Dolor meus super dolorem, in me cor meum mœrens, Vox clamoris nostri de terrâ longinqua, Nunquid Dominus non est in Sion, aut rex ejus non est in ea? Nunquid resina non est in Gilead? aut medicus non est ibi? Quare igitur non est obducta cicatrix filiæ populi mei? Super contritione filiæ populi mei contritus sum & contristatus, stupor obtinuit me,* Jerem. 8.

DISPU-

DISPUTATIO V.

DE DISTRIBUTIONE PRÆCEPTORUM DECALOGI:

Præside WOLFGANGO FRANZIO D.
Respondit M. TOBIAS TILEMANNUS *Wittebergensis.*

11. Decembr. 1607.

I.

Decalogus continet duas tabulas & in iis decem præcepta.

LEGEM DEI, ita vocatam, *moralem*, tabulis lapideis, numero duabus, inclusam, atq; totam in Aphorismos, numero *decem*, distributam fuisse, apud omnes extra omnem dubitationis aleam positum erit, quotquot sacrorum non impugnant fidem oraculorum, quæ extant, *Exod. 24, 12. & 32, 18. & 34, 1, 4. Deut. 4, 13. & 5, 22. & 9, 10. & 10, 2, 4.*

Controvertitur inter Theologos de tribus in hoc capite de Decalogo.

II. (1.) *Quot* verò, & (2.) *quæ* præcepta, & (3.) quo *ordine* in primæ & secundæ tabulæ saxo exarata extiterint, hoc, hoc est ζητούμενον illud, de quo hisce thesibus breviter pertractare animum induximus.

Tria capita controversa de Decalogo: primum hiſto-

III. De hoc autem triplici ζητουμένῳ duo in medium proferentur: *1. Historica commemoratio:* quàm variè varii autores verba Decalogi *Exod. 20. Deut. 5.* in duas tabu-

tabulas inq; decem præcepta diremerint. *rectè commemorabuntur, postea theologicè examinabuntur.*

2. *Theologicum examen*: quasnam rationes suarum distributionum singuli protulerint, & quænam ex omnibus divisionibus palmarium obtineat.

IV. Ut autem illud ipsum cum bono publico Ecclesiæ fiat, à Deo τριαδάτῳ potentissimo, perfectissimo, & sanctissimo, justissimoq; , penitissimis suspiriis comprecamur & exoptamus. *VOTUM*

PRIMA PARS THESIum, seu Historica commemoratio de tribus capitibus controversiæ in capite de Decalogo.

V. Primum igitur *historicam commemorationem* quod spectat, initio de *numero* præceptorum in unaquaq; tabula; deinde de *aphoristicis* singulorum mandatorum *verbis*; deniq; de *ordine* singulorum mandatorum uniuscujusq; tabulæ, Patres inter sese non consentiunt.

VI. Ad *numerum* mandatorum in unaquaque tabulâ quod attinet, *trium opinionum* reperiuntur autores, quorum aliqui primæ tabulæ præcepta *quinq;*, quidam verò *In Controversia prima, nixi rum de numero præce-*

priorum in unaquaq; tabulâ triplices sententiæ.

verò *quatuor*, nonnulli denique *tria* assignare satagunt.

Quinq; primæ, quinq; secundæ tabulæ præcepta quinam assignent.

VII. *Quinq;* præcepta primæ, quinq; secundæ tabulæ attribuunt *Josephus historicus lib. 3. c. 4. antiq. Jud. Philo Judæus in lib. d. decal. Athanasius & Chrysostomus* seu potius *auctor operis imperfecti, homiliâ 52. in Matth.*

Josephus circa annum Christi 85.

VIII. Verba *Josephi* sunt illa, non adeo longè à fine loci jam allegati: *Iste dictus profert (Moses) duas tabulas continentes decem præcepta inscripta*, in singulis quina; *erat autem Dei manus ea scriptura.* Hæc ille.

Philo circa annum Christi 100.

IX. Verba *Philonis* in loco citato ita se habent: *Nunc sermo erit de ipsis præceptis, & dispiciemus, quid à se invicem differant, decem enim cum sint, in quina dividuntur, inscripta duabus tabulis.* Hæc iste.

Athanasius circa annũ Christi 340.

X. Verba *Athanasii* sunt, primùm ex Synopsi script. hb. 2. hæc *Primum præceptum est, Ego sum Dominus Deus tuus: alterum, Non facies tibi ipsi simulacrum. Tertium: Non usurpabis nomen Domini invanum.* Deinde Eph. 6. hæc: *Nam illud cum non occides injungit, primum obtinet locum, scilicet in secunda tabula.* Hæc iste. Si igitur primum est; *Ego sum Dominus Deus tuus*; secundum, *non facies tibi ipsi simulacrum*; tertium, *non usurpabis* &c. utiq; quartum erit *de Sabbatho*; quintum *de parentibus.* Atq; si primũ

in se-

in secundâ tabulâ est *non occides*, omninò quinq; primæ, quinq; secundæ attribui necesse erit.

XI. Verba quæ habet *autor operis imperfecti*; hæc sunt: *Moses in duabus tabulis legem susceptit decem mandatorum*, quinque *quidem mandata in tabulâ unâ*, quinq; *autem in tabulâ altera*. Hucusq; ille. *Ipse Chrysostomus scripsit circa annum Christi 405.*

XII. *Quatuor* in primâ tabulâ pingunt illi, quos sequitur *Hieronymus super vers. 2. c. 6. ad Eph.* cum ita inquit: *In secunda tabula primum, quæ* (tabula) *ad humanitatem pertinentia præcepta sex numero continebat. Prima enim tabula proprie officia exigebat*: Hæc ille. Si enim secunda (in qua primus locus datur mandato præcipienti de honore erga parentes, de quo ibidem sermo est Hieronymo) constat sex mandatis, utiq; secundùm hanc sententiã primæ tabulæ QUATUOR edicta necessariò cedent. Plures hac de re auctores thesi 27. & sequentibus producentur. *Quatuor primæ, sex secundæ tabulæ præcepta quinam assignent. Hieronymus circa annum Christi 385.*

XIII. *Tria primo, septem secundo* lapidi insculpent ii, de quibus loquitur ex Isidoro *glossa ordinaria super Exod. 20.* hunc in modum: *Tria sunt quæ pertinent ad dilectionem & cognitionẽ Trinitatis; septẽ ad dilectionẽ proximi*, primũ *pertinet ad Deum Patrem*, secundũ *ad fili-* *Tria primæ, septem secundæ tabulæ præcepta quinam assignent.*

filium; non assumas. Hæcibi. Plures hac de re auctores thes. 15. & sequentibus afferentur.

In controversia secundâ nimirum de Aphoristicis verbis singulorum præceptorũ sextuplices sententiæ.

XIV. Ad Aphoristica verba seu distinctam propriamq; descriptionem singulorum mandatorum quod spectat, septuplices occurrunt doctorum sententiæ.

Quinam auctores pro uno præcepto habeant verba de alienis diis non habendis, & de non faciendis & adorandis simulacris.

XV. 1. Sunt enim qui hæc verba, *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te è terra Ægypti*, cum verbis illis, *non habebis Deos alienos*, & cum illis, *Non facies tibi ullam similitudinem eorum quæ in cœlo, quæ in terrâ, quæ in aquâ*; conjungunt & ex omnibus unicum componunt præceptum, ut Clemens Alexandrinus, Augustinus, Isidorus, Beda, Bernhardus, Bandinus, Petrus Lombardus, Szegedinus, Zvinglius, &c.

Clemens Alexandrino circa annũ Christi 216. succedit Pantæno, Alexandriæ in Ægypto.

XVI. *Clemens Alexandrinus*, lib. 6. στρωμάτων non longè à fine ita scribit: *Primum quidem præceptum Decalogi ostendit, unum solum esse Deum omnipotentem, qui populum transtulit ex Ægypto per solitudinem in terram patriam, ut per divinas quidem operationes comprehenderent, ut poterunt, ejus potentiam, ab eorum autem quæ sunt genita, abstinerent Idololatriâ, omnem spem habentes in Deo, qui est ex veritate. Secunda autem oratio significabat, non oportere assumere neq; inferre magnam &*

omni

omni veneratione dignam ejus potentiam, quæ quidem est nomen, neq; transferre ejus nuncupationem ad res genitas & inanes. Et paulò post: Tertia autem est oratio quæ significat mundum à Deo esse factum: & dedisse nobis septimum diem ad quiescendum propter eam quæ est in vita afflictionem & malorum perpessionem. Hæc ille.

XVII. *Augustinus* tomo 8. super Psal. 32: *Præcepta legis decem sunt. In decem præceptu legis habes Psalterium, perfecta res est. Habes ibi dilectionem Dei* in tribus, *& dilectionem proximi* in septem. *Dicit tibi Deus desuper, quia Dominus Deus tuus Deus unus est.* Habes unam chordam. *Non accipies in vanum nomen Domini Dei tui*: Habes alteram chordam: *Observa diem Sabbathi*, &c. Hæc tria *pertinent ad dilectionem Dei.* Hæc ille. *Augustinus circa annũ Christi 400. in Africa.*

XIIX. *Isidorus* citante Glossa ordinaria super *Exod. 20.* Primum *mandatum prohibet surreptionem*: Secundum *errorem*: Tertium *interficit seculi amorem*: Quartum *impietatem*: Quintum *crudelitatem*: Sextum *fornicationem*: Septimum *rapacitatem*: Octavum *perimit falsitatem*: Nonum *mundi cupiditatem*: Decimum *adulterii cognitionem.* Hæc ibi. *Isidorus Hispalensis circa annũ Christi 620.*

XIX. *Idem* ibidẽ: *Dat Deus Moisi legẽ innocentiæ nostræ & agnitionis suæ, quæ in decẽ verbis*

consistit, scripta in tabulis lapideis digito DEI. Tria sunt quæ pertinent ad dilectionem & cognitionem Trinitatis, Septem ad dilectionem proximi: quibus humana societas non lædatur. Primum pertinet ad Deum patrem: Dominus Deus tuus Deus unus est: ut hoc audiens unum Deum colas patrem & in multos fictos Deos fornicationem non effundas: Secundum ad filium: Non assumes nomen Dei tui in vanum, non putes creaturam esse Christum Dei filium, quod omnis creatura vanitati subjecta est: sed æqualem Patri; Deum de Deo, lumen de lumine. Hæc ille.

Beda circa annum Christi 705. in Anglia.

XX. *Beda* in epist. ad Rom. *Decalogus decem præcepta habet, quæ sic sunt distributa, ut* Tria *pertineant ad Deum*, Septem *pertineant ad hominem.* Hæc iste.

XXI. *Bernhardus* lib. de conscientia; *Decem sunt præcepta legis,* Primum *est, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Alterum, *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*, Tertium, *observa diem Sabbathi &c.* Hæc iste.

Bandinus longè ante Magistrum sententiarum.

XXII. *Bandinus* in summa Theologica (ex qua Petrus Lombardus suas Theologicas sententias confeciſſe à multis Pontificiis, Eccio, Chelidonio & aliis putatur) lib. 3. distinctione 37. & sequentibus: *Habet Decalogus decem præcepta*: Tria in pri-

in prima tabula pertinentia ad Deum. Septem *quæ sunt in secunda tabula, pertinentia ad proximum.* Primum *in prima tabula est, Non habebis Deos alienos: Non facies tibi sculptile, nec omnem similitudinem.* Secundum *est, non assumes nomen Dei tui in vanum.* Tertium *est, Memento sanctificare diem Sabbathi.* Hæc iste.

XXIII. *Idem* ibidem paulò post: *De mandatis secundæ tabulæ, quorum* Primum *ad patrem carnalem refertur, quod est, Honora patrem tuum & matrem tuam, ut sis longævus super terram.* Secundum *est, non occides.* Tertium *est, non mœchaberis.* Qartum *est, non furtum facies.* Quintum *est, contra proximum non loquaris falsum testimonium.* Sextum *denique præceptum est, Non desiderabis uxorem proximi tui.* Septimum *est, Noe concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam.* Hæc idem.

XXIV. *Petrus Lombardus* lib. 3. distinct. 37. *Decem præcepta sic sunt distributa, ut tria, quæ sunt in prima tabula, pertineant ad Deum,* Primum *in prima tabula est, Non habebis Deos alienos, Non facies tibi sculptile, &c. Hæc Origenes dicit esse duo mandata, Augustinus unum &c.* Hæc ibi.

Petrus Lombardus circa annum Christi 1180. in Gallia.

XXV. Sic *Leo Judæ & Caspar Megander* in particulâ farraginis in Exodum ex ore Zvvinglii & aliorum Tiguri Deuterota-

Zwinglius cum sociis dicit, vetitum esse jurare, in secundo præcepto, quod est præceptū de non assumendo in vanum. Ergo tunc Zwinglius cum Lutheroconsentiebat, in hac parte circa annum Christi 1521. Stephanus Szegedinus Ungerus circa annū Christi 1560.

tum, super cap. 20. scribunt: *Est ergo ut quasi per Epilogum singula colligamus)* PRIMUM *præceptum aliud nihil, quàm divinæ potentiæ, virtutis ac bonitatis expositio ac declaratio.* Hæc ille. Et mox folio sequente 193: *Sunt inter vos quidam, qui putant quandoquidem solo nomine* DEI, *in* SECUNDO PRÆCEPTO VETITUM EST JURARE *id q; temerè & frustra, licere sibi in quotidianis sermonibus, si verum dicatur, per nomen Dei, aut si non per nomen Dei, tamen per cœlum, per terram, perq; alias creaturas deierare, quod ego omninò vetо.* Hæc ibi.

XXVI. *Stephanus Szegedinus* in locis communibus; titulo de legibus moralibus seu Decalogo: *Decalogus, cujus sunt duæ tabulæ, quarum prima præcipit de cultu Dei & habet tria præcepta.* Primum *complectitur modum cognoscendi Dei*: Secundum *de vero usu nominis Dei.* Tertium *de Cæremonus divinitus institutis.* Secunda *continet opera erga homines*, & habet septem præcepta: Primum *quod continet opera mutua superiorum & inferiorum*: Secundum *præcipit benevolentiam*: Tertium *in quo sancitur legitimum conjugium & prohibetur omnis concubitus extra conjugium*: Quartū *præcipit justitiam in contractibus*: Quintum *præcipit veritatem*: Sextum & Septimum *prohibent aversionem à Deo.* Hæc ille.

27. II. Sunt

XXVII. II. Sunt qui non tantùm verba illa, *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, non erunt tibi Dii alii coram me*, Pro uno & unico, seu singulari mandato accipiunt, sed etiam verba hæc, *non facies tibi sculptile neq; ullam similitudinem eorum, quæ sunt in cœlo, neq; eorum quæ sunt in terra; neq; eorum quæ sunt in aquis non incurvabis te eis*, itidem pro singulari & à reliquis distincto præcepto computant, ut Josephus, Philo, Gregorius Nazianzenus, Origenes, Hieronymus, auctor operis imperfecti, Ambrosius, Johannes Zonaras, Ardentius, Calvinus.

Quinam autores verba de non habendis diis aliis pro singulari, & verba de nō faciendis sculptilibus, etiam pro singulari præcepto alio computent.

XXIIX. Sic enim *Josephus* lib 3. c. 4. antiquitatum Judaicarum: *Præcepta quæ Moses post excidium Hierosolymitanū anno Christi 85. duabus tabulis inscripta reliquit, non est fas totidem verbis evulgare, sententias tantùm eorum indicabimus. Docet enim nos* Primum *præceptū, Deum esse unum & hunc solum colendum.* Secundum *nullius animalis simulacrum adorandū.* Tertium *non temere jurandū.* Quartum *septimi diei ferias nullo opere profanandas.* Quintū *parentes honorandos.* Sextum *à cæde abstinendum.* Septimum *non adulterandū.* Octavum *non committendum furtum.* Nonum *non deponendum falsum testimonium.* Decimum *nihil alienum concupiscendum.* Ita Josephus.

Josephus.

XXIX. *Philo Judæus* in lib. de Decalogo:

Ille igitur potior quinarius (1) de monarchia loquitur qua mundus regitur (2) de statuis simulacrisq; & id genus manufactis operibus (3) de non assumendo in vanum Dei nomine (4) de observatione religiosa diei septimi, (5) de honorandis parentibus & ambobus & singulis. Itaq; una hæc tabula incipit à Deo patre conditoreq; rerum omnium, desinit in parentes, qui ad illius imitationem gignunt particulariter. *Alter quinarius ex interdictis constat, (6) vetans adulterium, (7) homicidium, (8) furtum, (9) falsum testimonium (10) concupiscentiam.* Hæc Philo.

Origenes circa annũ Christi 250.

XXX. *Origenes* Hom. 8. super Exod. Non erunt tibi Dii alii præter me. *Et post hoc sequitur: non facies tibi idolum, neq; ullam similitudinem quæcunq; in cœlo sursum sunt, & quæcunq; in terra deorsum sunt, & quæcunq; sunt in aquis subtus terram, & non adorabis illa, neq; coles illa. Ego enim sum Dominus Deus tuus, Deus zelans, qui reddo peccata patrum in filios in tertiam & quartam progentem iis qui oderunt me, & faciens misericordiam in millia iis, qui diligunt me, & qui servant præcepta mea.* Hæc omnia simul nonnulli putant esse unum mandatum. *Quod si ita putetur, non complebitur decem numerus mandatorum. Et ubi jam erit Decalogi veritas? sed si eo modo dirimatur,*

NB. Tempore Origenis quidam partem de non faciendis sculptilibus &c. cum parte de nõ habendis Dii alienis conjungebant & pro

quo

quo & nos in superiori pronunciatione distinximus, integer decem mandatorum numerus apparebit. Est ergo Primum *mandatum:* Non erunt tibi Dii alii præter me. Secundum *verò: Non facies tibi idolum, neq; ullam similitudinem, &c.* Hæc omnia ille.

uno præcepto habebant, teste ipso Origine.

XXXI. *Gregorius Nazianzenus* composuit hoc carmen de Moisis Decalogo:

Gregorius Nazianzenus circa annum Christi 370.

Τοὺς δε νόμους ἐχάραξε θεὸς δέκα ἔνποτε πλαξὶ
Λαϊνέαις, σὺ δὲ μοι ἔγγραφε σῇ κραδίῃ.
Οὐ γνώσῃ θεὸν ἄλλον, ἐπεὶ σέφας οἷον ἐνόσγε
Οὐ ςήσεις ἴνδαλμα κενὸν, καὶ ἄπνοον εἰκώ.
Οὔποτε μαψιδίως μνήσῃ μεγάλοιο θεοῖο.
Σάββατα πάντα φύλασσε μετάρσια καὶ σκιόεντα.
Ὄλβιος ἦν τοκέεσσι φέρης χάριν, ἦν ἐπέοικε.
Φεύγειν ἀνδροφόνον παλάμης ἄγος, ἀλλοτρίηςε
Εὐνῆς, κλεπτοσύνην τε κακόφρονα, μαρτυρίην τε
Ψευδῆ, ἀλλοτρίων τε πόθον σπινθῆρα μόροιο.

XXXII. Hoc est, Jacobo Billio interprete:

Has patris æterni bis quinas dextera leges
Insculpsit saxis: tu verò inscribito cordi.
Nullum aliud tibi *numen* erit, nec quem mihi debes

Cultum, divinumq; alii præstabis honorē.
Ne statuas unquam simulacraque mortua fingas:
Neve tui Domini *lingua* tere *nomen inani.*
Sabbata legitimâ tibi sunt servanda quietē,
Tam quæ tecta umbris, quam quæ sublimia sensu.
Felix, si merito cultu *venerere parentes,*
Ne quenquam *occidas*, Alieni *fœdera lecti*
Ne violes: nec te constringas crimine *furti.*
Neve aliquem testis *mendacibus* opprime verbis.
Nec *cupidus oculus* aliorum commoda lima.
Hinc etenim obscura quæruntur pabula morti.

Hieronymo discipulus Nazianzeni circa annum Christi 385.

XXXIII. *Hieronymus* super c. 10. Oseæ: *vel certè duos vitulos Samariæ in Dan & Bethel possumus duas iniquitates appellare: de quibus & Hieremias loquitur:* Duo pessima fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquæ vivæ: & foderunt sibi lacus contritos, qui non possunt aquas continere. *Hæ duæ iniquitates contra duo Decalogi erupere præcepta: in quibus dicitur:* Ego Dominus Deus tuus: *non* erunt tibi Dii alii absq; me. Hæc ibi.

XXXIV. *Idem Hieronymus* super c. 6. ad Ephesios: *Quod testimonium de Exodo sumptū*

ita

ita tibi contexitur: *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut benè sibi tibi, & sis longævus super terram*, quam Dominus Deus tuus dabit tibi, de quo nunc ultima verba subtraxit, *quod mandatum in Decalogo* quintum est. *Unde quærendum, quare nunc dixerit, quod est mandatum primum, cum primum mandatum sit: non erunt tibi Dii alii præter me. Quamobrem nonnulli ita legunt, quod est mandatum primum in promissione, quasi quatuor alia mandata, quæ ante hæc dicta sunt, non habeant promissiones:* & in hoc solo pollicitatio feratur adjuncta, *ut benè sit tibi, & sis longævus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.* Sed videntur mihi non observasse subtilius, & *in secundo mandato* repromissionem esse sociatã. Ait enim: *Non facies tibi idolum, neq; omnem similitudinem eorum quæ in cœlo sursum & quæ in terra deorsum, & quæ in aquis subtus terram, non adorabis ea, & non immolabis eis: Ego sum Dominus Deus tuus: Deus Zelotes qui reddo peccata patrum in filios usq; ad tertiam & quartam generationem, his qui me oderunt, & facio misericordiam in millia his qui diligunt me, & custodiunt mandata mea.* Hactenus Hieronymus.

XXXV. *Ambrosius* super cap. 6. ad Ephesios: *Quomodo hoc primum mandatum dixit? cum constet, Primum mandatum* *Ambrosius circa annũ Christi 380. ita in Italia.*

ita contineri: *Non sint tibi Dii alieni præter me*: Deinde *non facies tibi ullam similitudinem, quæ sunt in cœlo sursum & in terra deorsum*. Tertium, *non sumes nomen Domini Dei tui in vanum*. Quartum, *observabis Sabbatha mea*. Quintum *autem*: *Honora patrem & matrem &c. Sed quod* prima quatuor *mandata ad Deum pertinent*, *hæc* in prima tabula *contineri subintelliguntur*: *cætera ad hominem*: *ut honoret parentes*: *non occidat*: *non fornicetur*: *non furetur*: *non falsum testimonium dicat*: *neque quicquam proximi sui concupiscat*. Hæc *sex mandata in secunda tabula* videntur scripta, quorum *primum* est *honora patrem*, &c. Huc usq; Ambrosius.

Augustinus ipse circa annum Christi 400. in Africa.

XXXVI. Apud *Augustinum* autor quæstionum ex veteri Testamento quæstione 7. *Non sint tibi Dii alii præter me*: Primum *verbum hoc est*. *Et subjecit* secundum: *Non facies tibi ullam similitudinem eorum quæ sunt in cœlo sursum, & in terra deorsum, neq; in aqua quæ est sub terra*. *Deinde adjecit* tertium: *Non sumes nomen Dei tui in vanum*: *Non enim mutabit eum Dominus qui sumit nomen ejus in vanum*: *hoc est non in mendacio nomen Dei tui assumes ut perjures per illud*. *De hinc* quarto *loco dicit*: *Sabbathum Domini Dei tui servabis, & non facies in*

illo

illo ullum opus servile. Hæc quatuor verba sunt de decem, tota ad DEUM *proprie pertinent. Hæc sunt in prima tabula scripta. Deinde in secunda tabula hæc continentur. Primum verbum est: honora patrem tuum & matrem tuam.* Hæciste.

XXXVII. Apud *Chrysostomum*, autor operis imperfecti in Matthæum, Homil. 49. *Legis justitia prima & salutaris decem habet mandata.* Primum, *cognoscere verum* DEUM. Secundum, *abstinere ab idolis.* Tertium, *non perjurare.* Quartum, *colere Sabbathum spirituale.* Quintum, *honorare patrem & matrem.* Sextum, *non occidere.* Septimum, *non adulterari.* Octavum, *non furtum facere.* Nonum, *non falsum testimonium dicere.* Decimum, *nullam rem proximi concupiscere.* Hucusque autor operis imperfecti. *Chrysostomus ipse vixit circa annum Christi 405.*

XXXIIX. Sic *Johan. Zonaras* tom. 1. Hist. Byzant. *Primum præceptum unum esse* DEUM *affirmat, eumq; solum colendum*, Alterum, *nullius animantis effigiem faciendam & adorandam esse*: Tertium, *per Dei nomen ob nullam rem inanem esse jurandum &c.* Hæc iste. *Johannes Zonaras.*

XXXIX. *Radulphus Ardens Pictavus*, tempore Philippi primi Francorum regis circa *Radulphus Ardens Pictavus circa annum Christi 1040.*

circa annum Christi 1040. in homilia Dominicæ quartæ post Epiphaniam super verba Rom. 13. Nemini quicquam debeatis, nisi ut invicem diligatis, & reliqua: *Per dilectionem Dei & proximi, lex impletur, id est decem mandata legis, quorum* prima quatuor *pertinent ad Deum*: reliqua sex *ad proximum*, Primum est: *Audi Israël, unus est, Deus tuus.* Secundum *est, Non facies tibi sculptile.* Tertium *est, non accipies nomen Dei tui in vanum.* Quartum *est, Memento sanctificari diem Sabbati.* Quintum *est, Honora patrem tuũ & matrem tuam.* Sextum *est, Non occides.* Septimum *est Non mœchaberis.* Octavum *est, non furtum facies.* Nonum *est, non falsum testimonium dices.* Decimum *est, non concupisces.* Hæc iste.

Johannes Calvinus cum suis.

XL. Eandem distributionem præceptorum Decalogi acriter propugnat in institutionibus suis *Calvinus* lib. 2. cap. 8. §. 13. & sequentibus, *Zacharias Ursinus* in compendio doctrinæ Christianæ, titulo de lege divina seu decalogo, *Petrus Martyr* in locis communibus, *Georgius Sonius* in thesibus.

3. *Quinam-verba Ego sum, pro uno præcepto reliqua non habebis, non facies tibi, &c. etiam pro uno cõputent.*

XLI. III. Sunt qui verba ista, *Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te*, pro primo, reliqua omnia usq; ad paragraphum, *non assumes nomen Domini Dei tui in vanum*,

pro

pro *secundo* destinant, ut Hebræi, de quibus Lyra super Exod. 20, 6.

XLII. Ita enim scribit *Lyra* super Exod. 20. super verba, Et faciens misericordiam: *Hebræi dicunt, quod in prædictis* (nimirum à versu 2. usq; ad 7.) *sunt duo præcepta, ita quod primum incipit ibi; Ego sum Dominus Deus tuus, per quod præcipitur affirmative; quod ille habeatur pro vero Deo; qui eduxit filios Israel de Ægypto in tot signis mirabilibus.* Secundum *incipit ibi; Non habebis Deos alienos &c. in quo prohibetur negative; ne cultus latriæ alteri impendatur.* Hæc ibi. Si igitur cum hoc secundo conjunguntur prohibita simulacra, tertium fit illud, Non assumes, Quartum de Sabbatho, secundum istos Hebræos. *Hebræi seu Judæi apud Lyram.*

XLIII. IV. Sunt quibus *primum* est hoc, *Ego sum Dominus* DEUS *tuus, secundum* illud. *Non facies tibi sculptile; tertium* istud, *non usurpabis nomen Domini Dei tui in vanum*, ut Athanasius, qui omittit ea. *Non erunt tibi Dii alii coram me*: item Julianus apud Cyrillum lib. 5. *4. Quinam primum faciant, Ego sum Dominus, secundum non facies tibi sculptile.*

XLIV. *Athanasius* in synopsi sacræ scripturæ lib. 2. *Continet Exodus inter alia in tabula decem præcepta hæc*: Primum, *Ego sum Dominus* DEUS *tuus*; Secundum, *Non* *Athanasius circa annũ Christi 340.*

faci-

facies tibi ipsi idolum neq; ullam similitudinem; Tertium, *non accipies nomen Domini Dei tui in vanum*; Quartum, *Memento diei Sabbathi*. Hæc Athanasius.

Cyrillus ipse circa annũ Christi 430.

XLV. *Cyrillus* lib. 5. adversus Julianum, vel potius Julianus apud Cyrillum ex loci & temporis istius consuetudine: *Scribantur suis verbis singula mandata, quæ ab ipso Deo Moses conscripta dicit: Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terrâ Ægypti.* Secundum *post hoc, Non erunt tibi Dii alii præter me, non facies tibi simulacrum. Et causam ponit: Ego sum Dominus DEUS tuus, DEUS zelotes, reddens peccata patrum in filios, usq; in tertiam generationem: Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: Memento diei Sabbathorum, &c.* Hæc ibi.

5. Quinam præceptum de Sabbatho omittunt.

XLVI. V. Sunt qui præcepto illi, *Recordare Sabbathi, ut sanctifices illud*, locum nullum relinquunt inter præcepta Decalogi, sed illud penitus exterminant, ut Hesychius.

Hesychius circa annũ Christi 400.

XLVII. Sic enim *Hesychius* seu *Estius* circa annum Christi 400. lib. 7. super Levit. 26. cujus verba recitat glossa ordinaria super locum Levitici jam dictum hæc: *Decem mandatorum etiam literam custodiri digna est, nec mandatum Sabbathi contrarium est.*

est. Quamvis enim decem mandatis insertum sit, non tamen ex eis est. Hæc ille.

XLIIX. VI. Sunt qui ultimos duos aphorismos duo distinctissima præcepta esse demonstrat, ut omnes illi de quibus *thesi 15. & sequentibus*, agitur, & per testimonia ipsorum demonstratur. *6. Quinam duo præcepta de non concupiscendo faciant.*

XLIX. VII. Non desunt qui ultima verba, *Non concupisces domum proximi tui, & non concupisces uxorem, nec servum, nec ancillam, nec bovem, nec asinum ejus, nec omnia quæ sunt proximi tui*, in unicum conglutinant mandatum, ut Josephus, Philo, Gregorius Nazianzenus. Origenes, Hieronymus, Ambrosius, auctor quæstionum super vetus testamentum, auctor operis imperfecti in Matthæum, & alii, de quibus in thesi 27. & sequentibus videre testimonia licet supra. *7. Quinam unum præceptum de non concupiscendo statuant?*

In controversia tertia de ordine singulorum præceptorum Variæ auctoritates.

L. Ad *ordinem præceptorum Decalogi* quod spectat, nec eundem sacra semper exhibet vel retinet scriptura, nec eundem ubique observant patres.

LI. Quod *Exodi 20. v. 17.* in Hebraico hac serie exprimitur, *Non concupisces DOMUM proximi tui, non concupisces UXOREM proximi tui, neque SERVUM ejus, neque ANCILLAM ejus, neque BOVEM ejus*, *Domg, uxor, servus, ancilla, bos, asinus in Exodo nominantur alicter quam in Deut.*

ejus, neq; ASINUM ejus, neq; quicquam eorum quæ sunt proximi tui.

Uxor, domus, ager, servus ancilla, bos, asinus, nominantur, aliter quam in Exodo.

LII. Illud *Exodi 20, 17.* in Græco & *Deut. 5, 21.* in Hebraico hac serie profertur, Neq; concupisces UXOREM proximi tui, nec concupisces DOMUM proximi tui, AGRUM ejus, aut SERVUM ejus, aut ANCILLAM ejus, BOVEM ejus, aut ASINAM ejus, neq; quicquam eorum, quæ sunt proximi tui.

LIII. Nimirum in *Hebræa Exodo* hac serie enumerantur (1) *domus*, (2) *uxor*, (3) *servus*, (4) *ancilla*, (5) *bos*, (6) *asinus*: In *Græca Exodo & Hebræo Deut.* hac serie: (1) *Uxor*, *domus* (2) *ager*, (3) *servus*, (4) *ancilla*, (5) *bos*, (6) *asinus*.

Exempla alia translocationis præceptorũ ex sacra scriptura ipsa.

LIV. *Matth. 19, 18, 19.* quædam à Christo hoc pacto recensentur, *Non occides, non mœchaberis, non furaberis, non dices falsum testimonium, honora patrem & matrem, & diliges proximum tuum ut teipsum*: ita ut præceptum de honorandis parentibus post alia multa secundæ tabulæ præcepta reponatur.

LV. Et *Rom. 2, 21, 22.* in his verbis: *Qui prædicas non furandum, furaris, qui prædicas non mœchandum, mœcharis*, præcedit præceptum de non furando, sequitur alterum de non mœchando.

56. Item

LVI. Item *Rom.7,7.* in his verbis: *Cupiditatem non nossem, nisi lex dixisset: non concupisces:* Ultimi duo aphorismi de non concupiscendo in unum contrahi videntur.

LVII. *Rom.13.9. Non mœchaberis, non occides, non furaberis,* præcedit prohibitio adulterii, sequitur interdictum de non occidendo.

LVIII. *Philo* in loco superius allegato: *Ille igitur potior quinarius de monarchia loquitur qua mundus regitur, de statuis simulatrum, & id genus manufactis operibus, de non assumendo in vanum Dei nomine, de observatione religiosa diei septimi, de honorandis parentibus ambobus & singulis. Itaq; una hæc tabula incipit à Deo patre conditore rerum omnium, desinit in parentes, qui ad illius imitationem gignunt particulariter,* Et statim sequitur:

LIX. *Alter quinarius ex interdictis constat, vetans adulterium, homicidium, furtum, falsum testimonium, concupiscentiam.* Hæc Philo.

LX. Apud *Clementem Alexandrinum* lib.6. στρωματέων hac serie proponuntur, *de uno Deo, de non assumendo in vanum, de septimo die, de parentibus, de adulterio, de cæde, de furto,* &c. ut iterum homicidium postponatur adulterio.

Exemplar translocationis præceptorum Decalogi ex Patribus. Philo circa annum Christi 100. Adulterium præcedit, homicidium sequitur. Clemens Alexandr. anno Christi 216.

Augustinus circa annum Christi 400.

LXI. Similia leguntur apud *Augustinum tomo 6. lib. 15. cap. 5. 6. 7. contra Faustum, Manichæum*, his ce nimirum verbis: *Quo pacto ergo te nunc doceam, hæc tria præcepta ad dilectionem DEI pertinere, ex quo, & per quem, & in quo sunt omnia; Unde hæc intelligas, quando nec illa septem, quæ ad dilectionem proximi pertinent, qua humanæ vitæ societas continetur, erroris tui detestanda perversitate nosse atq; observare permitteris? In quibus mandatum primum, Honora patrem tuum, & matrem tuam: quod & Paulus commemorat mandatum primum in promissione, eadem atq; itidem etiam ipse præcipiens. Tu autem doctrina dæmoniaca didicisti, inimicos deputare parentes tuos, quod te per concubitum in carne ligaverint, & hoc modo utique DEO tuo immundas compedes imposuerint. Hinc etiam considerandum est, quia consequens præceptum, quod est, Non mœchaberis: ita violatur ut hoc maxime in conjugio detestemini quod filis procreantur.* Hæc ibi: Et mox: *Acper hoc etiam illud præceptum, quod est, Non occides, ex ejusdem erroris perversitate non servas.* Hæc ibi.

Præceptum de non mœchando præponitur præcepto de non occidendo apud Augustinum.

LXII. Et iterum paulò post: *Quid cætera Decalogi præcepta, quomodo servabis? An à furto abstineas.*

Et iterum paulò post: *Ita & illud mandatum*

tum legis, Ne falsum testimonium dicas, propter membra Dei tui sic contemnis, ut ea non solum testimonio, sed & juramento falso de compedibus liberes. Jam vero quod sequitur, Non concupisces uxorem proximi tui, debet apud te impleri.

Et iterum paulò post: *nam rem proximi non concupiscere, quod est ultimum Decalogi mandatum, unde potes misera?*

LXIII. Idem *Augustinus* tom. 4. quæstione 71. in Exodum: *Quæritur, decem præcepta legis quomodo dividenda sint? utrum quatuor sint usq; ad præceptum de Sabbato, quæ ad ipsum DEUM pertinent: sex autem reliqua, quorum primum, honora patrem & matrem, quæ ad hominem pertinent, an potius illa tria sint, & ista septem? Qui enim dicunt, illa quatuor esse, separant quod dictum est: non erunt tibi Dii alii præter me: ut aliud præceptum sit, non facies tibi idolum, & cætera, ubi figmenta colenda prohibentur: Unum autem volunt esse,* Non concupisces uxorem proximi tui, & non concupisces domum proximi tui, *& omnia usq; ad finem. Qui verò illa tria esse dicunt, & ista septem, unum volunt esse, quicquid de uno colendo DEO præcipitur, ne aliquid aliud præter illum pro DEO colatur. Hæc autem extrema præcepta in duo dividunt, ut aliud sit præceptum,* non concupisces uxorem pro-

Iterum Augustinus.

Præceptum de non concupiscenda uxore est prius, alterum de non concupiscenda omnibus reliquis est posterius apud Augustinum.

proximi tui, & aliud, non concupisces domum proximi tui, non servum, non ancillam, non bovem, non asinum, nec omnia quæcunq; illius sunt. Hæc ibi.

Iterum Augustinus.

LXIV. Idem *Augustinus* tomo 8. super Psalmum 32: *In septem aliis caritas proximi, Ne facias alii, quod pati non vis. Honores patrem & matrem: quia vis te honorari à filio tuo. Non mœchaberis, quia nec mœchari uxorem tuam post te vis. Non occides, quia occidi non vis: Non furaberis, quia furtum pati non vis. Non falsum testimonium dicas, quia odisti adversum te falsum testimonium dicentem. Non concupisces uxorem proximi tui; quia & tuam non vis ab alio concupisci. Non concupisces rem aliquam proximi tui: quia si quis tuam concupiscit, displicet tibi.* Hæc ibi.

Id. Non occides, sequitur post hoc, non mœchaberis, apud Augustinum.

Conclusio primæ partis thesium seu historiæ eo commemorationis.

LXV. Ex hac autem historicâ commemoratione solidissimè refutari potest insigne figmentum Calvini. *Calvinus* enim in institutionibus suis lib. 2. cap. 8. sect. 12. scribit, *puriori seculo incognitam fuisse distributionem eam, quæ continet duo distincta præcepta, de non concupiscendâ domo proximi, & de non concupiscendis, uxore, servo, ancillâ & aliis rebus proximi.*

LXVI. Passim etiam Calviniani Lutherum

therum & Lutheranos hac supicione onerant, quasi vel Decalogum Lutherus mutilaverit ipse, vel à pontificiis εἰκονολάτραις mutilatum, ex timiditate in gratiam ipsorum retinuerit.

Virum distributio præceptorum Decalogi in Catechismo D. Lutheri possit argui Papistica, & fuerit puriori seculo ignota.

LXVII. Sed DEUS bone, an non *Clemens Alexandrinus* puriore seculo vixit, cum annis post natum Christum elapsis ducentis vixerit?

LXIIX. Præterea; quia nostris Ecclesiis usitata Decalogi distributio patronum habet Augustinum, Hieronymi præsbyteri Romani σύγχρονου, an non puriore seculo cognita perhiberi debet?

LXIX. Sic enim de illa ætate ipse *Calvinus* lib. 4. institutionum cap. 7. §. 3. *Certè quamdiu duravit Ecclesiæ pura & vera facies, ista omnia superbiæ nomina, quibus insolescere postea cœpit Romana sedes, prorsus erant inaudita. Quid esset summus Pontifex, & unicum Ecclesiæ in terris caput, nesciebatur. Quòd si tale quid sumere sibi ausus fuisset Romanus Episcopus, erant cordati viri, qui mox ejus stultitiam reprimerent. Hieronymus, quum Romanus esset Præsbyter, non malignus fuit in prædicanda Ecclesiæ suæ dignitate, quantum res & temporum status patiebantur: videmus tamen qualiter ipsam quoq; in ordinem redigat. Si authoritas quæri-*

tur, (inquit) *orbis major est urbe. Quid mihi profers unius urbis consuetudinem? quid paucitatem, de qua ortum est superciliũm, in leges Ecclesiæ vindicas? Ubicunq; fuerit Episcopus, sive Romæ, sive Eugubii, sive Constantinopoli, sive Rhegii, ejusdem meriti est, & ejusdem sacerdotii. Potentia divitiarum, & pauperpatis humilitas superiorem vel inferiorem Episcopum non facit.* Hæc ille.

LXX. Et quonam quæso titulo *Papistica* seu *Pontificia* audire potest nostra distributio, quæ ante 1400. annos, seu ante quatuordecim secula à Clemente Alexandrino usurpata fuit, quo tempore de Tyrannide, jurisdictione absolutâ, & idololatriâ illa Paparum populus Christianus nondum inaudierat.

LXXI. Deniq; longè maximam merentur reprehensionem, qui scripsitant â Lutheranis *timidus* in gratiam idololatricorum Pontificiorum retineri illam distributionem, quæ particulam de prohibitis imaginibus omisit.

Ipsi Pontificii in medio Papatu partem de non faciendis sculptilibus expressè primo præcepto annumerarunt.

LXXII. Nam ipsi *Pontificii* admonitionem de non faciendis & adorandis sculptilibus sub medio Papatu in suis scriptis publicis Ecclesiæ Christi inculcarunt, ut patet ex exemplo Bandini & Petri Lombardi, suprà *thesi 20. 22. 23. 24.*

LXXIII.

LXXIII. Quin ipse quoq; *D. Lutherus* ante recens & nuper motam illam controversiam de distributione præceptorum Decalogi, *tomo secundo Witebergensi Germanico, in libro adversus cœlestes Prophetas*, & quidem parte libri priore prohibitionem idolorum primi præcepti Decalogi partem constituit.

LXXIV. Sic enim inquit sub titulo Von dem Bildstürmen / id est de εἰκονομαχία: *Quam ad rem adduco primum præceptum, Non habebis Deos alienos coram me. Posthum textum sequitur statim, quod indicat & exprimit, quid nominet alienos Deos, ubi dicit, non facies ullam imaginem, vel similitudinem. Hoc est dictum de illis duis &c.* Hæc D. Lutherus.

D. Lutherus illud de non faciendis sculptilibus expresse primo præcepto annumerat.

LXXV. Et paulò post: *Iccirco verum non est, quod in Decalogo nullæ sint leges ceremoniales, nullæ judiciales. Omnes in Decalogo sunt, in ipso pendent, & ad eum pertinent. Et ut DEUS hoc indicaret, ipse duas ceremonias expressis verbis in Decalogo reposuit, videlicet, imagines & Sabbathum.* Hæc iterum D. Lutherus.

LXXVI. Et iterum paulò post: *Quod verò imaginum negocium in primo præcepto etiam sit externa ceremonia, S. Paulus concludit, & inter alia his verbis refert, 1. Cor. 8: Scimus quod idolum nihil sit in mundo.* Hæc ibi Lutherus.

LXXVII. Idem Lutherus in colloquiis convival. cap.11. de lege *ita primum recenset, non habebis Deos alienos, nec facies tibi imaginem.* Hæc omnia D.Lutherus.

SECUNDA PARS THESium seu Theologicum examen rationum, quibus singuli suas distributiones salvare conantur.

LXXIIX. Et huc usq; primum observationis caput absolvimus, nunc ad alterum facimus accessum, nimirum ad *considerationem rationum*, quibus singuli ad suas divisiones præceptorum Decalogi salvandas & defendendas usi fuerunt. Hic autem iterum initio de *tabulis*, mox de *aphorismo* deniq; de *ordine singulorum præceptorum* perpendendum venit.

Prima pars Examinis, quot præcepta ad primam, quot ad secundam pertineant. Ratio Philonis, cur

LXXIX. *Primò* enim, Qui ad primam tabulam referunt mandata quinq; nimirum Josephus, Philo & auctor operis imperfecti hom.52. & ita quidem, ut quintum in prima tabula ipsis sit præceptum de honorandis parentibus, ii absq; dubio commoventur hac ratione, quæ extat apud Philonem, quòd parentes, procreando,

DEI

DEI omnia contendis naturam imitentur; ideoq; locum inter præcepta, DEI honorem vindicantia, occupare debeant.

præceptum de parentibus pertinere velit, ad primam tabulam.

LXXX. Reliqui omnes, qui præceptum de honorandis parentibus ad secundam tabulam remittunt, adducuntur inprimis auctoritate novi testamenti.

Rationes eorum, qui præceptū de parentibus referunt ad secundam tabulam

LXXXI. Etenim *primò*, *Matth.* 22. 37. *Marc.* 12. 30. *Luc.* 10. 27. Christus ipse Decalogum generaliter ita dividit, ut dilectionem DEI soli primo præcepto, hoc est, primæ tabulæ, sed dilectionem proximi seu hominis, sub quo nomine absq; dubio etiam parentes comprehenduntur, soli secundo præcepto, hoc est, secundæ tabulæ attribuat.

1. Ratio.

LXXXII. Deinde *Matth.* 19. 18. 19. Christus recitaturus mandata secundæ tabulæ, de dilectione proximi, hæc profert, *Non occides, Non mœchaberis, Non furaberis, Non dices falsum testimonium*, & inprimis illud de parentibus, *Honora patrem & matrem.*

2. Ratio.

LXXXIII. Præterea *Ephes.* 6. 2. præceptum de parentibus ab Apostolo vocatur *primum*, quod habet promissionem: nimirum, ut rectè explicat Hieronymus super hunc locum, *in secundâ tabulâ.*

3. Ratio.

LXXXIV. *Quomodo enim* inquit auctor quæstionum veteris, & novi Testamenti quæst. 7. *quomodo* (inquit) *esset hoc primum mandatum, nisi in secunda tabula ab ipso Apostolus cœpisset?*

LXXXV. Habet alioquin primum quoq; primæ tabulæ præceptum promissionem de misericordia super mille generationes secutura, & comminationem de pœnis impœnitentes, & malitiam parentum imitantes apprehensuris, ut non possis hoc de parentibus præceptum accipere, de præcepto primo ex illis, quæ habent promissionem, sed necessariò cogaris interpretari de primo ex iis quæ sunt secundæ tabulæ.

LXXXVI. Atq; hanc *posteriorem sententiam* apud omnes sanos adeoq; pios hominet militaturam nulli dubitamus.

Secunda pars examinis de aphoristicis verbis singulorum præceptorum Decalogi.

LXXXVII. SECUNDO, quòd *Aphoristica verba* singulorum mandatorum concernit, qui *primum* de non habendis Diis alienis, & non faciendis idolis, *secundum* de non assumendo invanum nomine Domini, *tertium* de Sabbatho in prima tabula, reliqua in secunda & quidem *nonum & decimum* de non concupiscendo constituunt; isti hisce fundamentis lese niti profitentur.

LXXXIIX. (1.) Quia nimirum *ex antiquissimo more in Bibliis Hebraicis ad exemplum Judaici Sepher-Thora seu libri legis* Deut. 5. vers. 7, 11. 12. 16, 17, 18, 19, 20, 21. (de hoc enim loco Deuteronomii non de Exodi cap. ipsi agunt & nobis nunc sermo est) *decies littera, Samech tanquam nota principii in singulis præceptis, seu novis sententiis ita collocata repetitur*, ut *primi* pars fiat admonitio de imaginibus non faciendis, *secundum* sit de non assumendo nomine DEI invanum, & ut *nono* cedat illa portio de non concupiscenda uxore proximi, (ita in Deuteronomio, de quo nunc agitur, extat, & explicabitur infra) *decimo* illa de non concupiscendis reliquis, quæ sunt proximi. *Rationes distributionis præceptorũ Decalogi, quæ usitata est in nostris Ecclesiis Lutheranis.*

LXXXIX. (2.) *Quia* etiam *hoc pacto pulcerrima & facilima exoritur distinctio præceptorum primæ tabulæ à se invicem*, nimirũ, quòd *primum* agit de corde, *secundum* de linguâ, *tertium* de actionibus aliis externis, quomodo iis omnibus ritè colendus sit DEUS. 2. Ratio.

XC. (3.) *Quia* item, & vel inprimis *sculptilia & similitudines ipsa sacra scriptura in locis aliis de Diis aliis exponit*, Sic enim *Exod. 20. 23. Ne faciatis mecũ Deos ARGENTEOS, neq; Deos AUREOS.* Nota n. quòd ex parte de non habendis Diis aliis duo vocabula *Deos, & mecũ* seu 3. Ratio.

seu CORAM ME, hîc copulentur cum tribus ex parte de prohibitis imaginibus, FACERE ARGENTEOS & AUREOS, hoc est, facere sculptos, ut ad amussim constet, ista verba omnia ad unum præceptum constituendum conjungenda esse.

XCI. Sic *Exod. 34. 14. 17. Non* INCURVABIS TE DEO ALTERI, *Deos conflatiles non facies tibi.* Quæ verba iterum sunt collecta ex mixtione partis de non habendis diis aliis seu alteris, & partis de non faciendis conflatilibus seu sculptilibus.

XCII. Sic etiam *Jerem. 19. 9.* Postquam primo dicitur, de materia idolorum, *Argentum extensum de Tharsis affertur, & aurum de Opar, opus artificis & manuum artificis,* mox subjungitur vers. 11. *Sic dicetis eis: Dii, qui cœlum & terram non fecerunt, pereant è terra.*

XCIII. Confer itidem inter se hæc testimonia *Genes. 31. 19.* ubi furata est Rahel idola patri suo, *& vers. 34.* poluerat ea in clitellis Cameli & sedit super ea, *& vers. 35.* Labon non invenit idola cum scrutaretur, & *Genes. 35. 2.* de his inquit Jacob: *Aufferte deos alienos qui in medio vestri sunt,* & vers. 4. *Dederunt omnes Deos alienos.*

XCIV.

XCIV. Sic *Exod. 32. 1.* Postquam dixerunt Aaroni: *fac nobis DEOS*, mox subjungitur: *Et fecit vitulum fusilem* & dixerunt: *Isti sunt Dii tui, qui eduxerunt te è terra Ægypti.* Item ibidem confer *vers. 23. 24.*

XCV. Sic *Lev. 19. 4.* dicitur: *Ne convertatis vos ad idola, neq; Deos fusiles faciatis vobis.* Et Deut. 4. 28. *Servies ibi Diis, operi manuum hominum, ligno & lapidi, quæ non vident neq; audiunt, neq; comedunt, neq; adorantur.* Et Deut. 7. 25. *Sculptilia Deorum ipsorum combures*, hoc est, sculptiles Deos. Et *Deut. 28. 64. Coles ibi Deos alienos, quos non nosti tu, neque patres tui, lignum & lapidem*: hoc est, Deos ligneos & lapideos.

XCVI. Sic *1. Reg. 12. 28. Rex fecit duos vitulos aureos dixitque: Ecce Dii tui Israël, qui te eduxerunt è terrâ Ægypti.*

XCVII. Sic *Sap. 13. 10. Infelices manuum humanarum opera aurum argentum arte fabrefactum atq; simulacra animalium DEOS appellaverunt.* Item *Sap. 15. 8. Idem ille pessimè vocans operam ex eodem luto vanum fingit DEUM* &c. Perlege totum illud caput.

XCVIII. (4.) *Quia eadem de causa plurimi antiqui doctores verba de non faciendis sculptilibus accipiunt pro declaratione præcedentium verborum de non habendis Diis aliis.* 4. Ratio.

XCIX.

XCIX. Ideo enim sine dubio *Philo* in explicatione primum suum de Diis alienis, cum secundo suo de idolis conjungit, *in libro de Decalogo.*

Philo circa annum Christi 100.

C. Ideo sine dubio *Hebræi* præceptum primum recitantes conjungunt verba *de non habendis* Diis alienis, cum illis *de non faciendis sculptilibus*, teste Lyra, cujus verba sunt in *thesi 42.*

CI. Huc *Augustinus lib. quæst. super Exod. quæst. 71.* in eadem est sententia cum ita expresse ait: *Revera quod dictum est, non erunt tibi Dii alii præter me, hoc ipsum perfectius explicatur, cum prohibentur figmenta colenda.*

Augustinus circa annum Christi 400.

Et paulò post: *Illud autem ubi dictum est, Non erunt tibi Dii alii præter me, patet hujus rei diligentem executionem esse in his quæ subjecta sunt. Quo enim pertinent, Non facies tibi, dolum nec ullum simulacrum &c. nisi ad id, quod dictum est, Non erunt tibi Dii alii præter me.* Hæc ibi.

CII. Idem paulò ante: *Decem tamen esse præcepta neutri ambigunt, quoniam hoc Scriptura testatur. Mihi tamen videtur congruentius accipi tria illa, & ista septem.* &c. Hæc ibi.

4. Ratio.

CIII. (4.) *Quia totus contextus singularum capitum Exodi à primo usq; ad vicesimum primum caput monstrat,* DEVM *evocando Israelitas ex Ægypto voluisse palàm toti mundo testa-*

tum

tum præbere, SE educentem solum esse Deum viventem, Josuæ 3, 10. verum in cœlo & in terra, & Psal. 115. 4. Sap 13. 17. 18. 19. *adorata idola fusilia, sculpta, picta, omnia, non tantum alia sub toto cœlo, sed imprimis Ægyptiorum & Chananæorum esse inanimatos, mortuos, & vanos Deos*, qui ipsi perierint, & in mari rubro suffocatis nihil nihil nihil suppetiarum ferre potuerint.

CIV. Opponuntur igitur, ab Exodo incipiendo, postea per totum vetus testamentum verus DEUS, & Dii illi alieni, aurei, argenteiq; ab Ægyptiis & Chananæis, aliisq; sculpti, aut qui ad istorum exemplum postea sculpi & fingi potuissent. *Lege Deut 6, 12, 13, 14, 15.*

CV. (5.) *Quia quæ toti præcepto de non habendis diis aliis, & de non faciendis sculptilibus additur comminatio*: Ego sum DEUS fortis zelotes visitans iniquitatem patrum in tertiam & quartam generationem, Exod. 20. *ea maxima parti præceptionis de non habendis & adorandis Diis aliis adjungitur* in his verbis Exod. 34, 14. Non incuruabis te Deo alteri, nam Jehova zelotes nomen ejus, DEUS zelotes est, ut certò constet verba de idolis cohærere cum verbis de Diis alienis. 5. Ratio.

CVI. Idem fit *Deuteronomii 6, 14, 15. Non ambulabitis post Deos alios, è Diis populorum, qui*

qui sunt in circuitibus vestris, DEUS enim zelotes, JEHOVA DEUS tuus in medio tui est.

6. Ratio. CVII. (6) *Quia* deniq; *sine omni evidenti ratione portio de non faciendis sculptilibus à præcepti (de non habendis Dijs alienis) visceribus avellitur,* quasi nimirum nefas & abominatio sit, conspici in templis Christianorum imagines, ut citat ex Epiphanio *Calvinus lib. 4. inst. cap. 9. sect. 9.* & quasi ideò peculiari adversus imagines præcepto opus fuerit.

De imaginibus apud Christianos. CIIX. Verumenimvero, ut de hac objectione paulò plenius respondeamus, sine omni dubio planissima res est quòd DEUS colluviem idolorum innumerorum inanimatorum apud Ethnicos toto orbe tunc receptam, & cultibus divinis honoratam, tunc reformaturus & exterminaturus, insigni miraculo evocationis populi ex Ægypto tunc sese patefecit *Josuæ 13, 10.*

CIX. Post illam enim insignem comprobationem suæ divinæ potentiæ & manifestatum oculare experimentum inaniter jactatæ majestatis idolorum inanimatorum, adhortatur omnes ad colendum SE efficaciter potentem DEUM, & ad detestandos nihili inanimatos Deos alios, ideoque ita proclamat: *Non erunt tibi Dii alieni*

alteni coram me, Sed quid, & qui ei sint illi *alii Dii*, tum apud Ægyptios & Chananæos jactati, expressurus, mox subjicit illos DEOS ita describens, *Non facies tibi* (scilicet ad exemplum Ægyptiorum, Chananæorum & Ethnicorum aliorum ficitium numen) *sculptile neque ullam similitudinem eorum, quæ sunt in cœlo sursum, neq; eorum, quæ in terra deorsum, neq; eorum, quæ in aquis subter terram*, qualia hactenus Ethnici fecerant *Deut. 6, 14.*

CX. Inprimis verò perpendendus est additus *finis*, propter quem non sint faciendæ imagines, *non incurvabis te eis, neq; coles ea Exod. 20. 5. Deut. 5. 9.* Non prohibet quippe imaginum sculpturam, sed sculptarum imaginum *cultum* idololatricum sicut antecedentia & consequentia inter se collata evincunt.

CXI. Id quod evidentius apparet ex illo *Levit. 26, 1: Non facietis vobis idola & sculptile & statuam non erigetis vobis, neq; lapidem pictum ponetis in terra vestra UT INCURVETIS VOS eis.* Ecce quam clarissima cohærentia, *Non facies statuam ut incurves te ei.*

CXII. Licet igitur facere verbi causa lapideam statuam, ut jubentur facere *Deut. 27, 4.* & faciunt *Josuæ 8, 32. Jud 9, 6.* si modò non adores eam. Et si quis imaginem

Quomodo liceat facere sculptile & imaginem.

& statuam quamcunq; historiæ & memoriæ causâ posuerit, ut erat illa, de qua ex *Deut. & Josua* dictum est, ut erat illa quoq; quam ponit defunctæ conjugi Jacob Patriarcha *Genes. 35. 20.* is hujus præceptionis divinæ majestatem nullo modo violat.

Descriptio Cherubinorum in sancto sanctorum, qui non erant tantum larvata capita.

CXIII. Quin si sculptura simpliciter sine hoc jam explicato respectu prohibita, perhibebitur, tum ab injustitiæ & impietatis suspicione vel culpâ nec DEUS ipse liber pronunciabitur. Siquidem præter statuam jam modò commemoratam ex Deuteronomio ipse etiam *Exod. 25. 18.* duos *Cherubin* facere & in sanctis sanctorum collocare jussit, hoc est, ut verisimile existimat Rabbi Salomon apud Lyram super Exod. 25. duos adolescentes seu pueros Giganteos alatosq; qui non erant tantùm duo capita larvata, sed stabant super pedes suos & faciem vertebant in domum.

CXIV. Et, ut eò fortius adversariorum furor in eliminandis picturis & sculpturis omnibus sine discrimine ex loco sacro, innotescat, unus quilibet ex illis Cherubin altitudine habebat decem cubitos, (seu decem ulnas Lipsienses circiter) unde de proportione crassitici æstimationem faciliorem instituere licet: *1. Reg. 6, 23, 24, 25, 26, 27, 2. Par. 3, 10, 11, 12, 13.*

115. Vo-

CXV. Voluit autem istis Gigantibus, potentissimos Spiritus angelicos delineare, quibus DEUS ramen imperat, sicut eò videtur alludere *Psalm 99. 1. Jehova regnat, contremiscunt populi, sedet inter Cherubim, contremiscit terra.* Sedere enim super Cherubim est potenter regnare, explicante *Theodoreto quæst. 40. in Gen.* Et *Psalm. 80. O pastor Israelis ausculta, qui pascis tanquam pecudes Joseph, qui sedes super Cherubim, splende.* Et *Esa. 37. 16. Jehova exercituum, Deus Israel, sedens super Cherubim.*

CXVI. Sicut etiam *1. Reg. 6, 18, 29, 32. 35.* in templo Salomonis undiq; cucurbitæ agrestes, flores palmæ, & inprimis alii Cherubim intus & extra visebantur. *1. Reg. 6. 29.* ad figurandam angelorum ascendentium & descendentium illiq; loco ex DEI mandato providentium multitudinem *Esai 6. & Johan. 1, 52.* sicut item *1. Reg. 7, 25.* fuerunt duodecim boves æneι in atrio sacerdotum, propter quos nunquam irascebatur Dominus, sicuti propter vitulum fusilem irascebatur in deserto ad radicem montis Sina; ita quid prohibet retinere historicas imagines in templis nostris, modò non sint profanæ, impudicæ, fabulosæ, nimis multæ.

Alii Cherubim in templo Hierosolymitano intus & extra.

Imaginum usus merè est historicus.

CXVII. Qui enim usus est historiarum, is quoq; est imaginum usus, licet cum viva imagine non congruant.

Mens omnia visa sibi pingit in cerebro.

CXIIX. Quid? quòd ipsi naturæ vim violentissimam inferunt εἰκονοκλάσται: quicquid enim sub sensum visus cadit, illud depingi potest, siquidem ejusdem idea menti & cerebro subitò imprimitur, ut factum etiam est & fit quotidiè cum formis, in quibus DEUS sæpenumero præsentiam suam in certo loco specialiter testari voluit & testatus fuisse legitur & pronunciatur, ut in formâ antiqui dierum *Dan. 7, 9.* in forma peregrinantis *Gen. 18.* rubi ardentis *Exo. 3, 2.* columnæ igneæ & nubis passim in *Exod 13. 21. &c.* columbæ *Matth. 3. 16.*

DEI essentia pingi & sculpi imò nec fingi potest.

CXIX. Modò populus sufficienter doceatur, DEI essentiam nullius visibilis formæ capacem esse & magistratus cogente necessitate idololatricas imagines quandoque legitimè è medio tollat: sicut serpentem æneum Ezechias confregit, cùm per idolatriam coli cœpisset. *2. Reg. 18, 4.*

CXX. Quod autem *Deut. 7, 25.* DEUS etiam materiam idolorum Chananæorum igni combutere jubet, & ita gravitatem idolatriæ tot annos commissæ, denotare voluit, illud est ita speciale, sicut speciale in eodem

eodem capite est mandatum de interficiendis Chananæis, nobis hodie non imitandum.

CXXI. *Crucis & crucifixi imaginem* in specie cur retinere sine idololatriâ licitum nobis non esset? ubi primo crucifixus, suspensus in templis, in cruce, ad occasum convertit faciem (Nam *Golgatha* etiam versus occasum ab urbe Jerusalem distat secundum topographos, & teste *Damasceno lib. 4. orthodoxæ fidei cap. 13.* Christus in cruce ad eundem occasum prospectabat, rabie Judæorum pendenti urbis aspectum invidente) ubi deinde hæc proportionabilis membrorum humanorum συμμετρία ab Eutychianis, Schvvenckfeldianisq; deliriis apud Calvinianos pro nostris Ecclesiis vel sola causam singularis omnipræsentiæ carnis Christi tàm strenuè agit, ut omnibus constet, nos extensam & diffusam carnis per se annihilatam ubiquitatem toto pectore odisse.

Imago crucifixi in templis spectat occasum, & cur.

Imago crucifixi indicat, nos Lutheranos nequaquam statuere omnipræsentiam carnis, quæ sit extensio seu expansio carnis per totum mundum.

CXXII. *Altaria* quoque, ut vel obiter moneamus, sine superstitione & idolatria in nostris templis in usum, non sacrificiorũ quorumcunq;, sed distributionis cœnæ Dominicæ reliqua quidnam amoliri & quo jure nos amoliri jubebit?

Altaria nostra sunt mensæ.

CXXIII. Nam, quod maximi est momenti, non tam *altaria*, quàm *mensæ* perhiberi possunt istæ apud nos residuæ aræ.

Altare sacrificiorum in V. T. stabat sub dio, vnnd war wie eine Brawstädte.

CXXIV. Etenim *Altare magnum* Hierosolymitanum, non sub tecto, sed extra domum, in atrio seu vestibulo, sub dio consistebat, perpetuisq; ignibus pellucebat, habens craticulam in suo cavo, cui imponebantur, quæ igne holocausti consumenda erant *Exod. 27. vers. 1. & sequent: & 40. 6. 1. Reg. 6, 3. 2. Paral. 4. 9. & sequent.* In hoc altari Solomon sacrificavit boum duo & viginti millia & ovium centum viginti millia *1. Reg. 8, 63.* quod si totidem passeribus acceptis tu in nostris templis & superaris nostris tentaveris, quis quæso fumum odoremq; ferret, & quamdiu ædificia templorum salva permanebunt?

Altare thymiamatis in V. T.

CXXV. *Alterum altare* Exod. 30. 1. & sequent. & 40, 4, 5, sub tecto quidem constituebatur & habebat in altitudine duos cubitos, & in longitudine etiam unum cubitum, rectius conferendum cum brevissima mensâ, vel cum brevi pulpito, in quo libros Musicos in templo recondit Cantor, sine tamen acuminato tecto, seu etiam ex parte cum tali brevi mensa, super qua Calviniani ipsi cœnam suam Dominicam celebrat.

126. Quas

CXXVI. Quas constitutiones sacras, si qui exactè perpenderint, & in emoliendis mensis nostris, quas *aras* vocant, progressum necessarium censuerint, esse faciendum, hos omninò cum rectâ ratione, quam maximè insanire, non injuriâ, sed meritissimò dixeris.

CXXVII. Porrò, quod ultimas duas præceptiones attinet. *Non concupisces domum, vel uxorem proximi, nec concupisces reliqua, quæ sunt proximi*, quanquam unum præceptum esse, nec a nobis aptè & sufficienter distingui posse videntur, tamen ipsi adversarii modò veteris Ecclesiæ statum penitioribus animis expendant, omninò aliud judicium ferent, adeoq; huic præceptorum Decalogi distributioni, præ aliis distributionib9 calculos suos dabũt & adjicient.

8. Ratio pro distributione præceptorum usitata apud nos Lutheranos.

CXXVIII. Illa erat ex divinâ permissione potestas in uxorem suam cuiq; Judæo libera, ut secundum legem inde secutam, dato repudii libello à se demittere, aliamq; ducere posset, *Deut. 21. v. 2. 3. 4.*

Explicatio præcepti, Non concupisces uxorem proximi tui.

CXXIX. Quapropter *in hac inter se ipsos mariti periclitabantur*, inquit D. LUTHERUS in majori Catechesi, *ne quidam alterius uxoris cupidus technas & fraudes speciosas tamen, per alios susurrones instrueret,*

quibus inter vicinos conjuges eas excitaret discordias, ut maritam maritus extremè odisse inciperet, tandemq; planè exturbaret, secundum consuetudinem, re tamen prius apud judices tractata & decisa.

CXXX. Quo facto, mox iste uxoris ab alio vicinoq; suo repudiatæ cupidus, ex occasionibus quibusdam etiam suam odisse; & prætextu Juris, atq; ex concessa potestate eam quoq; expellere cœpit, & in locum ejus alteram a vicino repudiatam, & à se magis diu, occulteq; amatam superinduxit. Et hoc apud Judæos non habebatur dedecoroluni, quod consuetudine loci esset pro lege introductum, sicut apud nos probro non datur, quando repudiatum servum alius Dominus vicinus suscipit.

CXXXI. Hac igitur præceptione *de non concupiscendo uxorem proximi* impedire voluit Dominus fraudulentias istas, quando rationibus, prætextibus, consuetudine, permissione, & legibus coram mundo citatis honestissimis, divortia fraudulenter inter conjuges in hunc finem excitantur, ut repudiatæ personæ alterius alia particeps fieret.

CXXXII. Gravissima hæc sunt peccata, si quis nimirum sub rationibus speciosis alterius

terius conjugem ad se transfert, vel, si non respondet eventq, ad se transferre conatur.

CXXXIII. Hæc concupiscentia prorsus est alia ab illa cordis libidine & immundicie, quando mens cogitationibus prohibitis exardescit erga alienam, iisq; se oblectat, easq; in actualem immundiciem, sæpè etiam ita deducit, ut cum alterius conjuge, vel quacunq; liberâ personâ commiscetur, ita tamen ut neutra persona vel tum alterius fiat conjunx, vel alterius conjugium in futurum apperat. *Scopus genuinus præcepti de non mœchando.*

CXXXIV. Sed *concupiscentia alienæ uxoris* illa est, quando aliquis captat clam, & diu bene præmeditatus sub specie, & fuco causarum plausibilium hanc occasionem, ut â sua liberetur, & alterius conjugem sibi magis arridentem & complacentem in matrimonium accipiat, sive eventus sequatur, sive impediatur, adeoq; sive Judeus fuerit, sive hodie Christianus, aut alius quicunq;. *Scopus genuinus præcepti de non concupiscenda uxore proximi.*

CXXXV. Malè igitur opinabantur Judæi satisfactum esse præcepto de non mœchando, si maximè in oculos incurrente externo opere in illud non delinquerent, licet interim vel internis concupiscentiis, vel clandestinis dolis tandem in apertum sæpè prorumpentibus toti scatcrent, ita, ut

si quis alterius uxorem amare cœpisset, causam fingeret, qua suam domo ejiceret, & variis machinationibus alteram ad se transferret.

Explicatio præcepti. Non concupisces domũ, servum, ancillam, bovem, asinũ, agrum proximi tui.

CXXXVI. Præterea ædium & agrorum vendendorum, ratio alia erat sub Politia Mosaicâ, quàm nunc apud nostros homines in imperio Romano.

CXXXVII. Primo enim *Levit. 25.* toto & inprimis *vers. 23. 24.* quod terra Canaan Domini, non ipsorum esset, *non agri ipsi, sed tantùm usufructus ex agris vendebantur*, ita quoq; non domo ipsæ, sed tantùm usus fructus, seu inhabitationes in domibus vendebãtur. sed cũ cõditione, quæ mox sequetur.

CXXXVIII. Deinde *Levit. 25. 29.* nequaquam in perpetuum poterant usufructus isti vendi, sed ad summum usq; ad Jubilæum magnum, unde in venditionibus habebatur respectus ad terminum Jubilæi, ita ut quanto plures essent anni ad Jubilæum magnum, tantò carius venderentur, quanto pauciori, tantò vilius: illic enim pluritum annorum, hic pauciorum annorum usumfructum emptor expectare poterat.

CXXXIX. Sed tamen *Levit. 25. 25.* venditum usumfructum possessionis suæ ante Jubilæum, in Jubilæo & post Jubilæum, vel pauper ipse debitor, quamprimum ad lau-

lautiorem perveniſſet fortunam, vel ejus nomine propinquus aliquis redimere poterat, ita ut fructuũ à priore creditore perceptorum valorem detraheret, reſiduumq; adhuc percipiendorum eidem perſolveret.

CXL. Sin nec pauper nec propinquus redimere poterat, expectandum erat Iubilæi magni gaudium, ubi gratuitò agrum vel vineam recipiebat, idq; ex causâ, data in Theſi ſequenti.

CXLI. In magno Iubilæo debitores ſinguli ad domos & agros ſuos redibant ſine omni ſolutione alicujus pretii? ſiquidem omne precium venditoribus in initio contractus fuerat prænumeratum.

CXLII. *Domus* tamen *intra muratam urbem* vendita intra annum redimi poterat, poſtea nunquam, nec etiam in ipſo Iubilæo magno: ſiquidem non ita illibata reſtitueretur domus, atq; agri immutilati redderentur. *Levit. 25. 29. 30.* *Domus intra urbem muratam.*

CXLIII. *Domus in villis non muratis* ſemper redimi poterant, quia levibus expenſis extruuntur & deteriores redditæ, facili ſumptu emendantur; Deinde ſunt neceſſariæ ad agros colendos, & ad pecora, *Levit. 25. 31.* *Domus intra urbem non muratas.*

CXLIV. Similiter *ſervi cum ancillis* non ut nunc, erãt liberi, ut huic aut illi mercede conducti pro ſuo arbitratu, quam diu libitũ eſſent,

Status servorum & ancillarum in Politia Mosis.

esset, servirent, sed Domino ita erant mancipati cum corpore, uxore, liberis, & omnib9, quemadmodum pecora & reliquæ substantiæ nunc nobis mancipantur secundum tenorem & distinctionem, *Exod. 21, 3.4.*

CXLVI. Anno quidem Septimo seu Jubilæo parvo dimittendi erant omnes servi Hebræo sanguine creati, *Exod. 21. 2.* Sed si exire non vellent, usq; ad Jubilæum magnum serviebant, ubi libertatem consequebantur, si modò religionem Hebræam amplecterentur, *Exod. 21. Levit. 25. 39. 40. 41.* Alia enim ratio erat servorum ab Ethnicis emptorum, qui non ita dimittebantur *Levit. 25. 44. & seqq.*

CXLVII. Quin etiam servos Judaico sanguine procreatos dimittere cogebantur in magno Jubilæo illi, qui in Judæa quidem habitabant, sed à religione alieni erant.

CXLVIII. Imò, pro certo precio persoluto à patruo vel à fratre vel à filio patrui, vel propinquo carnis, vel etiam alicunde acquisito, iridem ante Jubilæum quovis tempore Ethnici in Judæa habitantes cogebantur restituere servos Hebræos, ne diurnitate servituris, infirmi religionem dominorum sibi asciscerent, *Levit. 25. 47. sequ.*

CXLIX.

CXLIX. Et ne fœminei sexus famulitia nimis cupidè emerentur, vel alioqui minus rectè tractarentur, & in matrimonio contrahendo impedirentur, quovis tempore à procis redimi poterant, aut si procis non concedabantur, à Dominis vel Dominorum filiis duci debebant, aut si nihil horum vellet Dominus facere, citra voluntatem Domini sponte servitutem finiebant ipsæ *Exod. 21. 7. & seqq.*

CL. Harum igitur legum de Servis, & Ancillis, de Agris, de domibus, & de similibus repagula multis modis perrumpere quovis tempore ausa fuit avaritia humani ingenii. Sicut enim in re uxoriâ, ita in his domuum, agrorum, servorum & aliarum rerum possessionibus, seu usufructibus ad sese sub specie, & prætextu legum & juris vel penitus, vel ad bene longum tempus, & quidem plerumque, non sine detrimento rei Oeconomicæ proximi transferendis, noctes, diesque, occupata fuit, ubi quandoq; fallebat, quandoq; vincebat conatus.

CLI. *Et quis velit tam solers & perspicax esse? ut omnes hac in parte defraudandi & imponendi rationes ac vias excogitet, quibus honesta quadam specie aliquid insidiose eripientes alteri sibi vindicabant*, inquit Lutherus hoc loco.

CLII.

Sensus genuinus præcepti de non furando & de non concupiscendis rebus proximi.

CLI. Supra igitur *præcepto Septimo*, illud interdictum est vitium, quo aliena bona alteri eripiuntur, & per vim possidentur, id quod nullo jure palliari potest. *Hic* verò ea quoq; animi pravitas & versutia interdicta est, ne quid proximo persuasione aliqua, technis, item prava juris & falsò citatarum legum interpretatione, item largitionibus, è manibus aufferamus, etiamsi coram mundo illud honestè excusari possit, ita ne quis exprobrare tibi queat, te per vim & injuriam id esse consecutum.

Lutherus in utroq; Catechismo solertissimè docet distinguere præceptum nonum & decimum de concupiscentiis.

CLII. Hæc fundamenta de distinctione duarum præceptionum, *Non concupisces uxorem proximi*, *Non concupisces domum, agrum, servum, asinum, & omnia, quæ sunt proximi*, ex Lutheri majori Catechesi, ideò ascribere & fusius ex scripturâ explicare voluimus, quòd veritatis apicem solertissimè tangant, & sufficienter evincant, postremas præceptiones non esse unum, sed duo distincta præcepta, plena multiplicium, magnarum & necessariarum doctrinarum.

CLIII. Piè quoque, & graviter idem *Lutherus Tomo 7. latino Witebergensi* in brevi expositione scribit: *postrema duo præcepta maximè ad Judæos pertinent, quemadmodum in pri-*

in prima appendix de liberatione ex Ægypto, in tertio promissio de terra Canaan, imò & ipse dies Sabbathi, in quarto itidem repetita promissio terræ Canaan ceremonialis & forensis, adeoque Judæos propriè spectant & concernant.

CLIV. Habet Lutherus suffragantem sibi *Lyram super Exod. 20.* ubi is dicit; *quòd non sit levis causa, cur duo præcepta ad repressionem concupiscentiæ sint posita.*

CLV. *Bonum enim* (inquit Lyra) *dividitur per utile & delectabile, ita ut alia sit ratio boni utilis & delectabilis, ita ut aliquando contingat, ut aliquis habens pronitatem ad aliud, imò aliquando abominationem, sicut quis concupiscit uxorem alterius, qui tamen non concupiscit alias res ipsius, quia abominatur furtum vel rapinam. Et ideò ad reprimendam istam concupiscentiam duplicem debuit assignari duplex præceptum.* Hactenus Lyra. *Lyra de duobus postremis præceptis distinguendis.*

CLVI. *Idem* ibidem super verba; Non ancillam: *Non intelligitur de concupiscentia ad carnalem actum, quia ista est prohibita per præcedens præceptum, sed intelligitur de concupiscentia ejus ad Servitium, quod est bonum utile.* Hæc ibi.

CLVII. Ad hanc explicationem sine dubio respexerunt autores supra citati, qui nonum ita recitant: *Non concupisces uxorem proximi tui: decimum: Non concupisces domum, agrum, servum, ancillam, & omnia alia, quæ sunt proximi.*

158. Huc

CLX. Huc quod habet *Augustin.* qu. 71. super Exod. *Discreviſſe autem videtur concupiſcentiam uxoris alienæ à concupiſcentia cujuslibet rei alienæ, quando utrumq; ſic cepit, Non concupiſces uxorem proximi tui, Et, non concupiſces domum proximi tui, & hinc cepit cætera adjungere, &c.* Hæc ibi.

CLXI. Sed, modò diligenter retineatur ipſa diſtinctio jam inculcata, poſtea parum refert, quod conſtituatur nonum, quod verò decimum præceptum, ut monet *ſuper Deut. 5. Oſiander in Biblis.* Lege etiam *Auguſtinum quæſt. 71. in Exodum.*

CLXII. Huc autem inſuper referimus, quæ Pauli exemplum ſecuti in genere de his duobus (bis enim fruſtra non eſt poſitum verbum, *non concupiſces*, alias ſemel vel ſæpius fuiſſet ponendum) præceptis diſſerunt alii, qui iisdem originalem & actualem inordinatamq; cupiditatem erga iſtas res proximi ad ſe transferendas prohiberi dicunt, *Rom. 7.* ubi ita Apoſtolus dicit: *Concupiſcentiam neſciebam, niſi lex dixiſſet, non concupiſces.* Vide Brent. in Catech.

CLXIII. Et vel ex his ſtatuamus, quid ſentiendum ſit de illo *Calvini lib. 2 cap. 8. § 12.* ita ſcribentis *Rationem ſecandi vel partiendi primam tabulam in tria, ſecundam in ſeptem præcepta, nonum & decimum de concupiſcentia INEPTE in duo diſcerpere.* 164. Cæ-

CLXIV. Cæterùm; audiamus reliquorum etiam rationes, quas pro suis quique distributionibus proferunt & magnifaciunt. Qui ergo *primum* de non habendis diis alienis, *secundum* de simulachris, *tertium* de non assumendo nomine Dei in vanum, *quartum* de Sabbatho, *nonum* de non dicendo falso testimonio, *decimum* de non concupiscenda domo, uxore, servo, agro & omnibus reliquis, constituunt, ii assertionum suarum has citant rationes, & ut putant invictas.

Rationes illorum, qui præceptum peculiare urgent hoc, de non faciendis sculptilibus.

CLXV. 1. *Quia* nimirum (inquiunt) *omissio interdicti de non faciendis sculptilibus insignis mutilationis tabularum divinarum arguit, & inde omnis idololatria pontificiorum & sanctorum invocatio exortum accepit*, quam Dominus infernalibus flammis vindicandam in verbo suo minatus est: *Jerem. 17, 5. Maledictus qui carnem ponit brachium suum.*

CLXVI. Rectè: maledictus etiam esto, qui tabulas Decalogi divini mutilationis alicujus impietate violare ausit. Sed vide ceu hæc sit mutilatio, ubi Lutherus ipse expressè in multis locis monet *conjungenda* esse verba de non faciendis sculptilibus cum verbis de non habendis Diis alienis, & conjungit ipse utraq; in locis allegatis *thesi 73. & seq.* idq;

Responsio.

ideò, quia posteriora sunt declaratio priorum nō quod duo distincta sint præcepta.

CLXVII. Ac quia in medio Papatu fuerunt, qui itidem verba de non faciendis sculptilibus inter verba Decalogi expresserunt; ut patet ex testimoniis productis *thesi 22.* quomodo hinc invocatio sanctorum exoriri potuit?

CLXIIX. Non omisit, non ejecit ex Decalogo illa verba D. Lutherus, sed ab aliis patribus contractam hanc epitomen verborum Decalogi ipse quoque in suum Catechismum transtulit.

Alia object.

CLXIX. II. Deinde *duplicem constituunt idololatriam* & verba de non habendis Diis alienis ad internam idololatriā, sed ista de non faciendis sculptilibus ad externā idololatriam accommodant, adeoq; utriusq; causa duo illa distincta præcepta à Deo promulganda fuisse concludunt.

CLXX. III. Addunt, *quòd Exod. 20, 3.4. Deut. 5,7,8. hæ præceptiones peculiaribus exhibeantur versiculis*, de non habendis Diis alienis, & de non faciendis sculptilibus, cùm vice versâ duo postrema, de non concupiscendâ domo, de non concupiscendis reliquis, uni versui includantur, *Exod. 20,17. Deut. 5,21.* unde etiam *Rom. 7,7. & 13,9.* una sententia, *non concupisces*, comprehendantur

tur & ab explicatoribus nostris Catechetis itidē pro concionibus conjungantur.

CLXXI. IV. Imò, quod plus est, ajunt, ut omninò & satis constaret, unum præceptum de non concupiscentia promulgatum fuisse, iccircò *Deut. 5, 21. concupiscentia domus, concupiscentiæ uxoris postponitur; cùm aliter factum esset Exod. 20, 17.*

CLXXII. V. Citant quoq; Hebræos, & alios antiquos atq; probatos autores, quos habeant ὁμοψήφους.

CLXXIII. Sed quæso, ubi & quando poterit externa ulla idololatria sine interna esse, cùm inprimis, & principaliter mens ferviat idolis, Etsi mens ab idololatriâ recedit, quid amplius de studio idolatriæ quæso remanere poterit? *Resp. ad 2.*

CLXXIV. Hoc clarius apparebit, si penitissimo judicio expendatur facilis, concinna & nativa in primo præcepto secundum distributionem Decalogi in nostris Ecclesiis receptam tum præceptio tum prohibitio.

CLXXV. *Præceptio* genuina non potest esse alia quam hæc: ME SOLUM: qui solus mirabili modo inde ab initio adfui, & locutus sum cum Patribus vestris, inprimis cum Abraham, cui hanc *Præceptio primi præcepti.*

terram promisi qui solus Vos cum portentis & signis eripui ex Ægypto, & introduco in terram promissam. ME igitur, inquam, SOLUM, ex his patefactionibus & miraculis invisibilem, omnipotentemq; DEUM, veracem, semperq; viventem agnoscetis, veraq; spe, fiduciâ ac timore verebimini.

Prohibitio præcepti.

CLXXV. *Prohibitio* ex toto contextu Exodi & Deuter. hæc & non alia est, *Idola* verò aurea & massas argenteas, & quascunq; vidistis in Ægypto, aut visuri estis in terris Canaan, & aliis quarumcunque rerum in cœlo terraque imagines, quascunque etiam vos, vel alii facere ex materiâ, aut alias fingere poteritis, quicunque etiam ex istis locuti sunt, vel loquentur deinceps, quia neminem juvare hucusq; potuerunt, nec juvare se, & alios deinceps unquam poterunt, verè & solidè liberrimeq;, tu ad imitationem Ethnicorum in hunc usum tibi non facias, ab aliis facta, tibi commendata, vel quocunque pacto in mente concepta, nequaquam DEOS esse credas, nec ut DEOS honores.

CLXXVI. Sicq; præceptionem & prohibitionem primi præcepti aliam nullam

lam producere poterit, quicunq; ex adversariis, sicut omninò nemo poterit, omninò pro uno præcepto computandum est omne id, quod solum verum DEUM monstrat, eum qui ex Ægypto eduxit, & ad similitudinem Ethnicorum faciendа & honoranda Idola prohibet; unde etiam prorsus evanescit discrimen inter internam & externam idololatriam.

CLXXVII. In singulis autem præceptis præceptionem & prohibitionem gnaviter spectandam esse, Deus ipse tam in Exodo, quàm in Deuteronomio in edicto præcepti de Sabbatho nobis viam monstravit, cùm inquit; *Sanctifica Sabathum* vel die Sabathi tantùm illa exerce cum tuis, quibus sanctior erga Deum fias, & postea, die Sabathi nihil agas, unde sanctificatio Sabathi in te impediatur. *In singulis præceptis præceptio & prohibitio est spectanda.*

CLXXIIX. Præterea longè fortius est argumentum, quod nostra distinctio in Hebraicis Bibliis per ס confirmatur, quàm quòd ipsi ad versiculorum distinctionem confugiunt. Notum enim est pueris, ex versiculis nullas, nullas ejusmodi discriminationes ἀκριβεῖς desumi posse. *Respon. ad 3.*

CLXXIX. Cur præcedat in Exodo

lex de non concupiscendâ domo, sed in Deuteronomio lex de concupiscendâ uxore scrupulosè non inquiremus.

CLXXX. Quod in Deuteronomio lex de non concupiscendâ uxore habeat notam & distinctionem peculiarem, reliqua omnia etiam peculiarem, inde multi concupiscentiam uxoris præposuêre & pro nono accepere.

CLXXXI. *Augustinus quæstione 71. super Exod.* Discreviſſe videtur concupiscentiam uxoris alienæ à concupiscentia cujuslibet rei alienæ quando utrumq; sic cœpit, *non concupiſces uxorem proximi tui, & non concupiſces domum proximi tui*, & hinc cœpit cætera adjungere: Non autem cùm dixisset, *non concupiſces uxorem proximi tui*, huic contexuit alia dicens, *neque domum ejus, neque agrum ejus, neque ſervum ejus & cætera*: sed omninò apparent hæc esse conjuncta, quæ in uno præcepto videntur contineri, & discreta ab illo, ubi uxor nominata est. Hæc ibi. Sed de hacre supra prolixius est actum.

CLXXXII. Hæc, & alia absq; dubio cum perpendit *Calvinus*, tandem vel invitus ita scripsit *lib. 2. inſtit. c. 8. ſect. 12. Nè in diviſionem præceptorum noſcendam malè ſtudium*

dium intenditur modo ejus generis rem esse memineris, in qua liberum cuiq; judicium esse debeat, ob quam non sit contentiose cum dissentiente pugnandum. Hæc ille.

Respon. ad 5.

CLXXXIII. Auctoritatem Doctorum præstantissimorum nostra quoq; recensere potest, & ex istis elucet, nunquam in N.T. ubiq; locorum unam solummodò Decalogi divisionem obtinuisse.

CLXXXIV. Porrò, ut de *reliquis divisionibus* pauciſſima annectamus, qui *primum* faciunt illud: EGO *sum Dominus Deus*, Secundum *non habebis Deos alienos. Non facies tibi sculptile*, tertium *Non assumes*, ut faciunt multi Hebræi, de quibus suprà ex Lyrâ retulimus, isti hoc prætendunt, non tantùm præcipiendum affirmatè fuisse verum cultum, sed etiam negatè alios falsos cultus falsorum numinum fuisse prohibendos.

Ratio illorum, qui primum præceptum faciunt illud, *Ego sum Dominus.*

CLXXXV. Roborare nituntur hanc σφάλμα suam *auctoritate Scripturæ*, quæ testatur alicubi, multos quidem Judæos credidisse in verum Deum, qui interim nihilominus reginæ cœli, tanquam falsis numinibus, sacrificaverint.

CLXXXVI. Sic enim *Jer. 7, 18.* Judæi, verum quidem Deum recognoscentes, tamen sunt filii, qui colligunt ligna &

patres succendunt ignem, mulieres verò subigunt pastam, ut faciant placentas reginæ cœli, & libent libamina.

CLXXXVII. Sic *Jerem. 44, 18, 19,* exclamant, *ex tempore, quo cessavimus suffire reginæ cœli & libare ei libamina, caruimus omnibus, gladioq; & fame consumpti sumus. Quum verò nos suffimus reginæ cœli & libamus ei libamina, numquid sine viris nostris fecimus ei placentas, ad exhilarandam eam, & libandum ei libamina?*

Respons. CLXXXIIX. Verum isti non perpendunt, quod datâ *præceptione* statim detur inde exstruenda *prohibitio* & vice versâ. Cùm igitur prohibitio sit, alios Deos sculptiles non habendos, præceptio clara exurgit illa: solum verum Deum educentem ex Ægypto esse colendum.

Ratio illorũ qui omittunt præceptum de Sabbatho eum Resp. CLXXXIX. Qui præceptum *de Sabbatho* omittunt, illi hoc spectarunt, quòd Sabbathum tanquam ceremoniam abrogarunt Apostoli, & cum die Dominicâ commutarunt, sed non attenderunt, illud ita abrogatum esse, quatenus ceremoniale, non quatenus morale est.

CXC. Ideo *auctor homilia 49. in 24. Matthæi in opere imperfecto* quartum præceptum ita recitat: *Colere Sabbathũ spirituale.*

CXCI. Ex his responsionibus ad ob-

jectiones auctorum diversissimorum datis plusquam facilimum erit *diluere reliqua*, quæ à quibuscunq; aliis adversus nostrarum Ecclesiarum Decalogi distributionem excogitari possunt.

CXCII. Inprimis verò quilibet non contradicendi studio totus exardescens suis ipse digitis computare poterit. I. Lutherum & nos Lutheranos à Calvinianis nullo titulo alicujus juris, sed potius summa cum injuriâ criminis falsi & mutilatarum tabularum fœderis divini accusari, cùm in explicatione primi præcepti partem de idolis expressè explicanda mẽte primi præcepti adjiciendam esse Ecclesiæ nostræ clamitent.

Calviniani summâ injuriâ afficiunt Lutheranas nostras Ecclesias.

CXCIII. (2) Calvinianos etiam contra ἀβλεσίαν ipsius Calvini turbas tamen dare sine fine, sine omni data causâ, de capite ipsis per se à nobis libero relicto & ita controverso, ubi rationes pro Lutheranis apud rectè judicantes ponderis futuræ sunt grandioris, quàm reliquorum.

Calviniani pessimè urgent distributionem per se imperfectam.

CXIV. (3) Usitatam nostrarum Ecclesiarum divisionem nullo modo esse aliquid reliquum ex fecibus Papisticis, & necessariò eliminandum ex Ecclesia.

Distributio Decalogi in Ecclesiis Lutheranis non est Papistica.

CXCV. Sufficere certè ipsis debu-

isset, quod anno 1588. *Johannes Pappus* in Christianâ & necessariâ admonitione de Bipontina Catechismi explicatione ita scripsit: *nos fatemur, non tanti esse divisionem præceptorum Decalogi habendam, & judicamus quod sine conscientiarum vulnere hæc vel altera usurpari posset, si modò ipsa præcepta rectè intelligantur & declarentur. Quod verò volunt, necessarium esse secundum hanc vel illam præceptorum declarationem præcepta pronunciare, id dicimus falsum esse & pugnare cum libertate Christianâ.* Hæc iste.

CXCVI. Et mox ibidem: *si non ex coacta necessitate, sed ex vi libertatis Christianæ peteretur usus distributionis istius, non in contemptum reliquarum reformatarum Ecclesiarum, quæ alteram distributionem retinent, quasi Papisticorum errorū & abusuum reæ essent facules nos præbere vellemus, sicut nostra Argentoratensis Ecclesia in hunc usq; diem propter eandē distributionē à nemine fuit oppugnata.* Hæc ille ibidē.

TERTIA pars examinis de ordine præceptorum Decalogi.

CXCVII. De *ordine decem aphorismorum* Decalogi nihil amplius restat adjiciendum præter illud, quod thesi *179. & seqq.* de postremis duobus præceptis jammodò positum conspicitur.

VOTUM.

CXCIIX. Deum æternum omnipotentem, & benignissimum per Dominum nostrum

noſtrum Jeſum Chriſtum ſupplicibus rogamus ſuſpiriis, ut Spiritu ſapientiæ cœleſtis, pacisq; Eccleſiam ſuam beare dignetur, pertinaciæq; non neceſſaria cum execrationis denunciatione urgentium limites figat, omnesq; ad vitam juxta præceptorum iſtorum aphoriſmos potius ſanctè peragendam exuſcitet.

DISPUTATIO VI.

DE HÆRETICIS ET QUOMODO SINT COERCENDI.

Præſide FRIDERICO BALDUINO D. *Reſpondit* M. NICOLAUS ALBANUS RUDOLPHO-*Politanus.*

29. Jan. 1608.

I.

PRoprium Antichriſti munus eſt, non tantum veneno doctrinæ animas hominum occidere, verùm etiam contradicentes ſibi tanquam hæreticos diffamare, & ad rogum atq; triremes condemnare: imitatur enim opera patris ſui, quem ſpiri-

spiritum mendacii & homicidii appellavit Christus Salvator noster, Joh. 8, 44.

II. Hinc Sulpitius Severus historiæ sacræ conditor, aperte scribit, Antichristi hanc futuram notam, persecutiones exercere. Nam lib. 2. historiæ sacræ ominatur persecutionem Ecclesiæ nullam fore, nisi eam, quam sub fine seculi Antichristus exercebit.

III. De Antichristi persona, moribus, doctrina, potestate, regno, quid sentiant Papicolæ, hoc est, isti homines, qui ubera Antichristi sugunt, & ut dilectissimi filii in sinu ejus foventur, alibi vidimus: nunc operæ pretium nos facturos judicamus, si in illud Antichristi jus, quod habere sibi videtur in eos, quos odioso hæreticorum titulo persequitur, ex scriptura nonnihil inquiramus.

IV. Ita verò comparata est hæc controversia, ut non tantùm quæstio sit de iis, quos Romana Synagoga proclamavit hæreticos, quorum potissima pars ut genuini Christi Apostolorumque discipuli non tantùm malè audirè, sed & mala pati propter Christum, didicerunt: Sed de omnibus omninò, qui non ex Cardinalitii Senatus consulto, nec ex Romanæ plebiscri-

bisscito, sed ex verbi divinitus patefacti decreto hæretici fuêre æstimati.

V. De his igitur quæritur: Utrum, quatenus sunt hæretici, à Magistratu ultimo, eoq; capitali supplicio, afficiendi sint? in qua quidem quæstione, ut in plerisque aliis, Pontificiis adfirmativam τὴν ἀμφοῖν amplectentibus stilo & pilo suam addicunt operam Sacramentarii, qui non modo scriptis, sed ipso facto suum cum Romana cohorte hac in parte consensum jampridem comprobarunt.

VI. Extant enim in publico Calvini, Bullingeri, Bezæ & aliorum hujus farinæ scripta, quibus hæreticorum cædem non modò approbant, sed & Magistratui suadent: nota etiam sunt supplicia de Pontificiis in Gallia & Flandria sumta, ita ut ferè dubitem an non nimis verè scripserit Bellarminus lib. 3. de Roman. Pontif. capit. 7. inquisitionem hæreticorum Papisticam apud Calvinianos non persecutionem, sed bellum civile potius appellari posse; siquidem juxta Augustini doctrinam epist. 80. ad Hesych: in persecutione Antichristi solis Ecclesiæ filiis futura sit tribulatio, non autem eorum persecutoribus.

7. Non

VII. Non igitur cum Antichristi solùm satellitibus nobis de hac quæstione controversia est: sed & cum aliis quibusdam, qui aliàs in acie contra Antichristum primi esse volunt; contra quos ancipiti verbi divini gladio pugnare maximoperè prodest, partim ad Ecclesiæ Christi dignitatem, partim etiam ad veram Magistratus Christiani autoritatem adserendam.

VIII. Ut autem ordine progrediamur, hæc tria distinctis capitibus pertractabimus; 1. qui sint illi hæretici, de quibus nobis sermo est. 2. Utrum à Magistratu sint puniendi. 3. & denique de modo, quomodo coherceri queant, pauca subjiciemus: ita enim fore speramus, ut neq; innocentes gravare, neq; hæreticis patrocinari, neq; etiam Magistratus autoritatem imminuere videamur.

Caput I.

Quid sint Hæretici?

IX. Primam quæstionem quod attinet, rectè omninò sensit D. Augustinus in epist. ad Quodvultdeum tom. 6. fol. 6. difficile esse definire, quid sit hæreticus: quantò verò difficilius hoc est, eò magis teme-

temerarii sunt Romanenses alastores, qui audito saltem nomine hæretici, sub isto prætextu quemlibet ad flammas & tormenta rapiunt.

X. Sunt, qui nimis generaliter hæreticum eum esse dicunt, qui ritè admonitus non obtemperat: atq; his hæretici iidem sunt cum pertinacibus: sed rectè objicitur ita sentientibus, hac ratione regiones atq; civitates integras, imò singulas familias hæreticorum plenas esse; ubiq; enim reperiuntur, qui non obtemperant: inobedientia igitur non facit hæreticum.

XI. Sunt, qui pertinaces in moribus, ut avaros, scurras, ebriosos, luxuriosos etiam inter hæreticos, per magnam ἀκυρολογίαν vocabuli, referunt: pertinaces autem in doctrina rebusq; spiritualibus propriè hæreticos appellant. Verùm nulla in moribus est hæresis, licet in hæresi plerumq; concurrant vitia morum, ut ambitio, ira, invidia, &c. ideò delinquentes in moribus *facinorosi* nominantur, non *hæretici*, neq; propriè, neq; impropriè.

XII. Vulgò in Papatu pro hæreticis habentur, & ut hæretici ad rogũ abripiuntur, quotquot Ecclesiasticæ constitutioni à Papa sine verbo introductę, obtemperare detre-

detrectant, ut qui vescuntur carnibus die prohibito, qui Missam audire nolunt, qui S. Biblia legunt sermone præsertim vernaculo, cum rasi & uncti non sint, cujuscunq; aliàs sint conditionis homines, docti vel indocti, firmi vel infirmi. Sed violatio constitutionis humanæ, quæ non est contra Dei verbum, inobedientem quidem facere potest, non autem hæreticum; quod si constitutio Verbo quoque est contraria, ne inobedientem quidem: Oportet enim Deo plus obedire, quam hominibus, Act. 5, 29.

XIII. Sunt etiam, qui quoscunque religionis Christianæ adversarios hæreticos appellant, sive sint extra Ecclesiam, sive in ea. Sed hæreticus dici non potest, qui extra Ecclesiam vivit, quales sunt hodierni Judæi & Turcæ, & omnes, qui Christi nomen non agnoscunt: hi enim infideles potiùs dicendi sunt, quàm hæretici: quemadmodum Augustinus eos, qui Christianæ fidei contradicunt, in duas classes distinguit: *aut enim omnino* (inquit) *à Christi nomine alieni sunt aut hæretici, in Enchirid. ad Laur. cap. 4.* alienos illos alibi paganos vocat, qui sunt extranei & foris à nobis; alii non, ut hæretici, lib. 1. contra Cresco. cap.

cap. 10. & 11. planè ut Apostolus Paulus distinguit inter eos, qui foris sunt, & cives Ecclesiæ, 1. Cor. 5, 12.

XIV. Itaq; hæretici in Ecclesia visibili reperiuntur, quia per initiationis sacramentum in eam recepti, quemadmodum in Ecclesia Corinthiorum erant, qui resurrectionem mortuorum in dubium vocabant, & circa negotium Sacros. cœnæ abusus quosdam invehebant: unde & Apostolus ad Corinthios scripsit, quod inter ipsos hæreses esse oporteat, nimirum propter Satanæ malitiam, & hominum lasciviam 1. Cor. 11, 19. Et de Antichristo homine omnium hæreticismo scriptum est, quod sessurus sit in templo Dei, id est, in Ecclesia. 2. Thessal. 2, 4. Et ad Ephesios dicit Apostolus Act. 20. 13. Ex vobis ipsis surgent viri loquentes perversa: ut nihil dicam, quod Deus passim populum Hebræorum, quantumvis impium & idololatricum nihilominus appellat suum populum. Esa. 1. 3. Jerem. 2, 11.

XV. Quod etsi communiter negant & magnis viribus oppugnant Pontificii, est tamen inter illos non contemnendæ notæ scriptor Alphonsus de Castro, qui lubens in hanc nostram descendit sen-

tentiam, imò plus quam par erat, concedit his verbis libro 2. de justa hæret. punitione, cap. 24. *Ego quidem fateor, & meo quidem judicio negari non potest, hæreticum esse partem Ecclesiæ, & membrum illius, & non esse omninò ab illa separatum: quia etsi fidem non habeat; habet tamen characterem baptismalem, quo durante, semper erit membrum Ecclesiæ.*

XVI. Plus, inquam, quàm par est, concedit: hæreticos enim non tantum partem, sed & membra Ecclesiæ esse scribit. De parte enim concesserim, de membris non item: Sunt enim hæretici membra Satanæ: Sicut orthodoxi sunt interdum partes Ecclesiæ falsæ, in qua vivunt, non autem membra: Sunt enim membra Christi. Sufficit tamen ipsum negare non posse, hæreticum in Ecclesia esse.

XVII. Hæretici igitur sunt, qui errant circa fidem Christianam in Ecclesia; non autem omnes errantes sunt hæretici: error enim latius patet, quàm hæresis. Vel ut Augustinus loquitur præfat. libri de hæres. *non omnis error hæresis est, quamvis omnis hæresis, quæ in vitio ponitur, nisi errore aliquo hæresis esse non posit.*

XIIX. Reperiuntur enim inter Ecclesiæ doctores, qui in interpretandis scripturis

pturis à vero sensu aberrant, quos inter hæreticos referre non possumus: quia donum prophetiæ non datum est omnibus; Sed divisiones donorum sunt, idem autem spiritus: alii datur prophetia: alii Spirituum discretio, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum 1. Cor. 12, 10. ideo spiritus Prophetarum prophetis subjecti esse jubentur, 1. Cor. 14, 32.

XIX. Sunt alii, qui ex simplicitate errant ab aliis decepti, vel in errore nati; sine ulla malitiâ aut blasphemiâ, quiq; adhuc audiunt meliora docentes, neq; errorem suum propagare audent: hi non hæretici, sed seducti aut credentes hæreticis appellari possunt, quod discrimen à nostris olim eductus hæreticæ pravitatis inquisitores nunc nuper docuit novitius aulæ Romanæ adulator & Ecclesiæ malignatiũ hyperaspistes in suo hypobolimæo.

XX. Hos Augustinus à crimine hæreseos absolvit epist. 162. his verbis: *qui sententiam suam, quamvis falsam atq; perversam, nulla pertinaci animositate defendunt, præsertim quam non audaciâ præsumtionis suæ pepererunt, sed à seductis atq; in errorem lapsis parentibus acceperunt, quærunt autem cauta solicitudine veritatem, corrigi parati, cum invenerint, nequaquam sunt inter hæreticos deputandi.*

XXI. Sunt præterea, qui errore suo non impingunt in fundamentum articulorum fidei, sed fundamento (quod est Christus cum omni suo merito) illibato retento, superædificant fœnum & stipulam, quorum opera fidemq; tandem ignis tentationum probat, ut Paulus 1. Corin. 3. loquitur, qualis erat error Apostolorum de regno Christi in hoc mundo: error Cypriani de rebaptisandis iis, qui baptisati erant ab hæreticis: hos verò in catalogum hæreticorum referre religio est; hæretici enim aliud fundamentum extra Christum quærunt: hi verò fundamento vero opinionum suarum stipulas superimponunt; Idcirco D. Augustinus de seipso dicit: *Errare possum, hæreticus non ero*, de quibus plura vide apud Lutherum nostrum libro de conciliis, Tom. 7. Jenens. German. fol. 232. b.

XXII. Sunt denique, qui scandala turbasq; excitant in Ecclesia, qui tamen in fide non errant, quales erant olim in Corinthiaca Ecclesia, quorum aliqui Cephæ, aliqui Apollo, aliqui Pauli autoritatem jactabant: hi etiam non dicendi sunt hæretici, sed schismatici, quanquam schisma, si invaluerit, in hæresin degenera-

nerare possit. Unde Augustinus hæresin inveteratum schisma nominat, lib. 2. contra Crescon. Grammat. cap. 7.

XXIII. Alias oportet discrimen relinqui inter hæreticum & schismaticum, quod eleganter indicavit Augustinus lib. de fide & symbolo cap. 10. *Hæretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant, schismatici autem discissionibus iniquis à fraternâ caritate dissiliunt, quamvis ea credant, quæ credimus.*

XXIV. Cùm ergò constet, quis pro hæretico habendus non sit: jam inquirendum restat, quid sit hæreticus, ubi fundamenti loco sciendum est, nos hæresin quærere non in solâ voluntate; aliàs crimen hoc tam atrox scelus potius esset, quàm hæresis: sed in intellectu & voluntate hominis: nam error in hæresi ad intellectum, pertinacia ad voluntatem pertinet: non in rebus humanis, sed divinis; aliàs Ethnicis etiam commune esset extra Ecclesiam: hæreticum autem in Ecclesia reperiri diximus: non in occulto, sed aperto; aliàs fieret hypocrisis: non deniq; in infirmitate, sed pertinaciâ; aliàs sanctis etiam impingeretur hæreseos nota, quia absq; infirmitate non sunt, Proverb. 24. Psal. 32. Jac. 3. Sed hæresin dicimus esse

sententiam humano sensu electam, scripturæ sacræ contrariam, fundamentum fidei convellentem, palàm in Ecclesiâ edoctam, & pertinaciter defensam.

XXV. Hæreticum autem definimus, quod sit persona, intra gremium Ecclesiæ, quæ articulum aliquem in fundamento fidei pertinaciter impugnat, dissensiones ac offendicula in Ecclesia parit, & in opinione sua, quantumvis sæpius monita, nihilominus contumaciter & malitiosè perseverat.

XXVI. Hinc quinq; oriuntur hæretici προσκείμενα. 1. ut error hæretici sit de causâ religionis. 2. ut error directè in ipsâ fidei substantiam seu fundamentum impingat, sive noviter introductus sive ab alio edoctus sit. 3. ut sit error malitiosus. 4. ut Ecclesiæ unitatem periculoso scandalo scindat. 5. ut aliquoties reprehensus hæreticus nihilominus errorem obstinatè & pertinaciter defendere pergat.

XXVII. Primum requisitum ab hæresos crimine absolvit delinquentes in moribus, qui quidem mortaliter peccant, excutientes fidem & Spiritum sanctum, nondum autem sunt hæretici, quia contra fidei doctrinam nihil moliuntur: hæreti-

reticos autem describit Apostolus, quod contra doctrinam dissensiones & offendicula faciant. Rom. 16,17. & quod à veritate aberrent, 2. Tim. 2, 18.

XXIIX. Secundum requisitum absolvit eos, qui in unitate fidei persistentes in circumstantiis quibusdam fidei suis opinionibus privatim indulgent, & à veritate aberrant, quales erant Apostoli ante resurrectionem Christi, quos in multis errasse nemo inficias iverit, hæreticos fuisse nemo dixerit.

XXIX. Tertium liberat à suspicione hæreseos infirmos, qui ab aliis seducti falsam doctrinam putant esse veram, quam etiam pro virili defendunt, magno quidē zelo, interdum etiam ad mortem usq; sed ζήλω prorsus ἀζήλῳ, quiq; non est κατ' ἐπίγνωσιν, sed ex vana persuasione ortus, ac proinde diligenti informatione emendari potest, quam si non admittunt, paulatim in hæreticos degenerant: hæretici autem malitiosè peccant; vel quia errorem fateri turpe putant, vel quia autoritatem & alia commoda perdere molestum est.

XXX. Quartum ex societate hæreticorum excludit eos, qui privatas de fide habent opiniones, quibus ipsi quidem,

privato cum periculo indulgent, publicè tamen scandalum nemini præbent, quo referre potes Gamalielem illum Act. 5. & multos hodie politicos. Tales periculosè errare certum est, hæresin autem facere, nemo sanus adfirmaverit: de hæreticis enim scriptum est, quod seducant ipsi alios, 2. Tim. 3, 13. quod inducant sectas exitiales 2. Pet. 2, 1. quod non tantum ipsi a veritate excidant, sed & aliorum fidem subvertant 2. Tim. 2, 18.

XXXI. Quintum deniq; separat ab hæreticorum consortio eos, qui quidem ad tempus pravis opinionibus imbuti sunt, sed tandem Deo dant gloriam, & moniti claritate lucis cœlestis omnes errorum tenebras dispellunt, hæresi valedicunt, & ad gremium veræ Ecclesiæ redeunt: tales enim D. Augustinus non tam *hæreticos*, quàm *errantes* nominare voluit, lib. 3. de baptis. c. 19. cum vera enim hæresi pertinacia semper conjuncta est.

XXXII. Ex his omnibus patescit, 1. non unum vel alterum duntaxat προηγούμενον, sed omnia junctim sumta verum constituere Hæreticum. 2. Cum de perseverantia in errore loquimur, propriè sermonem esse de hæresiarchis seu pravarum secta-

sectarum autoribus, ex quibus ullum in viam revocatum esse vix doceri potest; licet discipuli, ab ipsis seducti interdum, Deo largiente virtutem, conversi fuerint.

XXXIII. Sunt autem hæretici, prout jam descripti sunt, in duplici differentia. Quidam enim opinionem contra Dei verbum vel à se excogitatam, vel ab aliis haustam, quacunq; de caussa docent, vel honore & ambitione ducti, vel inveterata errandi consuetudine moti: attamen vel tandem sæpius moniti & meliora edocti, errorem, in quo etiam diu perstiterunt, deponunt.

XXXIV. Alii pertinaciter in errore persistunt, licet convicti sint, & errorem scripturæ contrarium esse audiant & intelligant; ipsi tamen neminem audiunt, quam seipsos, factiones in Ecclesia vel ipsi movent, vel motas ab aliis fovent: de quibus Apostolus Paulus scribit, quod sint proprio suo judicio condemnati Tit. 3. quod habeant cauteriatam conscientiam 1. Tim. 4, 2. quodq; repulsa conscientia naufragium faciant, 1. Tim. 1, 19.

XXXV. Illos in priore classe definit Augustinus libr. de util. credendi cap. 1. quod sint, *qui alicujus temporalis commodi &*

maximè gloriæ & principatus sui gratia falsas ac novas gignunt opiniones vel sequuntur. Hos ita describit lib. 18. de civ. Dei cap. 51. *Qui in Ecclesia Christi morbidum aliquid pravumq; sapiunt, si correpti ut sanum rectumq; sapiant, resistunt contumaciter suaq; pestifera & mortifera dogmata emendare nolunt, sed defensare pergunt, hæretici sunt, & foràs exeuntes habeantur in exercentibus inimicis.*

Minus Celsus de har. non interfect. 1. p. 9. & 12.

XXXVI. Contra hanc sententiam de hæreticis malitiosè, nonnullis etiam contra conscientiam in hæresi perseverantibus, objiciunt aliqui: omnem hæreticum duntaxat ex persuasione aliqua errare, quia nimirum rectè sese opinari firmiter credit; & quia mentis oculis captus falsoq; judicio imbutus, Ecclesiam, cui contradicit, non Dei Ecclesiam, sed Satanæ synagogam esse opinatur.

XXXVII. Primum enim dicunt, quod si quis hæreticorum contra veritatem à se cognitam peccaret, crimen illud non propriè hæresin, sed peccatum in Spiritum sanctum appellandum esse, ut ex locis Hebr. 6, 4. & 10, 26. constat: ac proinde talem hominem non habere locum pœnitentiæ, neq; pro ipso amplius orandum esse, Johanne teste 1. Joh. 5, 16. pro hæretico au-

co autem non tantum orare jubet Apostolus, sed & amanter vult ipsum instrui, & patienter ferri, si forte Deus det ei pœnitentiam, ut è diaboli laqueis evadat, à quo captivus tenebatur, 2. Tim. 2, 26.

XXXIIX. 2. Illud Apostoli, αὐτοκατάκριτον esse, ita interpretantur, quod peccando suæ sibi condemnationis autores sint hæretici, utpote qui in recta doctrina sibi deligenda rectè judicasse autument, cum falsam elegerint, proprio judicio decepti in eam damnationem inciderint, quam miseri sibiipsis paraverint imprudentes, in qua etiam persistere velint, ac proinde vitandi tanquam morbi sui, quem non agnoscunt, medicinam omnem respuentes.

XXXIX. 3. Quod si αὐτοκατάκριτον esse idem esset, ac contra conscientiam peccare, ac proinde hujusmodi hominem relinquendum esse; dicunt, Apostolum sibiipsi esse contrarium: qui alibi scribat, hæretico parci debere eumq; luci divinæ gratiæ, si unquam ab ea illustrari queat, commendandum esse.

XL. Hæc Mitiones illi; qui parum abest, quin hæresin in φάντασμα quoddã, aut somnium; hæreticũ autem in spectrũ aut exanime transformẽt. Ad quæ singula

pauca

pauca respondenda sunt: nihil enim sententiæ nostræ officiunt, si accuratè examinentur.

XLI. Ad primum igitur respondeo per concessionem. Duobus enim modis peccatum in Spiritum sanctum committi potest. 1. quando tota Evangelii doctrina abnegatur & impugnatur contra conscientiam, 2. quando pars una vel altera doctrinæ orthodoxæ semel agnitæ oppugnatur & contumelia afficitur à scientibus, quod hodie nonnulli faciunt inter hæreticos inprimis hæresiarchæ. Et hoc ulterius probari potest.

XLII. Nam qui contra conscientiam errores suos pertinaciter defendunt, peccati hujus gravissimi rei peraguntur duobus nominibus. 1. enim dum falsitatem defendunt, veritatem impugnant, & falsitatis notam ei inurunt: quæ contumelia vergit in Spiritum sanctum veritatis autorem. 2. scientes adscribunt Satanæ eam doctrinam, de qua convicti sunt, quod à Dei Spiritu revelata sit: econtra verò falsitatem & errorem, quem norunt à diabolo esse, non dubitant tanquam verum sub Spiritus sancti nomine venditare, contra testimonium proprii sui cordis.

43. Neq;

XLIII. Neq; verò sublevare eos quidquam potest coram Deo, quod aliquas partes religionis puras retinent. Sicut enim qui in unum præceptum decalogi impingit, fit omnium reus: Sic etiam qui errorem convictus retinet, & contra conscientiam ad Spiritum sanctum autorem transfert, doctrinamq; sanam diabolo adscribit, quam novit a Spiritu sancto patefactam: is jam totam doctrinam Christianam sibi inutilem reddidit, præsertim cū aliis in casibus multò levioribus paululū fermenti totam conspersionē fermentet.

XLIV. Etsi etiam nemo potest secreta conscientiæ excutere, & de occultis hæreticorum judicare, num verè convicti sint, & contra proprii cordis testimonium doctrinam falsam defendere pergant, attamen hoc ita se habere, colligere possumus, ex præeunte una vel altera admonitione, quam requirit Apostolus Tit. 3. qua convincantur ita, ut nihil respondere possint, quod vel speciem veritatis habeat, quin ea etiam species & larva dogmatis hæretici detracta sit: quod inprimis in crassioribus nonnullorum hæreticorum erroribus patet ad oculum.

XLV. Accedit in his plerumq; semper indu-

indurationis malum, cujus initia satis luculenta sunt; 1. πώρωσις τῆς καρδίας, quando nullo planè sensu ducuntur comminationum divinarum: 2. ἀπαλγησία, quando nullū amplius dolorē vulneratæ conscientiæ sentiūt. 3 πνεῦμα κατανύξεως quando partim odio exardescunt, erga benè monentes, partim etiā conflictus patiuntur cogitationū mutuò sese accusantiū & defendentiū. 4. Sunt διεφθαρμένοι τὸν νοῦν, ut vocantur, 1. Tim. 6, 5. & 2. Tim 3, 8. h.e. justo Dei judicio omnem judicandi & intelligendi facultatem amiserunt; excæcati prorsus, ut licet millies refutati ad oculū, eandē tamen ἕξιν φυλάττειν, crambemq; sæpius recoctam reponere impudenter pergant: quam ob caussam non immeritò, ut homines à Deo rejecti in reprobumq; sensum traditi cavendi sunt.

2. Tim. 2.

XLVI. Quod autem Apostolus informare jubet & patienter ferre hæreticos, si fortè eis Deus det pœnitentiam, loquitur ibi de ἀντιλεγομένοις, de contradicentibus, qui, nondum perspectâ veritatis luce, mentis suæ opiniones opponunt sanæ doctrinæ, hi erudiendi sunt utiq;, & pro ipsorū conversione orandum: quod si verò satis satisq; manifestata fuerit veritas,

tas, ipsi verò non modò non opponere desinant, sed insuper maledicere incipiant, tunc dicit Apostolus: SCITO hujusmodi subversos esse: nam certissima nota est animi pertinacis, & in reprobū sensū traditi, qui ubi locum obtinuerit, ibi & preces & informatio omnis irrita est, & pœnitentia seria desperata: ideo orandū potius, ut Deus à profanis & absurdis istis hominibus Ecclesiam suam liberet, eodem docente Apostolo 2. Thess. 3, 2.

XLVII. Ad secundum respondeo per inficiationem. Si enim hæreticus proprio judicio deceptus tantùm esset, utiq; non devitandus, sed potius adsumendus esset, tanquam ex imbecillitate errans, & exerrorum labyrintho in viam veritatis reducendus, juxta illud Rom. 14, 1. infirmum in fide adsumite: jam verò παραιτεῖν vitare & rejicere prorsus eum jubet Apostolus tanquam hominem in reprobū sensum traditum, & malitiosè impium, in quo oleum & opera sit peritura. 2. rationem addit, cur sit vitandus & rejiciendus, ὅτι ἐξέστραπται, quia totus eversus recalcitrat & resistit recta docenti, id quod sanè nō infirmi aut depravati judicii, sed hominis refractarii & malitiosi est descriptio.

48. Ad

XLIIX. Ad tertium deniq; respondeo per distinctionem. Sicubi enim Apostolus aliquibus parcendum esse docet, eosq; divinæ gratiæ commendari jubet, non de hæreticis, sed de errantibus loquitur, qui dociles sunt, nec meliora docenti pertinaciter resistunt, quando autem rejiciendos aliquos suadet; de hæreticis recalcitrantibus, & pertinacibus, agit, quemadmodum ex collatione locorum modò laudatorum, 2. Tim. 2, 25. Tit. 3, 10. colligere promtum est.

CAPUT II.

Utrum hæretici à Magistratu politico sint cohercendi?

XLIX. His ita constitutis: progredimur ad secundum propositi nostri caput, ubi quæritur, numquid ejusmodi hæretici pertinaces ac prætracti nomen Dei blasphemantes, ac in Ecclesia factiones molientes, à Magistratu politico cohercendi sint?

L. Ubi sanè non desunt non dicam inter Anabaptistas, qui Magistratus jura prorsus tollunt, sed & inter eos, qui melioris notæ videri volunt Christiani, qui hæreticorum punitionem ad Magistratum pror-

prorsus non pertinere pugnant, Ecclesiam saltem autoritatem in hæreticos animadvertendi à Christo accepisse, contendunt.

LI. Verùm res est expedita, si fundamenti loco ponamus ista quatuor: 1. Magistratem esse Dei vicarium in terris, juxta illud: Ego dixi vos dii estis, Psal. 82, 6. 2. Magistratum esse custodem utriusq; tabulæ. 3. hæreticum movere turbas in Ecclesia. 4. Ecclesiam non habere jurisdictionem in corpora aut fortunas hominum.

LII. Jam verò certum est, Deum esse supremum Ecclesiæ Rectorem, & religionis gubernatorem; ac proinde Magistratui quoque jus aliquod concessisse in causa religionis: unde etiam habet hunc titulũ Magistratus, quod vocatur utriusq; tabulæ custos: officium igitur Magistratus est, non tantùm leges civiles sancire & defendere, sed & curare præcipuè, ut quæ ad cultum Dei pertinent, ex unico ejus verbo sanctè & religiosè non tantum constituantur, sed & custodiantur: hoc est, non tantum providere, ut puritas doctrinæ per sinceros Ecclesiæ doctores propagetur, sed & cavere, ne per pseudoprophetas clàm vel palàm corrumpatur.

LIII. Quo in genere exempli loco-

nobis ob oculos ponitur pius Magistratus in populo Israelitico, eo nomine à Spiritu sancto commendatus: Salomon, quod Abiathari sacerdotium abrogavit 1. Reg. 2,26. Asa, quod edicto publico religionis integritatem renovavit 2. Paral. 15, 13. Josaphat, quod sinceros doctores populo præfecit 2. Paral. 17,9. Ezechias, quod templũ Domini temporibus patris sui Achaz pollutũ, mundavit, 2. Paral. 29,3. Josias deniq;, quod abominationes omnes de universis regionib9 Israel abstulit. 2. Para. 34,33.

LIV. Hos secuti sunt laudatissimi principes inter Christianos: Constantinus Magnus, qui publico edicto hæreticos nominatim Novatianos, Valentinianos; Marcionitas, Paulianos & Cataphryges proscripsit, quemadmodum edictum illud legere licet apud Euſ. l. 3. de vita Const: circa finem: idemq; testatur Soz. l. 2. hist. c. 32. Talis erat Gratianus Imperator, qui Christianos tantummodo oratoria frequentare jubet, exclusis Eunomianis, Photinianis & Manichæis, apud Socrat. l. 5. hist. c. 2. Ita Constantius Aëtium hæreticum; Theodosius Apollinarem & Nestorium in exilium pepulit: Valentinianus etiam & Martianus adversus Manetis & Eutychetis secta-

sectatores sententias tulere satis severas, referente Niceph. l. 8. hist. Eccl. c. 8. & 43. & l. 9. c. 18. Atq; in hæc exempla piorum principum tanquam in speculum intueri decet nostrum Magistratum.

LV. Hanc enim ob causam orare jubemur pro Magistratu, ut placidam ac quietam vitam transigamus non tantum cum honestate, quod est secundæ tabulæ, sed & cum pietate quod ad primam tabulam pertinet: unde & Magistratus gladium gerere dicitur ad ulciscendos eos, qui male agunt, Rom. 13, 4. h. e. qui vel honestatem vel pietatem turbant. 1. Tim. 2, 2.

LVI. Neq; vero hac ratione ulla fit confusio Ecclesiastici & politici muneris: Illud enim doctrinæ explicationem & totam Ecclesiasticam jurisdictionem retinet, quam sibi nequaquam arrogat magistratus: hoc circa externam duntaxat occupatur disciplinam, & puræ religionis custodiam, quam sibi Ecclesiasticus ordo vendicat; ejus enim arma non sunt carnalia 2. Cor. 10.

LVII. Accedunt etiam apud hæreticos vitia morũ contra utramq; tabulã, idololatria, blasphemia, profanatio sabbathi, interdum etiam seditiones, cædes, & alia

quæ sane non nisi autoritate magistratus politici compesci cohercerique possunt, imò ex institutione Dei debent.

LIIX. Non igitur tam procul à se invicem distant Magistratus & Ecclesiæ minister, ut multi putant; sed quemadmodum pontifex definitur, quod ex hominibus adsumatur, ut pro hominibus constituatur in his, quæ sunt ad Deum, ut dona & sacrificia offerat pro peccatis Heb. 5, 1. ita Magistratus etiam assumitur ex hominibus pro hominibus in his quæ sunt ad civile bonum, ut quietam & tranquillam vitam sub eo agamus cum omni pietate & honestate, 1. Tim. 2, 2.

LIX. Hoc est, quemadmodum Ecclesiæ ministri est docere, &, ne lupi irruant in miseras oviculas, providere, quin etiam irruentes pedo verbi divini arcere: ita magistratus est politici, Ecclesiæ ministris ea, qua præditi sunt divinitus, potestate suppetias ferre, pastores gregemq; defendere & in lupos animadvertere: ita utrinq; commonefactioni Salvatoris de cavendis pseudoprophetis, Matth. 7. satis fieri potest: quod, quomodo fieri debeat, nunc in sequentibus exponetur.

CA-

CAPUT III.

Proponens argumenta eorum, qui Magistratui jus in hæreticos derogant.

LX. Atq; hic triplex occurrit sententiarum divortium: quarum duæ sunt extremæ, tertia est intermedia, quam & nos tuebimur, remotis primùm iis, quæ verâ sententiam ex utraq; parte oppugnant.

LXI. Prima classis eorum est, qui Anabaptistico quodã furore planè negant, hæreticum à Magistratu politico puniendũ esse, de quibus jam modò dicere cepimus: jam verò istorum hominum unum vel alterum argumentum unà cum brevi responsione ad singula, proponemus.

LXII. *Primum* igitur ita habet: Spirituale bellum terrestribus armis gerendum non est, quia est bellum Christi: Bellum, quod habetur cum hæreticis, est spirituale. Ergo non est gerendum armis terrestribus, quibꝰ utitur Magistratꝰ politicꝰ.

LXIII. Respondeo ad majorem, distinguendo inter bellum ipsum, & subsequentem executionem, quæ exercetur erga hostem bello devictum. Bellũ cum hæreticis non geritur à Magistratu, sed ab Ec-

clesiæ ministris arma petentibus ex armamentario Spiritus sancti, quod sacrosancta Scriptura suppeditat: quod si hæretici verbo convicti, & ab Ecclesia legitimè damnati fuerint; rectè atq; ordine magistratus facit, quod suum est, cohercendo reum, ne Ecclesiam amplius perturbet. Hæc enim duo officia Ecclesiasticum & politicum distincta quidem sunt, sed non contraria, verum ita comparata, ut alterũ alteri subsidiari ã opem præstare possit.

LXIV. *Secundum argumentum:* Christus & Apostoli sine præsidio magistratus doctrinam suam tueri & hæreticis resistere potuerunt. Ergo hodieq; poterunt ipsorum imitatores.

LXV. Respondeo ad antecedens: 1. est fallacia plurium quæstionum. Hoc enim non in quæstione est, quid Christus potuerit aut possit facere, sed quomodo velit Ecclesiam suam regere, & doctrinam defendere: num solo verbo, aut etiam Magistratus præsidio? ubi sanè distinctione opus est. Nam quod statum Ecclesiæ internum attinet, quoad fidem plantandam in animis hominum & ad evellendas erronearum opinionum radices, sufficit gladius spiritus, qui est Verbum Dei: Sed quo-

quoad externum Ecclesiæ statum, & ad publicam tranquillitatem conservandam, quam turbant hæretici, ibi sanè præsidio Magistratus carere non possumus: eousq; enim ministrorum Ecclesiæ officium se non extendit.

LXVI. Deinde est fallacia consequentis. Multa enim Apostoli potuerunt, quæ nos non possumus: multis etiam caruêre adminiculis, quibus hodiè nostri Ecclesiæ ministri carere non possunt. Docuerunt Evangelium absq; adminiculo artium & linguarum: Nemo autem nisi Anabaptistico furore percitus statueret, artium linguarumq; studia doctori Ecclesiæ negligenda esse. Eadem est imbecillitas prioris comparationis, quam proponit argumentum. Non enim omnia Christi & Apostolorum facta ad imitationē sunt proposita.

LXVII. Accedit denique fallacia causarum: non enim ex lege, sed necessitate Christus & Apostoli sine magistratus præsidio suam tutati sunt doctrinam: nullus enim aderat Magistratus Christianus, cui religio cordi esset: necessitas autem non facit legem.

LXIIX. *Tertium Argumentum*: Occasio tyrannidis omnibus modis est evitanda.

Sed animadversio in hæreticos Magistratui concessa, parit occasionem tyrannidis, siquidem bonus princeps rara avis est, & sub prætextu hæreseos multi boni injuriam pati possunt. Ergo Magistratui animadversio in hæreticos non est concedenda.

LXIX. Respondeo 1. ad majorem, distinguendo inter occasionem datam & acceptam. Occasio tyrannidi danda non est, si quis verò pro levitate ingenii ex re etiam licita occasionem grassandi in innocentes sibi sumat, ejus culpam res per se concessa præstare non potest. 2. in minore est fallacia accidentis. Nam quod Magistratus potestate sua legitima illegitimè utitur, per accidens accedit, alias nullius tyranni potestas esset legitima, cum tamen omnis potestas à Deo sit, Rom. 13. nullum concedendum esset ministerium publicum, quia in eo sæpè reperiuntur hæretici. Summa: Optimæ cujusq; rei semper aliquis abusus fuit: hunc tolle, illam retine, & non peccabis.

LXX. Sufficiant hæc, unde primæ classis absurda opinio innotescat: cui opponimus hanc propositionē, supra rationibus & exemplis confirmatam: *Magistratus po-*

tus politicus jure in hæreticos legitimè convictos animadvertere potest, propter conservandam tranquillitatem publicam.

CAPUT IV.

Proponens argumenta eorum, qui hæreticos dicunt occidendos.

LXXI. Jam verò ex altera parte occurrunt non pauci, qui plus nimio hac in parte tribuunt Magistratui, adeoq; tantum, quantum sibi juris pius & conscientiosus Magistratus in hæreticos non arrogat. Existimant enim hæreticum, qualem supra descripsimus, quatenus talis est, non tantum puniendum, sed & ad modum cæterorum facinorosorum capitali pœna afficiendum esse: cujus opinionis argumenta perstringamus prius, quàm ad sententiæ veræ declarationem descendamus. *Bellar. lib. 3. de Laicis c. 21. Gregor. de Valent. tom. 3. disp. 1. q. 11. quæ est de hæresi pun. 3. Schopp. Apolog. c. 4. & in Scalig. Hypobol. fol. 319. Beza volum. 1. fol. 153. &c.*

LXXII. Primam argumentorum classem depromunt ex veteris Testamenti legibus, quibus idololatris & pseudoprophetis pœnæ loco mors indicitur, ut *Exod. 22, 20. qui immolat diis, occidetur: Deut. 13, 1. si surrexerit in medio tui Propheta & dixerit tibi: eamus & sequamur deos alienos, quos ignoras, & serviemus eis: Propheta ille interficietur. Deut. 17, 12. qui superbierit, nolens obedire sacerdotis*

imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto judicis morietur homo ille, &c.

LXXIII. Respondeo primò; leges has à Deo esse promulgatas, magna cum reverentia agnoscimus. Sed in illis duo attendenda sunt: unum est generale, omnes omnino homines & Rempub. quamcunq; modò juxta præscriptum juris divini conformatam, concernens: alterũ speciale, nõ nisi ad Rempublicã Judæorũ pertinens.

LXXIV. Generale est, resistendum esse iis, imò puniendos esse à Magistratu idololatras, & quicunq; perversa doctrina, pertinaciter seducunt alios, & Remp. Christianam temerè perturbant: hoc enim naturalis postulat æquitas, quæ generale illud, & perpetuum Decalogi præceptum, Non habeas deos alienos coram me, explicat: omnibus insuper gentibus & populis semper in usu fuit, ut doctrinæ alienæ autores, quantum in ipsis esset, fugerent; quin & hoc ipsum generale Christi præceptum Matth. 7. in recessu habet, quo pseudoprophetas cavere jubemur.

LXXV. Speciale est, quod de capitali pœna annectitur. Ita enim Reip. Judaicæ consulere voluit Dominus, ubi seductio popu-

populi à vero Deo aggravabatur triplici circumstantia, personarum, temporis & locorum: quæ omnia hodie locum amplius non habent.

LXXVI. Personarum respectu: quia agunt istæ leges de illo Dei populo, quem potenti manu eduxerat ex Ægypto, & redemerat è domo servorum, quemq; sibi in peculium adsciverat, variisq; beneficiis adstrinxerat, præ cunctis populis. Gravius igitur suppliciũ dictabat, non cuivis pseudoprophetæ, sed surgenti E M E D I O hujus populi Deut. 13, 1. hoc est, qui & ipse sit ex hoc peculio Dei oriundus, quiq; fratres suos ad apostasiam solicitet.

LXXVII. Ratione temporis accrescebat delictum, quia nuper admodum hunc sibi populum in peculium elegerat, sumq; favorem multiplicibus signis & prodigiis satis superq; declaraverat: quorum omnium memoriam tàm citò deponere, grande sanè nefas, & morte piandum divinitus existimabatur.

LXXIIX. Deniq; respectu loci gravior erat illa seductio, quia Chananæa regio, in qua vivebant, erat quasi Dei domicilium, in quod Judæos tanquam hospites intromiserat,

setat, & pro justissima sua voluntate legibus etiam strictioribus sibi devinxerat.

LXXIX. Cujus suæ voluntatis atque dispositionis rationem reddere etsi obstrictus est nemini: non tamen multum aberrabimus, si dixerimus, capitale supplicium Pseudoprophetis sui populi ideo fuisse indictum, ne populo in factiones distracto, dubia redderetur Messiæ præsentia, quē exillo populo, & exilla regione, juxta promissionē Dei, exspectabant.

LXXX. Hæc igitur est illa peculiaris ratio, qua atrocior Judæorum facta est seductio, quæq; leges illas formaliter judiciales facit, quæ illum duntaxat populum obligant, cui sue latæ:

LXXXI. Nos nostramq; Remp. non obstringunt: nobis enim leges judiciales ne quidem latæ sunt, a fatentibus nonnullis ex Adversariis: id autem, quod in eis morale est, & communem judiciorum æquitatem spectat, libenter agnoscimus nos etiam attingere, ita tamen, ut Magistratui pœnam illam (prout in aliorum scelerum pœnis) pro ratione circumstantiarum attemperare liceat: Sufficit hic capitalem pœnam ex hac lege hæreticis nostris dictari non posse.

a Beza Colum. 1. f. 154

82. Sed,

LXXXII. Sed, inquiunt, Nulla idonea ratio adferri potest, cur Dei majestas & Ecclesiæ auctoritas minoris apud nos ponderis esse debeat, quàm olim apud Judæos fuerit: imò verò Christiani, si veram religionem aspernentur, aut minore studio tueantur, quàm olim Judæi, eò minus excusari possunt, quò clarius se Dominus per Filium suum, quàm per Prophetas patefecit: hos ergo principes officium facere putant, qui si non in ipso pœnæ genere, at certè in ipso pœnæ modo constituendo illas Dei leges sibi ad imitandum proponunt. Hæc illi. *Calv. cont. Mich. Serv. et. p. 32. Beza Vol. 1. f. 155.*

LXXXIII. Addunt alii majoris ponderis gratiâ autoritatem Cyprian. qui in l. de exhortat. ad martyrium c. 5. commemoratis illis scripturæ locis, mox subjungit: *Si ante adventum Christi circa Deum colendū, & idola spernenda hæc præcepta servata sunt: quantò magis post adventum Christi sunt servanda, quando ille veniens non verbis tantum nos hortatus sit, sed & factis, &c.* *Gregor. de Valent. l. d.*

LXXXIV. Ad instantiam ipsam respōdeo: esse plus in conclusione, quàm patiantur præmissæ: Summo quidem studio tuenda est religio, malè verò & nimis liberaliter colligitur, eam per necem perpe-

ram

tam docentium defendi posse, aut tuendã esse. Satis eam tuetur pius Magistratus prospiciendo Ecclesiæ de puritate cultus divini, & conservando laudabilem disciplinam, puniendo etiam eos, qui malè docent aut vivunt. Sed pœnæ genus aut modus, in veteri Testamento usitatus, hodiè nequaquam est necessarius, quemadmodum honestas septimi præcepti hodiè sanctè illibateq; custoditur, licet pœna furti neq; quoad genus, neq; quoad modũ cum veteri lege consentiat, olim restitutione quintuplici puniebatur, hodiè nõ itẽ. Utrumq; enim & genus & modus pœnæ, nõ ad legẽ, sed circũstantias legis pertinet.

LXXXV. Cyprianus non tam de pœna idololatrarum, quàm dè contemptu idolorum loquitur; item non tam quomodo fugiendi, quàm quod fugiendi sint idololatræ, monet; id quod locus allegatus clarè docet. Exhortatur enim Christianos in toto illo tractatu, non ut occidant paganos, inter quos versabantur, idololatras, sed ut fugiant, & si res ita ferat, potius se occidi patiantur, martyriumq; subeant: inter alias exhortationis rationes hanc quoq; addit c. 5. quia Deus idololatriæ gravissimè indignatur, ita ut & mortis pœnam olim

olim dixerit idololatris ante Christi adventum. Quod si ergo olim tantopere servarunt ista de fugienda idololatria, præcepta; quanto magis, inquit, post adventum Christi servanda sunt.

LXXXVI. Servantur autem ad exemplum Christi, cum fugiuntur idololatræ & hæretici. Christus enim neq; idololatras, neq; Judæos adversarios suos, interfecit: Sed Calumniis, blasphemiisq; refutatis, per medium ipsorum transiit. Johan. 8. Et hæc est vera Christi hac in parte imitatio: juxta illud Hieronymi: *Qui dicit se credere in Christum, debet ut Christus ambulare. Ipse nō venit, ut verberaret, sed ut verbera exciperet: alapam non dedit, sed accepit: neminem cruci affixit, sed ipse crucifixus fuit, non occidit, sed fuit occisus. Qui occiditur, Christum imitatur, qui verò occidit, Antichristum.*

LXXXVII. Objicit alius quidam locum Zachariæ cap. 13, 2. ubi de Ecclesia novi Testamenti prædicitur: *Erit in die illa, dicit Dominus exercituum; disperdam nomina idolorū de terra, & non memorabuntur ultrà: & Pseudoprophetas & spiritū immundū auferam de terra: & erit cum prophetaverit quispiam ultrà, dicent ei, pater ejus & mater ejus, qui genuerunt eum, non vives: quia mendaciū locutus es in nomine Dei: & configēt eū pater ejꝰ & mater ejꝰ. &c.* *Sciop. Apol. cap. 4. n. 10.*

Ergo

Ergo, inquit, etiam jam sub novo Testamento auferendi & configendi erunt Pseudoprophetæ.

LXXXIIX. Sed ἀγνοίᾳ ἐλέγχου laborat hæc instantia: auferri enim possunt Pseudoprophetæ vel idololatræ de terra, licet non igni aut ferro perimantur: quod si urgeat adversarius vocem configendi, sciat morem hunc Prophetis esse familiarem, ut res novi Testamenti phrasibus suo populo usitatis exprimant, quod exemplis aliis ostendi potest, ex Joele 2, 29. Zach. 6, 13: 14, 16. &c. Nam quod configere non sit idem, quod gladio transfodere, vel inde constat, quod hoc mortis genus non conveniret cum supplicio Pseudoprophetis in lege dicto, ubi non configi, sed lapidari jubentur, Deut. 13.

LXXXIX. Configere igitur Pseudoprophetas Zachariæ idem est, ac idola & Pseudoprophetas cavere, gladio spiritus jugulare, post admonitionem unam vel alteram devitare, & quæ sunt aliæ hujusmodi loquendi formulæ, quibus falsorum doctorum coërcio in scriptura Novi Testamenti exprimitur.

XC. Ut autem ad dicta illa Veteris Testamenti superius allegata seorsim respon-

respondeamus: loquitur Dominus in Exodo cap 22. de idololatris, hoc est, de iis, qui non DEO soli, sed diis immolant, ut textus habet; qui Deum alium colunt sacrificiis & alio externo cultu, non autem eum, qui populum suum duxerat ex Ægypto, seu ut Augustinus interpretatur lib.1. de Trin. cap.6. qui simulacris eam servitutem exhibens, quæ Deo debetur.

XCI. Hos è medio tolli voluit Jehova, ne seducerent populum, quemadmodum eandem ob causam totas gentes Chananæas in ore gladii interfici jussit, ne fortè doceant ipsos cunctas abominationes, quas ipsi operati sunt Diis suis. Deut. cap. 20,18.

XCII. Agit igitur propriè lex ista de hominibus extra Ecclesiam, qui de vero Deo nihil norunt, & sua idolomania insuper veros Civitatis Dei inquilinos à vero Deo abducere laborant: Hæretici verò sunt in Ecclesia, ut supra diximus, saltem quoad externam professionem.

XCIII. Neq; quidquam ad rem facit, quod distinguunt inter idololatriam externam & internam, hæreticosq; idolomaniam committere dicunt, dum falsas de Deo opiniones alunt, aliisq; instillant: nihil *Beza f.156.*

enim aliud eos facere contendunt, quam quod ex opinionibus illis falsis idolum quoddam constituant.

XCIV. At enim hac ratione nimis severa lex statueretur etiam in avaros, qui & ipsi idolis serviunt, unde avarus vocatur εἰδωλολάτρης Ephes. 5. 5. Multo satius igitur est, quemadmodum peccata ipsa distinguuntur, ita & pœnarum fiat distinctio, & quia idololatria hæreticorum (si modò ita nominanda est) spiritualis est, etiam spiritualiter in primis puniatur, nimirum gladio Spiritus, quod est verbum DEI; propter periculum autem, quod inde redundare posset ad populum, à Magistratu etiam debito more modoq; coherceatur.

XCV. Locus Deut. 13. agit de Pseudopropheta, qui nimirum vel visiones, vel somnia falso jactat, per quæ Deus se Prophetis revelaturum promiserat Num. 12, 6. tales autem hæretici, saltem aliqui, non sunt: quod in confesso est. Et si qui inter Anabaptistas & Sacramentarios fanatico ejusmodi aguntur spiritu, sciendum est, legem istam Judæis, non Christianis, latam esse, ideoq; nisi seditionis crimen accedat, in ejusmodi fanaticos capitali pœna animadvertere non licere, præsertim, cum

non

non desint alia media, quibus ipsorum insania compesci queat.

XCVI. Hinc Augustinus de hoc loco scribit lib. 6. contra Faust. Manich. cap. 25. *Quisquis alium* CHRISTUM *vellet docere, ipsum interficiendum Moses præcipiebat: quid autem nunc aliud agit lingua Catholica, nisi ut spirituali gladio utriusq; Testamenti bis acuto interficiantur omnes, qui nos â* DEO *nostro volunt avertere, aut aliquod infringere mandatorum.* Lingua igitur, non ferro compescendos eos esse docet Augustinus.

XCVII. In Deut. 17. agitur de causis forensibus, non de hæreseos crimine; Ait enim Dominus, si judicium fuerit ambiguum inter sanguinem & sanguinem, causam & causam, lepram & non lepram, & judicium intra portas (ubi non Ecclesiastica, sed forensia tractari solebant) varietur, tunc conferendum esse supremum Synedrium, quod constabat in populo Judaico ex Sacerdotibus & Judicibus, qui juxta legem judicabant: Quod si eorum sententiis stare quis noluerit, in eum mortis sententia dictabatur ex præcepto Domini, ad majorem isti judicio autoritatem stabiliendã.

XCVIII. Nihil hic de hæresi vel hæreticis. Quod autem Sacerdotum fit mentio,

quorum aliàs nulla erat in rebus forensibus sententia, sit partim propter legem Ceremonialem de dignoscenda lepra, quæ extat Levit. 23, 2. partim etiàm propter incidentes casus quosdam conscientiæ, qui ex lege Mosaica explicandi erant: Et hoc respectu conjunguntur quæstiones de lege, de mandato, de ceremoniis, de justificationibus 2. Paral. 19, 10. quæ omnes in hoc judicio à Sacerdotibus pariter & judicibus politicis decidebantur.

XCIX. Quod si maximè ultrà subjectam materiam locum illum etiam de controversiis religionis in isto Synedrio disceptatis referas, rursum cavendum est, ne egrediamur limites politiæ Judaicæ in dictanda pœna mortis; ne fortasse hodiè cognitionem lepræ, sanguinum & aliarum rerum, partim ceremonialium, partim judicialium, ad sacerdotes nostros, aut ad consistoria Ecclesiastica remittere cogamur.

Bellarmin. Greg. de Vall. Beza.

C. Secunda classis argumentorum petitur ab exemplis virorum illustrium in veteri Testamento, qui idololatras, pseudoprophetas & alios non rectè docentes, gladio è medio tulerunt, ac propterea à Spiritu Sancto laudati fuerunt, quales fuêre I. Moses,

ses, qui tria hominum millia propter idololatriam vituli Levitarum opera interfici curavit, Exod. 32. 27. II. Asa, qui edicto publicato præcepit, ut quicunq; non quæsiverit Dominum Deum Israëlis, interficiatur, 2. Paral. 15, 13. III. Jehu, qui à Domino delectus totam Achabi familiam propter idololatriam penitus excidit, & Sacerdotes Baalis ad unum trucidavit 2. Reg. 10, 1. IV. Josias, qui Sacerdotes excelsorum mactavit 2. Reg. 23. v. 20. V. Elias, qui cessante Magistratu, potestate extraordinaria fungens, Sacerdotes Baâlis interfecit, 1. Reg. 18, 40. VI. Jojadas, qui à Deo excitatus Athaliam illam impiam occidit, 2. Reg. 11, 15. VII. Matathias, qui quendam Judæum sacrificantem idolis interfecit. 1. Macchab. 2, 14.

CI. Ex his exemplis concludit quidam: vel concedendum esse, quod Christiano Magistratui liceat Regum & Sacerdotum istorum exempla imitari: vel certè alterutrum horum probandum, nimirùm, quod vel diversa sit hæreticorum conditio ab istis, de quibus in his exemplis agitur; vel quòd de potestate civili, quoad Religionis conservationem attinet, per Evangelium aliquid sit detractum. *Beza f. 158.*

CII. Respondeo 1. in genere, qualia fuêre præcepta legum forensium in populo Judaico; talia quoq; exempla, nimirum isti Politiæ peculiaria, & latius non extendenda: aliàs hoc absurdum inde sequeretur, quod non tantum hæretici & hæresiarchæ, sed & omnes credentes hæreticis, & falsis opinionibus seducti exscindendi essent, quia in exemplis laudatis idololatræ *& omnes non quærentes Dominum Deum Is-* 2. Paral. 15. *raëlis* interfici jubebantur, sine ullo vel ætatis vel sexus discrimine; sive magni sive parvi; sive viri fuerint sive mulieres. Jam verò ipsi quoq; istius sententiæ Patroni distinguunt inter hæreticos & credentes hæreticis, illos tantum asperitati pœnæ subjiciunt, hos excipiunt.

CIII. 2. Quædam ex istis exemplis sunt ordinaria, ad politicum Magistratum spectantia, quædam extraordinaria Prophetarum atq; Sacerdotum, quibus gladius politicus ordinariè non erat concessus. Utrumque hodie nostris Ecclesiis legem præscribere non potest.

CIV. Ordinarium est, quod Moses tanquam Dux populi politicus aliquod millia idololatrarum interfecit, ut istorum supplicio scelus istud tam grande expiare-

tur,

tur, & cæteris severissimum punitæ idolomaniæ exemplum statueretur: non enim omnes interierunt: Si igitur ab hoc exemplo argumentari liceret ad occidendos hæreticos: sequeretur non in omnes animadvertendum esse tam severè, sed in aliquos duntaxat exemplum statuendum; quod num isti rigidioris sententiæ Patroni defendere, & in quos illud exemplum statuere cogitent, ipsi deliberent.

CV. Ordinarium erat, quod Asa Idololatris mortem minabatur: quod Jehu idololatras occidit: quod Josias sacerdotes excelsorum mactavit: quod Matathias Judæum idololatram interfecit: hæc enim omnia non tantum ex pio zelo, sed & secundum legem Exod. 22. fiebant: quæ hodie sublata est.

CVI. Ordinarium etiam erat factum Jojadæ Pontificis, qui quidem interfecit Athaliam reginam, sed non tam ut pontifex, quàm ut tutor Regis Joæ pueri vix septennis, & quamvis Athalia foveret cultum Baalitarum, tamen non eo nomine, interfecta est, sed ut tyrannica & seditiosa mulier, quæ cum interfecisset omne semen regium, regnum per vim invasit, illudque integrum ferè septennium

per tyrannidem obtinuit, contra mandatum Domini, qui noluit fœminam, præsertim extraneam, regnare in regno Juda, sed semper aliquem ex viris cum imperio fore promiserat. Sed quid hoc exemplum ad hæreticos?

CVII. Extraordinarium est, quod Elias Propheta Baalitas interficit, quod quidem secundum legem Domini fiebat, quæ nos non attingit. Sed respectu Eliæ, qui personam sustinebat Ecclesiasticam, Zelus erat heroicus à nemine in imitationem rapiendus.

CVIII. Ita constat, allata exempla nequaquam evincere, Magistratui Christiano licere violentam istam hæreticorum extirpationem imitari: neq; tamen sequitur, Evangelio de potestate Civili, quoad religionis conservationem, aliquid esse detractum.

CIX. Relinquitur enim magistratui custodia utriusq; tabulæ, licet ob defectum divini mandati, vindicta lethalis adversus hæreticos ei denegetur: quemadmodum in aliis quoq; sceleribus puniendis juri magistratus nostri nihil quidquam est detractum, licet non secundum leges Politiæ Judaicæ, sed secundum cujusq; reipub. formam

mam atq; modum, imò etiam secundum temporum conditionem aliter atq; aliter administretur: qualitas enim & modus rei rem ipsam neq; tollit, neq; minuit.

CX. Quod si sine periculo imminutæ potestatis Politicæ, aut absq; læsæ Majestatis crimine à foro Mosis discedere planè non est integrum: quid obstat, quin omnibus legibus Imperatorum, omni juri municipali, omnibusq; ordinationibus & statutis Rerumpubl. valedicamus, &, ut voluit olim fanaticus Carolostadii Spiritus, juxta sola statuta Reipub. Judaicæ nos nostrasq; actiones conformemus?

CXI. Atqui hoc factu impossibile est. DEUS enim accommodavit illas leges forenses ad conditionem & mores istius populi, regionis, temporis, totiusq; Reipub. Repudiato igitur populo, eversa Regione, mutato tempore, sublata Iudæorum repub. jure meritoq; nunc etiam leges istæ sunt extinctæ & obliteratæ, ita ut neq; quenquam nostrûm sub opinione necessitatis obligent, neque, si non observentur hodie, de potestate Civili quidquam detrahant: sed si quæ faciunt ad formam nostræ Reipub. liberrimè retineri queant.

CXII. Ita Lex Mosaica Deut. 22, 20, 21. jubet sponsam compressam lapidari, eandem pœnam dictat filio immorigero Deut. 21, 21: Magistratus Christianus utramq; legem hodie non observat: quia non est Reipub. Christianæ accommodata; non tamen sequitur de potestate Civili, quoad conservationem honestatis matrimonialis aut disciplinæ domesticæ aliquid esse hodie detractum: Potest enim & solet alio modo, pro conditione suæ Reipubl. sponsum in tali casu absolvere, & immorigerum illum punire. Idem esto judicium de cæteris legibus fori Judaici.

CXIII. Rectè igitur Lutherus noster in Epistola ad Spalatinum, Anno 1524: *Qui judicialia Mosis jactant, contemnendi sunt. Nos habemus nostra Jura Civilia, sub quibus vivimus: sic nec Naaman Syrus, nec Job, nec Joseph, neque Daniel, neque ulli alii Judæi extra terram suam suas leges, sed gentium, inter quas erant, servaverunt. Leges Mosis solum Judaicum populum in loco, quem elegisset, ligabant, nunc liberæ sunt, alioquin si judicialia servanda sunt, nulla est ratio, cur non circumcidamur quoque, & omnia cæremonialia servemus.*

CXIV. Tertiam classem Argumentorum suppeditant edicta Regum, 1. Nebucadne-

cadnesaris, ut, quicunq; dixerit blasphemiam in DEUM Sadrach, Mesach, Abednego, frustulatim conficiatur, ejusq; domus in sterquilinium redigatur Dan. 3. 96. 2. Darii, ut quicunq; edictum de instaurando templo mutarit, tollatur trabs è domo ejus, in quam erectam suspendatur, & domus ejus propterea in sterquiliniū redigatur, Esd. 6, 11. 3. Artaxerxis, ut quicunq; facere noluerit legem DEI, atq; legem Regis, de hoc illicò fiat judicium, sive ad mortem, sive ad eradicationem, sive ut facultatibus multetur, sive ut vinciatur. Esd. 7, 25.

CXV. Ex his Principum edictis inferunt. Principes hi fuêre profani, ad quos lex illa forensis à Mose lata non pertinebat, & tamen æquum putabant, ut in impios capitali pœna animadverteretur. Voluit igitur formulas illorum edictorum extare Spiritus sanctus, ut Principes Christianos puderet, in vindicanda religione, profanis Regibus priores concedere. *Beza f. 161.*

CXVI. Respondeo. 1. Nebucadnesar cum dictum illud promulgaret, non amplius erat gentilis, sed ad verum Deum Judæorum conversus, Daniel. 3, 95. & sic legibus Judæorum etiam subjectus.

2. Edi-

2. Edictum ejus non adversus hæreticos, sed blasphemos directum est, quos severiore animadversione dignos esse non negamus: 3. Edicta & comminationes Darii & Artaxerxis non tam violatores cultus divini, quam legum à se recens promulgatarum de instauratione templi, & suppeditandis sumtibus ex regio ærario spectabant, ut ipse sonus edicti Darii arguit; Artaxerxis autem mandatum alternativum est, quod non simpliciter aliquid de morte transgressoris, sed vel de morte, vel de mulcta pecuniaria, vel de carcere decernit. Unde nihil contra hæreticos, religionis sinceræ temeratores, nihil etiam de ipsorum pœna capitali ullis tormentis extorqueri potest: remittimus igitur hæc quoq; argumenta suis Patronis.

Beza f. 162. CXVII. Quarta classis argumentorum deducitur ex duobus locis Actorum Apostolicorum, cap. 5, 5. ubi Ananias & Sapphira verbo interfecti sunt à Petro: cap. 13. 11. ubi Elymas Magus verbo à Paulo fuit excæcatus. Unde inferunt 1. ab exemplo Petri; mirum videri non debere, si ab ordinario DEI ministro gladius in convictos & factiosos religionis contemtores stringatur, cum Petrus in defectu Christiani Magistra-

gistratus extra ordinem religionis contemtum, quamvis adhuc occultum & latentem capitali supplicio punierit. 2. ab exemplo Pauli, ostendi eo, in religionis causa corporali quoq; pœnæ locum esse.

CXVIII. Respondeo 1. factum Petri, quòd attinet, agnoscunt illi ipsi, qui eo in rem suam abutuntur, multiplicem discrepantiam à facto Magistratus hæreticum capite plectentis. Petrus verbo occidit, (si modò occidit) Magistratus gladio; Petrus crimen hominibus occultum punit, Magistratus non nisi manifestum: illi qui à Petro interfecti dicuntur, propter hypocrisin & fraudem interficiuntur, hæretici ob hæresin: & quæ sunt his similia.

CXIX. Deinde: cædes ista non fuit insigni injuria Petro tribuitur. Nam neq; ordinarie, neq; extraordinarie Petri fuit, sed Dei: neq; enim Petrus sententiam ullam tulit, sed Spiritu DEI plenus DEI vindictam illis significavit: Petrus peccatum occultum tantummodò detexit & accusavit: DEI autem occulta vindicta reos percussit, Petro neq; verbis neq; manibus, neque etiam imprecationibus ullis mortem illam repentinam adjuvante.

CXX.

CXX. 2. Quod attinet Elymæ excæcationem, fatentur illi, qui hoc utuntur exemplo, inde non nisi corporalem hæreticorum pœnam probari posse: in quo nobiscum non dissentiunt. Concedimus enim hæreticos corporalem pœnam interdum effugere non posse: duo tamen sunt, quæ ad hoc exemplum addimus: 1. Magus ille non ab Apostolo, sed à DEO cæcitate fuit percussus. Paulus enim non inferebat, sed prædicabat cæcitatem: *Ecce nunc eris cæcus*, inquit, *non videns solem usq; ad tempus vers. 11.* 2. Si historiam recte perpendimus, cæcitas illa non tantùm fuit peccati mulcta, verùm etiam DEI miraculum in Paulinæ veritatis testimonium in animo proconsulis obsignandum: Ita enim habet textus vers. 12. *Tunc Proconsul, cum vidisset factum, credidit, admirans super Doctrinâ* DOMINI. Neutrum igitur exemplum aliquid ad rem facit: Progredimur ad alia.

Bellarm. CXXI. Quinta classis argumentorum petitur ex ejusmodi Novi Testamenti locis, in quibus Ecclesiæ & Magistratui jus in hæreticos conceditur. Ecclesiæ; Matth. 18, 17. Si Ecclesiam audire noluerit, sit tibi velut Ethnicus & Publicanus: Magistratui, Rom. 13, 4. ubi Apostolus de Magistra-

gistratu dicit, non sine causa gladium portat, minister enim DEI est, vindex in iram: unde colligi ait Bellarminus, licitum esse, hæreticos ab Ecclesia abscindi, & à seculari Judice morte mulctari.

CXXII. Respondeo 1. locus Matt. 18. non agit de hæresi, sed de privatis offensis, quæ in communi vita incidere possunt: loquitur enim de fratre peccante: Hæreticus autem non est frater, sed hostis: loquitur de fratre in Te peccante; hæreticus autem peccat in totam Ecclesiam: unde & Chrysostomus interpretatur de iis, qui injuriam inferunt proximo hom. 61. in Matth. 2. Si vel maximè de illis quoq; offensis loqueretur Christus, quibus hæretici peccant in Ecclesiam: nulla tamen major pœna isti delicto ex hoc loco adjudicari potest, quàm excommunicatio, quam in præfractis & contumacibus hæreticis usurpandam nos quoq; non negamus: de pœna verò capitali eo loco ne γρῦ quidē.

CXXIII. 2. Locum Apolloli Rom. 13. quod attinet, fatemur equidem, eum generalem esse, & ad omnes pertinere maleficos: ideoq; neq; hæreticos exceptos esse. Sed nimis esset liberalis consequentia, si quis ita colligeret: Magistratus habet jus

gladii

gladii in hæreticos: Ergo gladio sunt interficiendi hæretici, utitur enim jure gladii etiam cum aliis modis in ipsos animadvertit, puta carcere, proscriptione & similibus.

CXXIV. Aliàs si Iesuitica ista consequentia locum haberet, similiter argumentari possem: In quoscunq; Magistratus Politicus habet jus gladii, hi gladio sunt è medio tollendi. In libidinosos, contentiosos, avaros, lurcones, otiosos, jus gladii habet: nam & isti malè agunt, Ergo isti omnes gladio tollendi sunt; novus igitur mundus substituendus esset, cum pauci reperiantur; qui hoc modo aciem istius gladii effugere possent.

Bellarmin. Greg. de Vall.

CXXV. Sextà classis argumentorum producitur ex iis Novi Testamenti locis, in quibus hæretici lupis rapacibus, furibus & latronibus comparántur, qui sanè omnes optimo jure occiduntur: item cancro serpenti, qui non curatur medicamentis, sed ferro excindi debet, alioquin perpetuò serpit, & totum corpus corrumpit. Loca Scripturæ sunt Matth.7, 15. Actor.20, 29. Ioh.10, 8. 2.Tim.2, 17.

CXXVI. Respondeo, in hoc argumento est fallacia causarum. Hæretici com-

comparantur lupis, furibus, gangrenæ, &c. quia similem habent indolem & naturam; non quia similiter sunt tranctandi. Aliàs ex eadem Topica concludere possum: tyrannicus Magistratus, etiam morosus Paterfamilias comparatur vulpibus, lupis, leonibus, quibus insidiæ struuntur, & si eorum copia fieri potest, etiam interficiuntur, &c. Luc.13, 32. Ezech.22, 27. Soph.3, 3. Zach.11, 3. Ecclesiastici: 4, 35. 2.Tim.4, 17. Ergo subditi tyrannis, servi morosis heris insidiari, & si fieri potest, eos è medio tollere tenentur: Atqui aliud docet Apostolus Paulus: qui omnem potestatem à Deo esse dicit, & proinde qui resistit cuivis potestati, huic DEO resistere adfirmat Rom. 13, 2. Aliud etiam docuit Apostolus Petrus, qui nos subditos esse vult in omni timore dominis, non tantùm bonis & modestis, sed etiam pravis 1.Per.2, 18. Quousq; igitur se ista similia extendant, ex allato exemplo quilibet intelligit.

CXXVII. Septimam argumentorum classem deducunt ex historia Ecclesiastica, & sanctionibus piorum Imperatorum, Constantini magni, Theodosii, Valentiniani, Martiani: quibus non tantùm libros & sacrilega Scriptorum monumenta incen- *Bellarmin. Greg. de Vall. Beza.*

dio concremari voluerunt, sed & ultimo supplicio coherceri (ut habent verba legis à Martiano in Concilio Chalcedonensi latæ) qui illicita docere tentaverint.

CXXIIX. Respondeo: 1. Etsi Christianorum Imperatorum sententias & decreta non damnamus: tamen nostris Ecclesiis legem præscribere non possunt, quæ legibus à Spiritu Sancto approbatis regunturnon humanis sanctionibus: ideoque non est, quod ab istorum Imperatorum temporibus Christiani Principes officii sui
Beza f.167. rationem mutuentur, id quod ex Adversariis quidam apertè fatetur.

CXXIX. 2. Si maximè nobis iis vivendum esset legibus: tamen annotarunt JCti doctissimi, illud de capitali supplicio, vel non ad omnes promiscuè hæreticos, sed Manichæos & similes, qui ad imam usque scelerum nequitiam pervenerunt, de quibus etiam expressè loquitur lex Quicunque; vel capitale illud supplicium non de supplicio mortis, sed de deportatione accipiendum esse, quemadmodum ex ipso textu illius legis probavit Matth. Wesenbecius in paratit. lib. 1. tit. 5. fol. 16. seqq.

CXXX. 3. Quod si contra manifestam literam legem illam, Quicunque, ad

ad omnes extendamus hæreticos: tamen si consideremus temporum istorum historiã, alio ferè remedio exulcerato isto seculo rebus Ecclesiæ consuli non poterat. Præterquam enim, quod Romanum imperium domi forisq; miserè vexatum piis Imperatoribus satis negotii faceſſebat, insuper ingentes hæreticorum cathataſtæ uno quasi vomitu à Satana in gremium Ecclesiæ effundebantur, ad quas obturandas piorum Ecclesiæ doctorum vires vix sufficiebant.

CXXXI. Recenſentur enim edicto Theodosii & Valentiniani 32. prodigiosæ & monstrosæ hæreses in conciliis legitimè damnatæ, quæ tum temporis piorum Imperatorum Ecclesias vix constitutas cum præsentissimo Orthodoxæ fidei periculo perturbabant; quarum licentiam cum seditione ac rebellione populi conjunctam, cum in illis temporum tumultibus aliter compescere non potuissent, pio zelo moti de nonnullis territorio suo ejiciendis, nonnullis pecunia mulctandis, quibusdam etiam mortis supplicio adficiendis leges promulgarunt: Nondum autem certum est, num quemquam hæreticorum capitali pœna sustulerint.

CXXXII. Testantur enim Historici, pios Imperatores decreta sua non ad executionem, sed ad terrorem condidisse. Sicut olim factum in illa sanguinolenta lege XII. tabularum de secando corpore debitoris obærati, apud A. Gellium libro 20. cap. 1.

CXXXIII. Ita enim de Theodosio scribit Sozomenus lib. 7. cap. 12. *Imperator lege edixit, ut heterodoxi neq; Ecclesias colligerent, neq; de fide docerent, neq; Episcopos aut alios ordinarent, & alii Civitatibus & agris pellerentur, alii honoribus privarentur, nec eadem cum illis Politia uterentur: ac legibus illis gravia quidem supplicia adjecit, sed non est executus. Neq; enim punire subditos, sed metu cohercere satagebat, quo illos in dogmate sibi de divinitate Christi concordes redderet*: idem de Constantini legibus contra Arianos habet Sozom. lib. 2. cap. 32. & Nicephorus lib. 8. cap. 52.

CXXXIV. Justinianus quoq; Imperator etsi legem tulit adversus hæreticos cruentam; nuspiam tamen legitur ex ea inquenquam vindicasse, licet occasionem haberet animadvertendi in Anthemium Episcopum Constantinopol. Eutychianâ hæresi infectum, ut & in Nestorianos, quos

quos tamen, aliâ lege promulgatâ, ita duntaxat compescere voluit, ut Episcopi Nestoriani Ecclesiis elicerentur, laici ab anathemate damnarentur: ergo & ipse priorem illam legem haud dubiè in terrorem hæreticorum tulit.

CXXXV. 3. Neq; etiam negare possumus, nonnullos ex Imperatoribus, juniores inprimis, cum viderent, multos Christianorum à Donatistis occidi, exquisitisque tormentis è medio tolli, quemadmodum Augustinus testatur Epist. 152. 162. fervore pariter, zeloq; motos vicissim per talionis pœnam capitale supplicium ipsis lege late sanxisse, qua ratione furoribus ipsorum sese obviam ire posse opinati sunt.

CXXXVI. Recitatur ejus rei memorabile exemplum in Epist. 50. August. de Maximiano Episcopo Vagiensi crudelissimè à Donatistis tractato; ubi etiam non obscurè docet, non hæresi, sed furori & sævitiæ Donatistarum legibus Imperatorum obviam itum esse. *Hoc enim contigit Donatistis*, inquit, *quod accusatoribus sancti Danielis. Sicut enim in illos Leones, sic in istos conversæ sunt leges, quibus innocentem opprimere voluerunt, &c.* Facilè ergò hinc colligitur, quàm malè nostrarum Ecclesiarum gubernatio

ad decreta illorum Imperatorum hoc in casu conformaretur.

CXXXVII. 4. Adde, quod boni isti Principes bellorum tumultibus impliciti, & regnorum mutationibus divexati, non semper veram regendi Ecclesiam rationem observare potuerunt, & cum Sacrarum literarum essent ignari, Episcopis in omnibus fidem habuerunt, qui cum essent ambitiosi, & aliorum sanguine sibi famam quærerent, facili negotio fieri potuit, ut Imperatoribus sanguinarium illum modum propagandæ Ecclesiæ persuaderent.

CXXXIIX. Sed estne propterea lexista pro sancta & inculpata reputanda, quæ sanguinolentorum Episcoporum instinctu condita fuit? An non potius illud hac in re respiciendum fuerit, quod Christianum Magistratum deceat, quàm quod violenta tyrannide extorqueri possit? inquit Brentius in lib. in quo Magistratum Religionis curam gerere debere docet.

CXXXIX. 5. Præterea fatetur Gregor. de Valentia, usque ad tempora Martiani & Valentiniani; Bellarminus, usq; ad tempora D. Augustini, hoc est, usque ad annum Christi 430, legem de interficiendis hæreticis non fuisse latam: nam tempore

pore Constantini Magni decreta illis est pœna exilii, ut apparet ex Proœmio Concilii Niceni, & ex Sozom. lib. 1. cap. 10. addita deinde fuit pœna pecuniaria, tempore Theodosii Imperatoris, nimirum decem librarum auri, donec invalescentibus hæreticorum monstris graviore eos pœna terruerunt Martianus & Valentinianus Christiani Imperatores.

CXL. Nulla igitur ratio est, cur hodie in puniendis hæreticis decreta potius horum Imperatorum, quàm Antecessorum suorum sequamur, præsertim cum rationes non desint gravissimæ, quæ capitale supplicium ab hæreticis sumendum, dissuadeant, de quibus suo loco.

CXLI. Accedo ad octavam classem Argumentorum, quæ petitur à jure naturæ seu ratione humana. Omnibus enim gentibus, inquiunt, ratione docente, hoc usurpatum fuit, ut qui religionem, quem illi veram existimabant, violarent, acerbissimis suppliciis mulctarentur, ut videre est apud Platonem lib. 10. de legibus: & Livius scribit; jam inde à Romanæ Reipublicæ initiis negotium fuisse, Magistratibus datum, ut sacra externa fieri

Gregor. de Val. f. 531. tomo 3. Beza f. 176.

vetarent, sacrificulos, vatesq; foro, urbe, circo prohiberent, vaticinos libros conquirerent, comburerentque; omnem disciplinam sacrificandi, præterquam more Romano, abolerent lib. 9. decad. 4.

CXLII. Respondeo 1. Argumentum à ratione humana non valet in causa religionis. Multa enim videntur rationi nostræ consentanea, quæ neq; ad fidei, neque Ecclesiæ ædificationem faciunt. Quapropter in hac quoq; quæstione de pœnis hæreticorum non attendenda est consuetudo gentilium, qui in vanitate sensus sui ambulant, tenebris obscuratum habentes intellectum, alienati à vita DEI, ut Apostolus loquitur Eph 4. 18. neq; etiam rationis arbitrium sequendum, quæ nos eò ducere potest, quò DEUS non vult.

CXLIII. 2. Nihil dicam, quod gentiles hæreticorum suorum pœnas ex legibus Mosaicis mutuari potuerunt: quemadmodum sacrificiorum usum à Judæis didicerunt, quod contra Bellarm. lib. 1. de missa cap. 20. ubi opus fuerit, ruebimur: atque tùm, quantum valeat ista ratio, ex superioribus, quæ ad Classem primam dicta sunt, intelligitur.

CXLIV. 3. Quod si maximè dandum aliquid

aliquid est juri naturæ, in puniendis hæreticis, præterquam genus, nihil omninò concedendum est. Quemadmodum enim omnes homines natura sciunt, esse aliquod numen pura mente colendum: ita vicissim norunt, eos qui cultum hunc quocunque modo violant, tanquam omnes humanæ naturæ limites transgressos, puniendos esse: quòd verò pœna præcisè capitali adficiendi sint, nemo, opinor, tam temerarius erit, qui adfirmaverit: nam ea, quæ se utrolibet modo habere possunt, & pro circumstantia rerum variare, non naturalis sunt rationis, sed voluntariæ dispositionis.

CXLV. Talis autem est omnium scelerum ratio, quæ punienda esse natura equidem docet: Sed unam eandemq; semper & ubiq; pœnæ rationem, & modum esse debere, nulla suadet ratio, quin potius ipsæ gentilium Rerumpublicarum formæ contrarium docent: qui fit igitur, quod in crimine hæreseos unam & eandem puniendi rationem ex jure naturæ nobis obtrudere volunt?

CXLVI. Nonam argumentorum classem petunt à Patrum testimoniis, Hieronymi imprimis, Augustini, Leonis, Opta-

ti, Gregorii, Bernhardi: horum enim testimonia recitat Bellarminus: quæ omnia si in succum & sanguinem converterentur, nihil volunt aliud, quàm hæreticos pellendos, arcendos, cohercendos esse, quod nemo nostrûm negat: quod autem in sanguinem hæreticorum sævire Magistratum nolint, deinceps aliquot exemplis audiemus.

CXLVII. Restat decima classis argumentorum, ex rationibus petita, quarum aliquot proponit Bellarminus: Prima est: Excommunicari possunt hæretici: Ergo etiam occidi, quia excommunicatio major pœna est, quàm mors temporalis.

R. Committitur fallacia κατὰ πῆ καὶ ἁπλῶς major & periculosior pœna est excommunicatio morte, ratione eventus, si nimirum non sequatur pœnitentia excommunicati: tunc enim quæ super terram ligata sunt, ligata quoq; manent in cœlis, ut explicat Augustin. lib. 1. de Adverf. leg. & Prophet. cap. 17. Tolerabilior autem est respectu finis: ideo enim excommunicatus traditur Satanæ, ut Spiritus salvus sit in die Domini JESU 1. Cor. 5, 5. hoc est, ut hoc remedio dometur perversa hominis voluntas, & discat in Spiritu incedere.

Mors

Mors autem hæretici simpliciter non tantum periculosa, sed & apertè noxia est: qua neq; hæretici pœnitentia promovetur, ut interdum in excommunicatione fit: neq; hæresis tollitur: mors enim corpus interimit, non opiniones.

CXLVIII. Secunda: Ecclesia nullum aliud habet remedium tollendi hæreses, quàm mortem. Respondeo: id verò apertè falsum est. Nam Apostoli Ebionitarum, Cerinthianorum, Nicolaitarum & similium hæresin, feliciter jugularunt, nullo hæreticorum à Magistratu interemto. Fuerunt & sequentibus ætatibus hæreses aliæ feliciter sopitæ, absq; lege aliqua sanguinaria, donec tandem hæreticorum crudelitas, & seditio Christianis Imperatoribus edicta de tollendis hæreticis extorsit, quemadmodum inter alios D. Augustinus non obscurè fatetur Epist. 50, ad Bonifacium. Imò si tam validus ad tollendas ex Ecclesia hæreses est rogus aut gladius, quî fit, quod hodieq; Donatistarum & aliorum Sectariorum hæresin Pontificii nostris, quanquam falsò, imputent Ecclesiis, nos verò apud ipsos ad oculum, sicubi opus fuerit, monstrare possumus? hoccine est funditùs ferro & igni extirpare hæreses?

CXLIX.

CXLIX. Tertia: Falsarii omnium judicio merentur mortem: At hæretici sunt falsarii verbi DEI. Ergo. Resp. Major omnium judicio falsa est. Falsi enim pœna legibus civilibus constituitur deportatio, & omnium bonorum publicatio, l. 1. § fin. ff. ad leg. Cornel. de fals. Deinde quale est delictum, talis etiam pœna: sed falsatio verbi divini est delictum Spirituale, non ad forum soli, sed poli pertinens: ergo non est necesse, ut ultima pœna civili puniatur, sed subsequetur Spiritualis hæretici deportatio seu exclusio ex patria cœlesti, juxta illud: *Si quis apposuerit ad hæc, apponet DEUS super illum plagas scriptas in libro isto: & si quis diminuerit de verbis libri Prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, & de Civitate sancta, & de his, quæ scripta sunt in libro isto Apoc. 22, 19.* Hic autem in foro Civili, à Magistratu civiliter punitur, quantum ad tranquillitatem Ecclesiæ publicam sufficit.

CL. Quarta: ex August. Epist. 50. Gravius est, hominem fidem non servare Deo, quàm fœminam viro: sed hoc morte punitur: Ergo & illud. Resp. Augustini locum quod attinet, manifestum est ex contextu, ipsum non tam contra nostram senten-

sententiam disputare, quomodo puniendi sint hæretici, quàm contra Anabaptistas, quod sint puniendi. Nam cum in præcedentibus ostendisset, quàm necessarium esset, ut Donatistarum furori ab Imperatoribus resisteretur: subjicit: *Cur cum datum sit homini divinitus liberum arbitrium, adulteria legibus puniantur, & sacrilegia permittantur: an fidem non servare animam DEO, levius est, quam fœminam viro?* Docet hæc verborum συνέπεια apertè, Augustinum adulterii pœnam & sacrilegiorum permissionem seu impunitatem opponere: nos verò neq; sacrilegia, neq; hæresin à Magistratu impunita esse volumus.

CLI. Quod autem ipsam Corporalis & Spiritualis adulterii comparationem attinet, non equidem negamus, hæresin esse Spirituale quoddam adulterium; est enim defectio à DEO, cui fidem dederunt hæretici in Baptismo: quod autem eadem utrobiq; pœna sit in foro Civili, pernegamus: alioquin gladio animadvertendum esset etiam in avaros, quia sunt Spirituales idololatræ Ephes. 4, & in desperabundos, quin & in omnes, qui contra conscientiam peccant, quia & ipsi fidem DEO datam non servant. Viderint igitur, qui istam ratio-

rationem allegoricam tantoperè jactant, ne nimis apertè transfugæ fiant in castra Donatistarum, quos tamen jam gladio extinctos putant, dum nescio quàm Ecclesiam puram putam, & omni labe carentem hac ratiuncula introducunt.

CLII. Quinta: Qui ideo occiduntur, ne bonis noceant: & ut suo supplicio multos corrigant, & deniq; ex morte beneficium accipiant, hi jure occiduntur. Tales sunt hæretici, qui 1. nocent proximis magis quàm latro aut pirata, animas occidunt, & omnia tumultibus implent. 2. Sua hæc multis prosunt, ut ab hæresi citius convertantur ad veritatem. 3. Beneficium habent inde, quod è vita tolluntur, nam quò diutius vivunt, plures pervertunt, plures errores excogitant, & majorem sibi damnationem accersunt. Unde quidam nostri vitius aulæ Romanæ alastor nuper ex Bellarmino repetiit, ad legem caritatis pertinere hæreticorum mortem, illosq; diligere hæreticos, eisq; benefacere, qui eos, quamprimum exoriuntur, è medio tollũt.

Sciop. Apol. cap. 4. n. 4.

CLIII. Sed est in hac ratione egregia Sophisticatio, impingens in fallaciam consequentiæ. Si enim causæ dictæ sufficerent ad mortem alteri inferendam, quid obstat,

obstat, quo minus omnes quoquo modo publicè peccantes carnifici tradamus: Certum enim est, quolibet externo peccato noceri bonis, ad minimum malo exemplo: talibus etiam suppliciis absterreri fortè posse cæteros, & ipsum delinquentem, ne peccatorum cumulum augeat, impediri.

CLIV. Verùm ejusmodi remedium impediendi scandala, & benefaciendi inimicis ignorat universa scriptura. *Malevolè est benevolentia, quæ aliquem miserum vult, ut ejus misereatur*, inquit Augustinus lib. 3. Confess. cap. 2. & lib. 1. ad Montanum cap. 22. Gaudeant hoc misericordiæ & benevolentiæ genere misericordes isti Patres Inquisitionis Hispanicæ, quibus sub finem capitis 21. palpum obtrudere voluit Bellarminus: nos alium deinceps modum agendi cum hæreticis, ex scriptura indicabimus.

CAPUT V.

Proponens argumenta, quæ hæreticos non interficiendos esse, docent.

CLV. Hactenus ergo adversariorum sententias & rationes pro virili discussimus: Super-

Superest, ut mentem nostram in hac quæstione exponamus: ubi primùm argumenta, quæ hæreticorum supplicium capitale dissuadent, audiemus; dein, quomodo cum ipsis agendum sit, videbimus.

CLVI. Protestamur autem, nos nequaquam hæreticorum causam agere, neq; erroribus aut malitiæ ipsorum patrocinari: Sed detestamur eos, ut mancipia Satanæ, à quo captivi ducuntur, juxta ejus voluntatem: interim tamen ne vis inferatur sacris literis, aut aliquid alienum à Republica Christiana introducatur, pio Magistratui capitale hæreticorum supplicium dissuademus his rationibus.

CLVII. 1. De Ecclesia Novi Testamenti prædictum fuit à Prophetis, quod absq; cæde & sanguine sit propagatura doctrinam Evangelii. Ita enim scriptum est Esa. 11. v. 6. *habitabit lupus cum agno & pardus cum hædo accubabit, &c. & vers. 9. Non nocebunt, & non occident in universo monte sancto meo, quia repleta est terra scientia Domini.* Quæ verba, quia generaliter de pace Ecclesiæ & concordia Civium Reipublicæ Christianæ loquuntur, simul includunt modum propagandi Ecclesiam, nimirum absque profusione sanguinis.

158. Fri-

CLVIII. Frivolum autem est, quod Bellarminus objicit: non dicere Prophetam, quod Catholici non occident hæreticos, Sed potius contrà, quod hæretici non occident, & non nocebunt Catholicis; loqui enim Prophetam de Leonibus, Ursis, Serpentibus, Regulis, aliisq; venenatis Bestiis, quibus diabolum & hæreticos notari ait; Frivolum, inquam, hoc est. Nam per venenatas illas bestias non potest intelligere hæreticos: horum enim totalis concordia cum Orthodoxis speranda non est, quia oportet hæreses esse, 1. Corinth. 12. Sed hisce titulis omnium omninò hominum naturam describit, qualis ea est, respectu corruptionis suæ; Eos igitur, inquit, qui quondam DEO summè displicebant, jam ad agnitionem CHRISTI adductos pacificè victuros, & à cæde & sanguine adversariorum sibi temperaturos.

CLIX. Neque tamen Magistratui novi Testamenti hoc pacto jus gladii eripitur: non enim hic de Politico agitur regimine, sed Ecclesiæ moderamine, in quo CHRISTUS dominatur gladio Spiritus, qui est verbum Dei, Ephes. 6. Is enim percutiet terram virga oris sui, & Spiritu labiorum suorum interficiet impium,

ut paulò antè in v. 4. dicitur, & hujus Ecclesiastici moderaminis respectu additur, non occident in universo monte sancto meo.

CLX. II. Nullum habemus mandatum de occidendis hæreticis in Novo Testamento, quod tamen in re tam seria haud dubiè non fuisset intermissum. Nam quod fratres ignorantiæ olim in papatu attulerunt ex Tit. 3, 10. hæreticum hominem post unam & alteram admonitionem devita, scilicet, tolle, ut ipsi interpretabantur; id jam diu protritum & obsoletum est, & non tam verbis quàm fustibus dignum, quia, cum græcum vocabulum αἱρετικὸν legere non potuerint, interim in divisione latini plusquam asininam inscitiam prodere voluerunt.

Th. Aquin. 2. secun. quæst. 11.

CLXI. Respondet Bellarminus: Christum quidem & Paulum nihil præcepisse, sed nec prohibuisse, ut occiderentur hæretici, quemadmodum nusquam jubent adulteros & falsarios occidi, fures suspendi, comburi latrones, & tamen id fieri, & rectè fieri nemo negare audet.

CLXII. III. Sed vanitatem hujus objecti jam monstrabit tertia classis argumentorum, ubi ostenditur, CHRISTUM & Apostolos diversimodè hæreticorum pœnas

pœnas capitales prohibuisse, quod de cæteris pœnis criminum forensium adfirmari non potest: de illis verò locis seorsim agendum est, ut φλυαρίαι Adversariorum eò melius discutiantur.

CLXIII. Primum igitur, cum Christus statum regni sui per parabolas exposuisset, Matth. 13. confert inter alia verbum suum bono semini; hæreticos autem zizaniis, quæ bono tritico simul erant interspersa. Volentibus autem servis evellere, & è medio tollere zizania, noluit Paterfamilias, ne simul bonum evellatur triticum: Sed præcipit, ut crescere sinant usq; ad messem, & in tempore messis se dicturum messoribus, ut colligant primùm zizania, & alligent ea in fasciculos ad comburendum, triticum autem congregent in horreum.

CLXIV. Per zizania hæreticorum conciliabula significavit, inquit Chrysostomus homil. 47. in Matth. & quid per collectionem zizaniorum intelligat, ibidem exponit his verbis: *Vide servorũ diligentiam, inquit, Nam etsi non prudenter, sedulò tamen ad evellenda zizania festinant: quæ res solicitudinem ipsorum & diligentiam erga Satanam ostendit, quodque ad unum solummodo respiciunt, non ut pœnas*

inimicus luat, sed ut semina jacta non dispereant. Quare quomodo morbum depellant, inquirunt, nec sibi confidunt, sed domini sententiam exspectant, ac ideò interrogant, dicentes: Vis igitur abeuntes, colligimus ea? Dominus autem prohibet, ne forte simul cum zizaniis herbam etiam tritici evellant, quod dicebat, ut bella & effusionem sanguinis prohiberet. Nam si truncarentur hæretici, absq; fœdere pacis atq; inducis bellum orbi inferretur, &c.

CLXV. Eadem est interpretatio Cypriani, qui lib. 3. Epist. 3. cum ex isto Matthæi loco intulisset, semper esse zizania in Ecclesia, quemadmodum in domo magna non tantum sunt vasa aurea & argentea, sed & lignea & fictilia, & quædam quidem honorata, quædam verò inhonorata: Subjicit deinde: *Cæterum fictilia vasa confringere Domino soli concessum est, cui & virga ferrea data est. Esse non potest major Domino suo servus, Nec quisquam sibi, quod soli Filio Pater tribuit, vendicari se putet, ut ad aream ventilandam & purgandam paleam jam ferre se posse, aut à frumento universa zizania humano judicio segregare. Superba est ista obstinatio, & sacrilega præsumtio, quam sibi furor pravus assumit.*

CLXVI. Bellarminus cum vim argumenti

menti viderer, nihil aliud egit, quàm ut interpretationes illas patrum contra expressam mentem ipsorum excluderet. Chrysostomum ait hoc voluisse, tunc prohibendam zizaniorum evulsionem, si eorum evulsio frumento esset noxia: Quod si verendum non esset, tunc neq; evulsionem istam esse prohibitam. Cyprianum ait, non de hæreticis, sed de malis Christianis agere. Utramq; sententiam utriq; patrum haud dubiè contra conscientiam adfingit Cardinalis.

CLXVII. Nam quod Chrysostomum attinet, nulla ibi est distinctio: sed in genere dicit, Dominum ista parabola bella & effusionem sanguinis prohibere: item, Dominum prohibere non conciliabula hæreticorum dissipare, non ora obstruere, non libertatem loquendi concidere, verùm interficere & trucidare: Insuper rationem addit hujus interdicti geminam, non tantum, ne simul evellatur frumentum, quam solam vidit Bellarminus: Sed &, ne hæreticorum salus impediretur, posse enim multos in statum frumenti converti: quæ ratio locum habere non posset, si aliquo unquam tempore hæreticos, quatenus tales, occidere liceret.

CLXIIX. Cyprianus primùm in genere loquitur de lapsis, quibus nec censura desit, quæ increpet, neq; medicina, quæ sanet: Deinde expresè Schismaticorum & hæreticorum errorum mentionem facit: hæreticos igitur à zizaniis excludere non potest.

CLXIX. His ergo, declarationis gratia, præmissis, hæreticos occidi à Christo fuisse prohibitum, ex hoc loco probamus duobus potissimum argumentis:

1. Ubicunq; hæretici cum Orthodoxis relinqui jubentur, ibi hæreticorum prohibetur occisio.

Sed hoc in loco jubentur relinqui: voluit enim Dominus zizania crescere cum tritico, Ergo.

CLXX. Ad minorem respondent nonnulli per inficiationem: Negant enim per zizania, intelligendos esse solos hæreticos, sed omnes omninò facinorosos in moribus & fide, idq; probant. 1. Ab appellatione Agri, qui non tantum Ecclesiam, sed mundum notat: in mundo autem non tantum hæretici sunt, sed & flagitiosi alii. 2. Ab explicatione ipsius Christi, qui zizania interpretatur vers. 41. de scandalis & iis, qui faciunt iniquitatem, quod soli hæretici non faciunt.

Beza f. 129.

CLXXI.

CLXXI. At, rationes istæ nihil concludunt. Nam. 1. Agrum illum non esse universum mundum, sed Ecclesiam, inde colligitur, quod non regna mundi, sed REGNUM COELORUM comparatur agro vers. 24. quin & docet tota συνέχεια istius capitis, Christum non de negotiis mundi, sed de rebus Ecclesiæ suæ agere: quod autem vers. 38. dicitur: Ager est Mundus, id per usitatam Scripturæ Synecdochen fit, quia nimirùm in mundo colligitur Ecclesia. Ad 2. dico: etsi hæretici non soli præbent scandala, aut operantur iniquitatem, tamen sub universo isto genere ipsi quoq; comprehenduntur, tanquam species non postrema.

CLXXII. Quod autem per zizania tantùm hæretici intelligendi sint, tria probant: 1. quia ubicunq; seminis à Christo facti fit mentio, ibi de doctrinâ fidei, non morum, semen illud accipiendum est. Doctrinæ autem fidei opponuntur hæreses, non scelera. Nam quod de quadruplici semine in parabola proximè præcedente dicitur; id de uno quidem semine verbi prædicati, sed quatuor distinctos effectus habente, intelligendum est.

CLXXIII. 2. Deinde, quia aliàs nulli prorsus facinorosi occidendi essent, nam zizania evelli & extirpari prohibentur, non aliqua, sed omnia, ubi enim Christus non distinguit, nobis etiam distinguere non licet: Id verò esset uno quasi impetu Magistratui politico jus gladii è manibus extorquere; quo nihil est absurdius.

CLXXIV. Deniq; idem probat zizanii natura: quod quoad culmum ac folia adeò simile est tritico, ut nisi ad justam pervenerit maturitatem, à tritico distingui nequeat. Unde dictum est ζιζάνιον, teste Varino, quasi σιτοιζάνιον, παρὰ τῷ σιτῷ παραπρεσσεῖν καὶ συναυξάνεσθαι, quod triticum imitatur, illud ut umbra corpus sequitur, eiq; accrescit: notatur ingenium hæreticorum omnium, qui subdolè imitantur veros verbi Doctores, ficta pietate, docendi etiam & patiendi interdum genere, ut ab iis ægrè discerni possint, donec dies messis eos secernat. Facinorosi verò alii plerumq; manifesti sunt, nec facinoribus suis quenquam facilè fallunt, ideò melius urticæ aut tribulis, quàm zizaniis conferrentur, quemadmodum Johannes Baptista tales paleis adsimilat, quæ à tritico manifestè discerni possunt Matth. 3, 12.

de

de occultè sceleratis hic sermo non est: nam si non sunt manifesti, ne puniendi quidem: quia quæ Deus solus novit, solus etiam puniet.

CLXXV. Alterum argumentum nostrum tale est: Quod hominibus interdictum, Angelis autem præceptum est, illud à nullo hominum est attentandum.

Sed evulsio zizaniorum hominibus interdicta, angelis præcepta est, uti constat ex collatione v. 29, 30. & 41. Ergo zizania evellere, hoc est, hæreticos interficere nemo Christianorum hominum attentare debet, vi interd. ch. Christi, vers. 30.

CLXXVI. Objiciunt aliqui, utroq; vocabulo, servorum & Messorum, intelligendos esse Angelos: quia omnes Angeli sunt servi, seu ministri à DEO emissi: & sic nequaquam hominibus, præsertim magistratui zizaniorum evulsionem interdictam esse, sed certo Angelorum ordini: distinguete enim Christum inter duo distincta officia Angelorum, quorum unum est generale, inservire hominibus, alterum ordinarium & certum, messorum nimirum, & pertinet ad certum Angelorum ordinem. *Celsus.*

CLXXVII. Sed non possunt Angeli hoc loco simul dici Servi & Messores:

Nam 1. duo distincta genera nominum adhibentur, quod alias necesse non fuisset: Nam in ultima Messe, hoc est, in novissimo judicio omnes Angeli venient cum Christo, Matth. 25, 31. 2. De Servis dicitur, quod ignoraverint, diabolum tritico immiscuisse zizania: De Angelis verò probari non potest, quod ignorent, quid à Diabolo agatur inmundo.

CLXXIIX. Verùm satis de hoc loco, qui sufficienter ostendit, Christum prohibuisse, ut ad mortem usq; in hæreticos animadvertatur. Alter extat Luc. 9, 54. ubi cum discipuli voluissent, ut ignis de cœlo descenderet, & Samaritanos Christum recipere renuentes consumeret, cum increpatione prohibiti fuerunt, à Deo, dicente, an nescitis, cujus Spiritus filii estis: filius hominis non venit animam perdere, sed salvare.

CLXXIX. Respondet ad hunc locum Bellarminus 1. latissimam esse differentiam inter Samaritas illos & hæreticos: Illi enim nunquam promiserant, se Christi religionem servaturos, sed tunc primùm eis offerebatur, & ideò compellendi non erant: at hæretici promiserunt, professíq; sunt, se Christi fidem servaturos, ideò meritò compellun-

pelluntur. 2. Jacobum & Johannem, ait, non tam zelo salutis animarum, quàm amore vindictæ cupiviſſe Samaritas comburi, Eccleſiam vero zelo ſalutis animarum, quam hæretici perverterunt, eos perſequi, quo zelo CHRISTUS vendentes templo ejecit, Petrus Ananiam & Sapphiram interfecit, Paulus fornicantem Satanæ tradidit. &c.

CLXXX. Ad 1. reſpondeo: Differentia illa proficiſcitur ex malo principio, quod clarius proponit ad hunc locum Greg. de Valentia, quod nimirum mitius ſit agendum cum iis, quibus primùm proponitur Evangelium, quales erant Samaritæ, quàm cum aliis, qui jam illud recepetunt, quos vi compellendos eſſe ſcribit. Sed hanc differentiam ignorat Scriptura, quæ Chriſtum ſemper ſibi ſimilem habet, talem nimirum, qui non ferro, ſed Verbo regnum ſuum tuetur & amplificat: & ratio illa, quam CHRISTUS ipſe addit apud Lucam, ubiq; locorum, & apud omnes populos valet: veniſſe nimirum Filium hominis, non ut perdat, ſed ſalvet.

CLXXXI. Falſum autem eſt, quod ſcribit Bellarminus, eos, quibus primùm offer-

offertur Evangelium, compellendos non esse: aliter enim docuit Salvator in parabola Luc.14,23. ubi convivator præcipit famulis, exeant ad eos, qui juxta vias & sepes jacebant, (quæ notatio erat gentilium nondum conversorum, & extra pomeria Ecclesiæ adhuc degentium) & compellant eos intrare: quod fit, non, si externa vi è medio tollantur, tales enim non convertuntur, sed everruntur, & vi coacti hypocritæ fiunt, non veri Christiani: verùm cum partim doctrinâ legis terrentur ipsorum conscientiæ, ut Medicum animarum quærere cogantur; partim etiam, quando à Magistratu Politico ad audiendum Verbum per legitima media adiguntur.

CLXXXII. Ad 2. Quod Apostoli Samaritorum internecionem intempestivo zelo postulaverint, non negamus: ideò enim CHRISTUS eos objurgat: an nescitis: cujus Spiritus filii sitis? neq; etiam prolixè disputabo, quo zelo Inquisitores Hispani sæviant in eos, etiam non auditos, quos levissimo saltem indicio à Romana Synagoga alienos esse deprehendunt: Sufficit, quod hujusmodi violentam hominem convertendi rationem Christus interdixit, addita gravissima ratione, non tantum de com-

compescendâ vindictâ privatâ, verum etiam de considerando Christi officio, quod est hominum salutem quærere, non interitum.

CLXXXIII. Sufficienter igitur, ut arbitror, hactenus probavimus, Christum non tantum, hæretici ut interficerentur, non præcepisse: sed & ne fieret prohibuisse. Similem prohibitionem habemus apud Paulum nostrum 2. Corinth. 10, 4. ubi, cum personæ suæ vilitatem à contemtu Corinthiorum vindicasset, ait tandem, arma militiæ suæ non esse carnalia; innuens hoc ipso, se quidem extraordinaria uti posse potestate ad compescendos contradicentes, sed id non esse sui muneris, accepisse enim sese potestatem ad eorum ædificationem, non ad destructionem 2. Cor. 10, 8. & 13, 2.

CLXXXIV. Progredimur ad quartam argumentorum classem, quæ deducitur inde, quod ad fidem nemo cogi debet aut potest. Nam voluntarium populum expetit Dominus Psal. 110, 3. Et ut ille ait, non potest esse sincerum, quod coactum est, nec Christo gratum est, nisi quod voluntarium. Sed in hæreticos ad mortem usq; sævire, nihil aliud esset, quàm animos hominum *Erasmus.*

quàm animos hominum cogere velle, in quos tamen homo nullum habet imperium: Cogitationes enim animorum non ferro & vi externa, sed cogitationibus contrariis instillandis superantur; quam ob causam in jure Canonico nova & inaudita vocatur prædicatio, quæ verberibus exigit fidem, dist. 45. Quid autem.

CLXXXV. Et testatur experientia coactionem in religionis negotiis semper malè cessisse. Aut enim hypocritas fecit, qui pœnæ metu quidvis pro fide Catholica receperunt, aut tumultus privatos, publicasq; persecutiones excitavit, quas sæpenumerò veritatis divinæ hostes sub prætextu religionis susceperunt: quod exemplo Vandalorum in Africa, Gothorum in Italia, Arianorum in Græcia, Mahometanorum in Turcia probari posset, sicubi opus fuerit. Facilè enim fieri potest, ut alienæ fidei socii ad fidem nostram coacti, versa rerum facie, simili crudelitate persequantur persecutores aut conversores suos, primos illius crudelitatis architectos.

Sciop. Scalig. hypobol. p. 321.

CLXXXVI. At enim, inquit novitius quidam crudelitatis Antichristianæ ὑπερασπιστής: 1. Fatetur Christus, neminem venire ad se, nisi Pater traxerit eum, Johan. 6. 2. Si

2. Si qui hoc pacto coguntur, non tam ad fidem, quàm ad solicitudinem fidei coactio fit, quod accidit credentibus hæreticis, & in errore stolidioribus, quos non tantum correptione, sed centum plagis, hoc est, pœnis ac incõmodis compescẽdos esse ait.

CLXXXVII. Ad primum dico: Frivola prorsus argumentandi ratio ab actione DEI intra hominem, ad externam violentiam hominum. Trahit Deus hominum animos verbo suo tanquam verriculo & reti, quo ex nolentibus facit volentes, ut tandem externo quoq; opere internam voluntatis suæ conversionem ostendant: Magistratus autem externa vi ferè nihil aliud efficere potest, quàm ut externis actibus se consentire simulent, animis plerumq; semper repugnantibus.

CLXXXIIX. Alterum quod objicitur, inane cavillum est; non enim hoc quæritur, num, qui segniores sunt in fide, compescendi sint legitimis mediis, ut majorem fidei & salutis suæ curam habeant: sed num externa vi, præsertim capitali, qualis inquisitoribus Hispanis familiaris est, cogendi sint, aut cogi possint: media longè meliora sunt, diligentior institutio; erroris, cui hactenus patrocinati fuerunt, denu-

denudatio; solida ejusdem refutatio, utilitatisq; & certitudinis doctrinæ divinitùs inspiratæ demonstratio. &c.

CLXXXIX. Bellarminus aliam adfert instantiam, quasi illi, qui fidem veram nondum sunt amplexi, ad eam non sint cogendi: ii verò, qui in Baptismo eam sunt professi, sed jam resilierunt, cogendi sint, ut eam servent. Sed hæc distinctio nullo nititur fundamento: imo si quid dandum est discriminis, contrarium potiùs hoc in genere observandum esse docetur in parabola Luc. 14, 17. ubi qui jam erant intra Civitatem Domini, hoc est, Judæi per Sacramentum circumcisionis in Ecclesiam recepti, humaniter invitantur ad cœnam magnam: Reliqui verò, qui foris sunt, intrare compelluntur.

CXC. Sed ne tergiversari videamur, & coactionem intelligit civilem, quæ fit gladio Magistratus politici, probanda ipsi erat tam temeraria adsertio: Si enim omnes, qui à fœdere Baptismi resiliunt, gladio feriendi essent, nemo hominum, ne quidem Magistratus ipse, aciem gladii effugere posset. De coactione verò Ecclesiastica seu Spirituali nos quoque largimur: ea verò coactio sit, cum fœdus, quod cum

DEO

DEO inierunt, ipsis subinde inculcatur, delicti gravitas ostenditur, pœna subsecuturæ exaggerantur, & quæ similia ex Lege proponi possunt, quibus animi rondum prorsus indurati commoveri, & ad frugem reduci possunt: Fuisse autem homines ad servandam fidem DEO datam capitali pœna unquam coactos, vix ullo aliquo doceri potest exemplo.

CXCI. Hinc rectè & prudenter monuit D. Augustinus Epist. 127. *Onerosior est quam utilior diligentia, quæ vis magnum deseratur malum, & magnum teneatur bonum, cogi tantum homines, non doceri*: & iterum *corrigi eos volumus, non necari.*

CXCII. Probamus ulterius institutum nostrum, ex testimonio Orthodoxæ antiquitatis, uti prolixè Tertulliani, Chrysostomi, Cypriani, Hieronymi, Lactantii sententias & judicia de hac quæstione pro nobis adducere possemus: sed brevitati studentes, unicum tantùm Augustinum consulemus arbitrum, cujus alioquin autoritatem in hac quæstione Pontificii, ut caput aliquod Medusæ, nobis objicere solent.

CXCIII. Ex hujus igitur Epistolis (ut alia ipsius Scripta iubens præteream,)

in quibus ex professo hanc materiam tractavit, tria inprimis argumenta colligi possunt, quibus hæreticos interficiendos non esse, feliciter ostendit: ad epistolas enim suas ipsemet in hac quæstione provocat Epist. 158. ubi sic scribit: *Si Proconsul perstitit, velle gladio vindicare, quanquam sit Christianus, & quantum advertere possemus, non sit ad hæc cruenta proclivis, tamen si necesse fuerit, etiam gestis jubere allegari epistolas meas, quas de hac re singulas vobis mittenda putavi.*

CXCIV. Primum igitur argumentum petit ab utilitate ipsorum hæreticorum, quibus spacium resipiscendi dandũ esse docet: posse enim Dominum infirma membra sanare, modo ne nimia impietate præcidantur. Ita enim scribit ad Donatum Africæ Proconsulem Epist. 127. *Ex occasione terribilium judicum ac legum, ne in æterni judicii pœnas incidant, corrigi eos cupimus, non necari, nec disciplinam circa eos negligi volumus, nec supplicia, quibus digni sunt, exerceri: sic igitur eorum peccata compesce, ut sint, quos pœniteat peccasse, &c.* Cumq; amice rogasset ipsum, ut potestatem occidendi se habere oblivisceretur; addit tandem: *Non tibi vile sit, neq; contemtibile, fili honorabiliter dilectissime, quod nos rogamus, ne occidantur,*

Tom. 2. fol. 641.

dantur, pro quibus Dominum rogamus, ut corrigantur.

CXCV. Secundum petit ab honesto: Facere enim hoc ad servandam conscientiam nostram, & ad mansuetudinem Ecclesiæ commendandam: qua de re ita scribit ad Marcellinum tribunum & notarium, Epist. 158. *Pœna sanè illorum, quam vis de tantis sceleribus confessorum, rogo te, ut præter supplicium mortis sit, & propter conscientiam nostram, & propter Catholicam mansuetudinem: Ipse enim fructus ad nos pervenit confessionis illorum, quia invenit Ecclesia Catholica, ubi suam erga atrocissimos inimicos ferver, atq; exhibeat lenitatem.* Tom. 2. fol. 718.

CXCVI. Tertium, à diversitate Ecclesiastici & Politici regiminis: quod argumentum proponit his verbis Epist. 160. ad Apringium judicem: *De vobis quidem dixisse, Apostolum legimus, quod non sine causa gladium geratis, & ministri DEI sitis, vindices in eos, qui malè agunt: Sed alia causa est provinciæ, alia est Ecclesiæ: illius terribiliter gerenda est administratio, hujus clementer commendanda est mansuetudo.* Quo in loco etsi nequidem facinorosos, & contra Leges Politicas etiam peccantes, suo quodam fretus judicio (ne nimirum Martyrium Tom. 2. fol. 722.

pati viderentur, seu ut ipse loquitur Epist. 158. ne passiones servorum Dei, quæ debent esse in Ecclesia gloriosæ, inimicorum sanguine dehonestentur) vult interfici, satis tamen est, ostendere, quid ipsi fuerit animi in hac quæstione de interficiendis hæreticis, quales erant Circumcelliones, pro quibus ista hæc scribebat.

CXCVII. Objiciunt autem, quotquot pro hæreticorum morte verba faciunt, Augustinum hanc sententiam suam retractasse; in quam rem allegant duo loca: Primum ex lib. 2. Retract. 50. ubi scribit: *Suot duo libri mei contra partem Donatistarum. In primo libro dixi, mihi non placere ullius secularis potestatis impetum schismaticos ad communionem violenter arctari: & verè tum mihi placebat: quia nondum expertus eram, vel quantum mali eorum auderet impunitas; vel quantum eis in melius mutandis conferre potest diligentia disciplinæ.*

fol. 210. CXCIIX. Alter locus extat Epist. 50 ad Bonifacium, ubi leges Imperatorum de tollendis hæreticis laudat, easq; in usum Donatistarum cessisse scribit, qui per eas correcti fuerint, & quotidiè corrigantur, & se correctos esse, & ab illa furiosa pernitie liberatos gratias agunt: Idq; confir-

confirmat exemplo civitatis suæ Hipponis, quæ legum Imperialium timore coacta ad Catholicam veritatem fuit conversa. Ad utrumque aliquid dicendum est, ut de sententia Augustini aliquid certi constet.

CXCIX. Quod ergò locum ex lib. Retract. attinet, observandum 1. quod ibi de morte verbum nullum, sed de arctatione seu coactione, quæ etiam alio modo, quàm per mortis violentiam fieri potest. 2. Non agit de hæreticis solùm, sed de hæreticis, qui simul sunt Schismatici, hoc est, de iis, qui non tantum errorem in fide aliunt, & disseminant, sed insuper Schismata, tumultus & seditiones faciunt, sicut expressè scribit, sibi olim placuisse SCHISMATICOS ad communionem violenter arctandos non esse: ita enim ipse definit hæreticos Schismaticos, qui se ab aliis aliter sentientibus segregabant, illosq; armis vexabāt & impugnabāt.

CC. Tales erant olim Dona istæ & Circumcelliones, qui non tantum pernicioſum in doctrina errorem fovebant, & hinc inde disseminabant, sed insuper armis & exquisitis suppliciorum generibus persequebantur Orthodoxos, quemad-

modum Epist. 160. plus justo mitior fuit in ejusmodi Circumcelliones, qui presbyteros Orthodoxos pessimè tractaverunt, unum eorum exceptum insidiis trucidaverunt, alterum è domo raptum, oculo effosso, digitoque amputato truncaverunt.

CCI. Pro ejusmodi nebulonibus olim se ex caritate Christiana intercessisse scribit, cum nondum expertus esset, quantum mali auderet ipsorum impunitas: de hæreticis autem, quatenus simpliciter tales sunt, sine seditionis aut aliorum facinorum accessione, nihil tale habet: imò si retractare voluisset suam de non occidendis hæreticis sententiam, necesse fuisset, ut vel loca ea omnia, ubi eandem tractavit, recitaret, vel saltem communem propositionem istam, hæretici capite plectendi sunt, vel his vel aliis verbis, substitueret, quorum neutrum ab ipso factum fuisse, certum est.

CCII. Clarius id patet ex Epistola 50. ad Bonifacium, quam Adversarii pro se allegant. Ibi enim primùm in genere dicit, Donatistas & Circumcelliones non propter hæresin, sed propter iniquitatem, & propter Christianæ unitatis impiam

piam

plam divisionem sublatos fuisse: deinde in specie longo catalogo recitat Donatistarum & Circumcellionum scelera, & inprimis illorum, pro quibus apud Apringium judicem intercesserat, qui presbyteris Orthodoxis oculos extinxerant, & cujusdam Episcopi manus & linguam præsciderant, nonnullos etiam trucidaverant, fol. 221.

CCIII. Refert præterea, quomodo domos deprædati fuerint, per nocturnas aggressiones & incendia, non solùm privatorum habitaculorum, verùm etiam Ecclesiarum, in quas flammas non defuisse scribit, qui & Codices Dominicos mitterent fol. 222. quomodo innocentium, qui eos offenderant, domus, aut depositi fuerint ad solum, aut ignibus cremaverint, fol. 214. quomodo Patresfamilias honesto loco natos, & generoso cultu educatos, vix vivos post eorum cædes abstulerint, vel vinctos ad molam, & eos in gyrum ducere, tanquam jumenta, contemptibilia verberibus adegerint. ibid. *Idea operum Jesuitico-rum.*

CCIV. Addit insuper, sic laborasse eorum furorem, ut aut Orthodoxos occiderent, ut suæ crudelitatis pasce-

rent libidinem, aut etiam seipsos, ne perdidisse videantur occidendorum hominum potestatem, fol. 212. per aquas & flammas seipsos occidere, quotidianum illis fuisse ludum scribit: Hæc enim eos tria mortis genera diabolum docuisse, ut mori volentes, quando non invenirent, quem terrerent, ut ejus gladio ferirentur, per saxa se mitterent, aut ignibus gurgitibusq; donarent, fol. 214.

CCV. Non sunt hæreticorum opera, sed prædonum, sicariorum, sacrilegorum, parricidarum latrocinia, in quæ si pii Imperatores gravissimè animadverterunt, si Augustinus etiam de pristina clementia nonnihil remisit, & in Imperatorum edicta consensit, nihil utrinque ab officio Christiani hominis factum est alieni. Hæreticos autem occidendos esse propter impiam, quam spargunt doctrinam, ex Augustino nunquam probari potest.

CCVI. Civitatem Augustini quod attinet, ea quidem metu Legum Imperialium ad fidem Orthodoxam coacta fuit: Sed ista coactio plures fecit Hypocritas, quàm veros Christianos, neque admodum diu duravit, sed quamdiu pœnæ metus:

tus: neq; enim omnes sunt Christiani, qui ore se tales profitentur; Deus cor hominis aspicit, externa professione non est contentus. Sed hæc de Augustini sententia sufficiant.

CCVII. Accedit denique pro adsertionis nostræ confirmatione consuetudo primitivæ Ecclesiæ, in qua ad fidem neminem coactum fuisse, Ecclesiastica testatur historia.

CCIIX. Socrates reprehendit hoc nomine Theodosium quendam Synadæ Civitatis Phrygiæ Pacatianæ Episcopum, quod cum non esset consuetudo Ecclesiæ Orthodoxæ, ut quenquam persequeretur, nihilominus tamen hæreticos persecutus fuerit, idq; non zelo rectæ fidei, sed avaritia adductus pecunias ex hæreticis colligere studuerit: quo in genere annon Pontificii simile quid habeant, sapientes judicabunt. *Lib. 3. hist. cap. 7.*

CCIX. Primus Imperator Christianus fuit Philippus Arabs, sub quo pestiliens exorta hæresis est Helcesaitarum, qui ex universâ Scripturâ quædâ approbabant, ac rursus quædam cùm ex veteri tùm ex novo Instrumento usurpabant, Apostolum prorsus rejiciebant, librum quendam *Circa annũ Christi 247. Euseb. lib. 6. cap. 38.*

circumferebant, quem cælitus delapsum, & si quis illū audiat ac credat, hunc peccatorum remissionem, aliam ab ea, quam Christus impertivit, accepturum dicebant, referente Origine in Psal. 82. neque tamen hos hæreticos ab Imperatore gladio sublatos esse legitur.

Circa annū Christi 325. Socrat. lib. 1. cap. 8.

CCX. Sequebatur Christianissimus ille Imperator Constantinus Magnus, cujus Imperium incidit in illam Sectarum omnium Metropolin, Arianam videlicet, cumq; & viribus valeret, neque qui hoc suaderent, destitueretur, noluit tamen hæresiarcham Arium durius, quàm exilio punire.

Circa annū Christi 385.

CCXI. Theodosius Major mulctam pecuniariam in hæreticos sanxit, mortis autem pœnam dictare non fuit ausus, haud dubiè non intermissurus, si lege divina se ad id obligatum esse credidisset.

CCXII. Theodosius Junior admodum commendatur à Socrate lib. 7. c. 42. ob clementiam, quodq; Proclum Episcopum Constantinopolitanum ideò habuerit in pretio, quod is placidus omnibus fuit hæreticis, & hoc se pacto eos magis, quam violentia attracturū præcogitavit.

CCXIII. Cap. 29. idem Theodosius & Valen-

Valentinianus Imperatores laudantur, quod Nestorii Novitii Episcopi sævitiam in hæreticos cohibuerunt: Nam cum Nestorius publicè alloqueretur Imperatore his verbis insolentissimis: Da mihi, Imperator, terram ab hæreticis repurgatam, & ego tibi vicissim cœlum dabo. Dispersde mecum hæreticos, & ego tecum dispersdam Persas: memorat Historicus, Imperatores hunc ejus impetum admonendo cohibuisse: tandem etiam ipsius Nestorii famosam hæresin non morte, sed exilio vindicarunt. *Circa annũ Christi 435. vide & Eusebium lib. 7. hist. Eccl. cap. 29.*

CCXIV. Ex his exemplis constat, quid primitivæ Ecclesiæ in more fuerit: Nam ante Theodosii tempora hæreticos capitali supplicio non fuisse adfectos, certum est: & quid de legibus Valentiniani & Martiani contra hæreticos promulgatis, sentiendum sit, supra Thesi 123. & sequent: dictum est.

CCXV. Augustinus certè per integrum novennium in Manichæorum fuit hæresi: neq; tamen legitur quenquam in ipsum igne aut ferro animadvertere voluisse, quod si factum fuisset, quanto Ecclesiæ doctore jam careremus? Ergo ex hoc etiã exem-

exemplo pristinæ Ecclesiæ consuetudinem videre licet.

CCXVI. Quod si conciliorum autoritate in hac quæstione standum est; satis est, quod nobile illud & à plusquam trecentis Patribus collectum Concilium Nicenum Arium legitimè damnatum, non tamen Imperatori Constantino necandum tradidit; quod haud dubiè factum fuisset à sanctis Patribus, si vel legi divinæ vel sanctionibus Orthodoxæ Ecclesiæ fuisset consentaneum.

CCXVII. Simile quid factum est in Concilio Colonienſi, Anno octavo Constantii Imperatoris, Christi 347. in quo omnium Episcoporum consensu Euphratas Arianus Episcopus Colonienſis, voce Maximi Trevirorum præsidis proclamatus est blasphemus in Spiritum Sanctum, eatenus, quod Christum negavit, & tamen capitis damnare ipsum non fuêre ausi. sed *hanc mediocritas mea fert sententiam*, inquit præsul, *sicut Dei & Domini nostri Salvatoris ore prolata est: dicentis: Omnia peccata & blasphemiæ remittuntur hominibus; qui autem blasphemaverit Spiritum Sanctum, non remittitur ei, neq; hic, neq; in futuro, sed reus erit æterno judicio: ideo Episcopum eum, manifestum*

est,

eſſ, eſſe non poſſe, Contenti igitur fuerunt, ut ab Epiſcopatu removeretur.

CCXIIX. Idem omninò fecére omnes Synodi: nec uſpiam legitur, Synodale decretum hæreticum in Synodo convictum, & damnatum tradidiſſe Magiſtratui. Primùm hoc attentavit infelix illa Synodus Conſtantienſis Anno 1415. quæ Johannem Huſſum & Hieronymum Pragenſem, licet non convictos, ſed ex recepta Papicolarum conſuetudine pro hæreticis proclamatos, quemadmodum olim Paulus Judæis dicebatur hæreticus Act. 24. verſ. 12. contra fidem datam politico Magiſtratui tradidit, ut comburerentur.

CCXIX. Hæc ergò ſunt præcipua adſertionis noſtræ fundamenta, quibus ſtabilimus partim ex ſacris Scripturarum dictis & exemplis; partim ex firmiſsima ratione, partim ex Orthodoxorum Patrum conſenſu, & primitivæ Eccleſiæ conſuetudine; hæreticos, quatenus tales, interficiendos non eſſe.

CCXX. Ne tamen videamur, cum Epicureis noſtris & latæ Religionis hominibus, ſtatuere quenquam poſſe, vel debere credere quidquid voluerit; ne etiam videamur hæreticorum Patrocinium,

per

per omnia in nos recepisse: restat nunc, ut paucis sententiam nostram de cohercendis hæreticis exponamus.

Caput VI.

Quomodo cohercendi sint hæretici?

CCXXI. Hic verò ante omnia distinguendum est inter officia Episcoporum & Magistratus Politici: ea enim διὰ λόγου πάσου distincta esse oportet, alias intolerabilis rerum confusio in Ecclesiam introduceretur.

CCXXII. Episcoporum seu Ministrorum Ecclesiæ officium quo ad hæreticos, triplex est juxta doctrinam Apostolicam. 1. Diligens inquisitio & observatio: hoc enim est cavere Pseudoprophetas, attendere, ne forte in sincerum doctrinæ Evangelicæ ministerium clanculum sese insinuent dolosi operarii, qui impietate doctrinæ seducant imperitiores: quod si de quibusdam conjectura est, sedulò observent, & inquirant in ipsorum studia & actiones, quemadmodum Apostolus hortatur Rom. 16, 17: *Rogo vos fratres, ut obser-*

observetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt.

CCXXIII. 2. Alterum officium est admonitio semel atq; iterum repetita. Non enim oportet verbi ministros esse canes mutos, sed potentes ad redarguendum: ideoq; D. Paulus vult non unam saltem, sed & alteram adhortationem ad hæreticos instituendam esse. Tit. 3, 10. in qua & error ex Scriptura ostendendus, errans debita severitate objurgandus, & Ecclesiastica pœna tergiversanti interminanda est.

CCXXIV. Hoc est, quod monemur Cant. 2. *Capite nobis vulpeculas, quæ demoliuntur vineas; nam vinea nostra gemmas protrudit.* De quo loco ita scribit Augustinus Serm. 107. de temp. *Quid est Capite? id est, comprehendite, convincite, confutate, ne exterminentur Ecclesiasticæ vineæ: quid est aliud vulpes capere, quàm hæreticos divinæ legis autoritate revincere, & sanctarū Scripturarū testimonijs velut quibusdam vinculis alligare atq; constringere?*

CCXXV. 3. Tertium est executio: quod si enim ne sic quidem aliquid efficitur, sed is, qui hæreseos ex Scriptura convictus, pertinaciter eam tuetur, tunc ad populum deferendus est, hæresis publicè refutanda,

tanda, & ut omnes ab ejusmodi homine tanquam seductore & perturbatore sibi caveant, sedulò monendum: hoc enim est hæreticum hominem post unam & alteram admonitionem παραιτεῖσθαι, devitare, rejicere, & omne commercium ejus, quoad ejus fieri potest, fugere.

CCXXVI. Quod si severiorem istam animadversionem adipernatus fuerit, neq; Ecclesiæ judicium audiverit, tunc adhibeatur ultimum remedium, Ecclesiæ adhuc relictum, ut nimirum per excommunicationem legitimam, tanquam morbidum membrum ab Ecclesia rescindatur, juxta præceptum CHRISTI: Si Ecclesiam non audierit, sit veluti Ethnicus & Publicanus Matth. 18, 17: & hoc pacto Apostolus Paulus scribit, se Hymenæum & Alexandrum tradidisse Satanæ, ut discerent non blasphemare 1. Tim. 1, 20.

CCXXVII. Hinc est illud Augustini quæst. 59. in Deuter. Hoc nunc agit in Ecclesia excommunicatio, quod agebat tunc (in V. T.) interfectio. Et lib. de fide & operibus c. 2. Phinees Sacerdos adulteros simul inventos ferro ultore confixit: quod utique degradationibus & comminationibus significatum est, esse faciendum hoc tempo-

tempore: cum in Ecclesiæ disciplina visibilis fuerit gladius cessaturus. Et tantum Ecclesiæ ministeř faciat in cohercendis hæreticis.

CCXXIIX. Magistratus quatuor habet, quæ hoc in casu agat.

1. Curet ante omnia, ut ministerium Ecclesiæ sit purum, ab omni suspicione hæreseos alienum. Quam in rem publicis edictis, Scriptis & Confessionibus veram doctrinam comprehendere, & administris publicorum Officiorum subscribendam proponere prodest.

CCXXIX. 2. Ne tam facilè insinuare sese possint falsi Doctores, ad ministros suos in Politicis & Ecclesiasticis muneribus juramento religionis sibi devinciat, exemplo Josuæ c. 24, 25. qui percussit cum populo suo fœdus, ut auferrent Deos alienos, & servirent Domino DEO. Exemplo Joasi 2. Reg. 11, 17. qui per Jojadam summum Sacerdotem pepigit fœdus inter se & Dominum, & inter se & populum: Exemplo Josiæ 2. Reg. 23, 3. qui fœdus percusit coram Domino, ut ambulatent post Dominum, & custodirent præcepta ejus & testimonia, & ceremonias in omni corde, &c.

CCXXX. 3. Ministros Ecclesiæ vel malè viventes, vel impiè docentes, officio deponat, aliosq; & sinceritate doctrinæ & integritate vitæ commendatos, accedentibus totius Ecclesiæ suffragiis, substituat.

CCXXXI. 4. Falsæ doctrinæ disseminatores ab Ecclesiastico Ministerio legitimè convictos, & tamen etiamnum vel voce, vel scripto alios seducentes compescat, eosq; vel carcere mulctet, ut & ipsi sapere discant, & aliis molesti esse desinant: vel ad suos procul abire jubeat, ut ad minimum sui territorii incolæ ab eorum veneno tuti esse possint.

CCXXXII. Quod si ad frugem revertantur severiore ista pœna correcti; non est consultum, ut in pristinum locum in Ecclesia restituantur, ne ad vomitum redeundi occasionem habeant, sed inter Auditores locus eis relinquatur, ut magis magisq; errorem pristinum detestari pergant, & in agnita veritate confirmentur.

CCXXXIII. Qua tamen vel carceris vel exilii pœna (si rem recta lance appendamus) non puniuntur ut hæretici, sed ut turbatores pacis publicæ, & legum publicè pro-

cè promulgatarum temerarii transgressores: siquidem ex Confessionibus & edictis publicis eos latere nequeat: eam, quam propagant hæresin, in ista, unde excluduntur, regione non tolerari.

CCXXXIV. Quod si accesserint ad hæresin alia facinora, puta seditiones, tumultus, insidiæ Magistratibus positæ, & si quæ sunt his similia, qualia in Donatistis & Circumcellionibus tempore Augustini deprehensa fuerunt, integrum erit Magistratui, ut & capitis pœnam delinquentibus decernat: tunc enim non ut hæretici, sed ut flagitiosi puniuntur, & non in peccata primæ, sed secundæ tabulæ gladio animadvertitur.

CCXXXV. Idem esto judicium de blasphemis, qui absq; fronte & manifestis verbis Deum Patrem & Filium & Spiritum Sanctum blasphemant pertinaciter, quemadmodum eo nomine à Judæis interdum supplicium sumtum est, & Bernæ, de Valentino Gentili, Genevæ de Serveto, non tam ut Sectario quodam (quemadmodum Beza scribit in vita Calvini) quàm ut de monstro ex mera impietate horrendisq; blasphemiis conflato, quibus *Volum. 3. fol. 377.*

totos annos triginta tum voce tum scripto cœlum ac terram infecerat.

CCXXXVI. Verùm extra casum istum pius Magistratus à gladio sibi temperat: Errores enim non homines interficiendi sunt, & hoc pacto hactenus in nostris Ecclesiis contra hæreticos processum fuisse, publicè constat: quod si aliis aliter placet; ipsi viderint: *Sanè nullis bonis unquam in Ecclesia placet, si usque ad mortem in quenquam licet hæreticum sæviatur*, ait Augustinus lib. 3. contra Crescon. Grammat. cap. 50.

CCXXXVII. Longè alius observatur processus in papatu, ubi non in Doctores, sed auditores, & simplicissimum vulgus promiscuè animadvertitur; non cognitâ causa, sed audito saltem hæretici nomine, ad ignem, ad furcam, ad equuleum properatur; non admonitio instituitur una atq; altera, sed inquisitio & proditio, exemplo Judæorum, qui suos quoque habuerunt Coryæos & emissarios Ezech. 22, 9. Ose. 6, 9. Luc. 20, 20. Joh. 7, 32. neque semper exspectatur, donec in manus Magistratus incidant, sed per literas sanguinarias eos expiscantur, præ nimiâ siti sanguinis verè Christiani, quemadmodum olim

olim Semeias contra Jeremiam ejusmodi literas scripsit ad Sacerdotes Hierosolymitanos Jerem. 29, 26. & Saulus spirans minas, & cædes à Principibus Sacerdotum epistolas accepit ad Synagogas, ut quos inveniret Christianos caperet, Act. 9, 2. & tandem non in homines tantum sævitur, sed & in ædificia publica, quæ more Circumcellionum diruunt & deprædantur, eoque nomine quasi re benè gesta gloriantur, dicentes cum illis Pseudoprophetis: *Benedictus sit Dominus, divites facti sumus. Zach. 11, 5.*

CCXXXIIX. De hoc modo inquirendi in hæresin & hæreticos, nihil habet universa Scriptura sacra, nihil præscribunt jura humana: & ne quidem Ethnicis Imperatoribus Christianos propter fidem persequentibus in more fuit. Nam Trajanus Imperator ad consultationem Plinii secundi rescribens, quamvis puniri jubeat Christianos, si deferantur & arguantur, tamen prohibet eos conquiri, & libellos delatorios sine autore propositos, vetat locum habere, eò quòd pessimi sint exempli, neque illius seculi. Plinius quoq; persecutionis istius exsecutor, hæsitasse, sese scribit, num nomen ipsum Christianorum,

Vide Plin. l. 10. Epist. 97. & 98. Tertul. Apol. cap. 2. Euseb. l. 3. hist. Eccles. c. 33.

norum, etiamsi flagitiis careat, an flagitia cohærentia nomini puniantur. Quæ omnia susq; deq; habentur à Romanensibus, hodiernis Ecclesiæ persecutoribus.

CCXXXIX. Sed hanc tyrannidem autoribus suis defendendam relinquimus, qui exemplo illius Theodosii, cujus Socrates meminit, non zelo rectæ fidei, sed avaritia adducti pecunias ex hæreticis colligere student: nos eo modo, quem paucis thesibus delineavimus, hæreticorum malitiæ obviam iri, & Ecclesiæ salutem promoveri posse, speramus: quod si omnibus omninò resistere non valemus, meminerimus illud Apostolicum: *Oportet hæreses esse inter vos 1. Cor. 11.* faciat interea & ministerium Ecclesiasticum & Magistratus Politicus, quod sui est officii, de cætero Dominus providebit.

Lib. 3. hist. cap. 5.

DISPUTATIO VII.

DE DEO TRINO ET UNO.

Præside JOHANNE FÖRSTERO D.
Respondit M. NICOLAUS HUNNIUS
Marpurgensis Hassus.
27. Maji. 1608.

בְּרֵאשִׁית בָּרָא אֱלֹהִים

I.

Προοίμιον αἰτιολογικὸν, ἐγκωμιαστικὸν, διδακτικόν.

THEMATION I.

Ἀρχὴ ἁπάντων, καὶ τέλος πιστὸν ΘΕΟΝ, inquit Nazianzenus *in Monostichis* v. 1. *Doctrinæ hujus dignitas.*

II. Idque non immeritò. Ecquid enim DEUS? Ego sum α & ω, PRINCIPIUM & FINIS, PRIMUS & NOVISSIMUS, Is Ipse de se pronunciat, Apoc. 1. & 22.

III. Jure igitur, sub initium nostræ Professionis, disputationem instituimus, eamq; omnium *primam*, de DEO.

IV. Præsertim, cùm idem suadere videatur tempus jam præsens, quo, de-

summo hoc Religionis nostræ mysterio, *primoq́* Theologiæ *principio*, in Ecclesiâ agi consuevit.

Utilitas & necessitas.

V. Ut sicco quasi pede transiliam ineffabilem doctrinæ hujus *utilitatem*, de qua Ipsemet æternus æterni DEI FILIUS: *Hæc est Vita æterna, ut* COGNOSCANT *Te solum verum* DEUM, *& quem misisti* JESUM CHRISTUM. *Joh. 17. v. 3.*

VI. Et *Athanasius* in symbolo v. 1. 2. 3. *Quicunq́ vult salvus esse: ei ante omnia opus est, ut teneat Catholicam fidem: Quam nisi quis integram inviolatamq́ servaverit; absq́ dubio in æternum peribit.* FIDES AUTEM CATHOLICA EST, UT UNUM DEUM IN TRINITATE, ET TRINITATEM IN UNITATE VENEREMUR, &c.

VII. Maximè verò omnium utilis pariter, summeq́; necessaria est accurata Articuli hujus repetitio, & defensio, propter vipeream *Nearianorum* θεομαχούντων progeniem, quam subinde longiùs latiùsque proserpere, non absq; dolore, experimur.

Διάταξις

IIX. Revocabimus autem totam hanc πραγματείαν, κατ' ἀκριβεστέραν μέθοδον, σαφηνείας καὶ εὐπαρακολουθήτου ἕνεκα, ad V. Capita.

9. In

IX. In quorum 1. præmittemus προγνωσιν terminorum, quorum hoc in articulo usus est.

In 2. ponetur κατάστασις, id est, Constitutio status controversiæ.

In 3. pertexetur κατασκευὴ τῆς ὀρθοδοξίας.

In 4. subtexetur ἀνασκευὴ τῆς κακοδοξίας, seu potius βλασφημολογίας Antitrinitariorum.

In 5. eorundem κρησφύγετα, & ψευδοδημέλια diruentur.

X. JEHOVAH ELOHIM, pro cujus Majestate Divina jam præliari animum induximus, gratiâ & benedictione sua nobis adsit, ut labor isthic in nomine, ac Numine Ipsius susceptus ad Ecclesiæ & Juventutis Theologicæ οἰκοδομὴν quamplurimum faciat, propter suam Ipsius Majestatem Divinam, Amen. εὐχή.

II.

Singulorum Capitum ἐξήγησις

Cap. I. quo præmittitur ἔκθεσις τῶν προγνωσκομένων.

XI. Principium in omni disputa-

tione, & re est *nomen*, ait Galenus *de methodo medendi cap.5.* Quò spectat & vetus illud: πρὸς τὸ ὀρθῶς διδάσκειν δεῖ πρῶτον ἐξετάζειν τὰ ὀνόματα. Cui suffragantur è Philosophis Aristoteles, *1. post. Anal. cap.1.* & Themistius, *ibid. cap. 4.* è Theologis Augustinus *in lib. de princ. Dial. c. 2. itemq; in lib. de doctrina Christiana.*

6. προγινωσκόμενα. XII. Nominum autem, vel terminorum, quorum πρόγνωσις propositâ in materia necessariò prælibanda, potissimi sunt hi: 1. יְהוָה 2. אֱלֹהִים 3. ὑπόστασις vel persona. 4. οὐσία. 5. ὁμοούσιος. 6. Trinitas. De singulis, ὡς ἐν προπαιδείᾳ, breviter & ordine.

יְהוָה 1. XIII. Nomen יְהוָה usitatè dici solet τετραγράμματον, καὶ ἀνεκφώνητον, itemq; שֵׁם הַמְּפוֹרָשׁ.

XIV. Τετραγράμματον ideò, quòd quatuor literis essentialibus constet.

XV. Ἀνεκφώνητον verò propter essentiam DEI, quæ illo denotatur, *ineffabilem.* Lege *Petrum Galat. lib. 2. cap. 1.*

XVI. שֵׁם הַמְּפוֹרָשׁ id est, *nomen expositum* vocatur. (1.) quia illud veteres Hebræorum per nomina 12. & 44. literarum exposuerunt, & (2.) quia meliùs adhuc,

atq;

atq; distinctiùs, & lucidiùs à Messia exponendum fuerat. *Galat. lib. 2. cap. 10.*

XVII. Estque nomen illud παναγιον solius DEI proprium. Septuaginta verterunt Κύριος, Lutherus HERR, literis majusculis, ad distinctionem nominis אֲדֹנָי, quod vertit Herr, literis minusculis. *Exod. 4.* NOMEN MEUM יְהוָה non indicavi eis. *Esa. 42.* EGO JEHOVAH, HOC est NOMEN MEUM. *Psal. 83.* אַתָּה שִׁמְךָ יְהוָה לְבַדֶּךָ TU NOMINE TUO SOLUS JEHOVAH.

XIIX. Et sanè, sicut cætera Ejus nomina, quorum permulta recensèri solent alibi: *Galat. libr. 2. c. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17.* Ipsum à *proprietatibus*, & *effectis* in creaturis describunt: ita è diverso *nomen ter-benedictum* יְהוָה quasi digito indice ostendit *Ipsius substantiam & quidditatem*, uti Galatinus loquitur *lib. 2. c. 10.*

XIX. Notationem illius Nominis quod attinet: ea nesciri dicitur ab Autore jam nominato. lib. 2. c. 10. *Nominis, quod scribitur quatuor literis* יְהוָה nescitur derivatio nota, *nec ipsum cum alio participat.* Vulgò tamen ab הָיָה vel הָוָה quod idem, quod ESSE, significat, deduci consuevit;

vit; idque autoritate Ipsiusmet JEHOVÆ. *Ex. 3.* אֶהְיֶה אֲשֶׁר אֶהְיֶה *ERO qui ERO.*

XX. DEUS enim solus est ἀυτόθεος, *Ex. 3, 14. Apoc. 1, 8.* omniumq; *Entium*, quatenus *entia*, conditor, & conservator. *Joh. 1, 3. Col. 1, 16, 17.*

XXI. Porrò, *quid sit DEUS*, & quæ χαρακτὴρ, Ejusdem ἰδιώματα, non est opus, ut hic inseratur, cùm illud ex libris abundè constet compendiariis.

XXII. Subjungimus potiùs *2. prægnitum*, quod est nomen אֱלֹהִים. Cujus singulare usitatissimum est in sancta, & lingua, & scriptura: *Deut. 32, 15. Psal. 50, 22. Psal. 114, 7. Dan. 11, 38. Heb. 1, 11.* usurpatur tamen de DEO frequentissimè in numero plurali.

2. אֱלֹהִים

XXIII. Quo insinuatur, *per illud Tres Divinas personas intelligi debere*, ut iterum Galatini verbis utamur. *lib. 2. cap. 9.*

XXIV. Imprimis, cùm non tantùm cum verbo singulari constructum reperiatur, in locis Scripturæ infinitis; sed etiam cum Verbis & Nominibus *pluralis Numeri. Gen. 20, 13. c. 35, 7. Deut. 5, 26. Jos. 24, 19. 2. Samuel. 7, 23. Jerem. 23, 36. Psalm. 58, 12.*

25. Su-

XXV. Superſunt reliqua vocabula in Articulo præſente uſurpari ſolita, ut ſunt: ὑπόστασις, οὐσία, ὁμοούσιος, Trinitas, quæ itidem breviſſimè ſunt explicanda.

XXVI. Et vox ὑπόστασις quidem eſt ἔλεγχος. De CHRISTO enim profitetur Apoſtolus: *Heb.* 1, 3. quòd ſit ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ Πατρὸς, καὶ χαρακτὴρ τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. 3. ὑπόστασις.

XXVII. Cæteri autem termini, etſi αὐτολεξεὶ, & κατ' ὄνομα in ſcripturis non leguntur; habetur tamen inibi: 1. τὸ πρᾶγμα quod terminis illis indigitatur: 2 eorum σύζυγα vel alia ἰσοδυναμοῦντα, unde illi, bonâ conſequentiâ, elici & deduci poſſunt.

XXIIX. Ubi percommodè obvenit acutum & argutum illud Theodoreti: *Dial.* 2. εἰ τὰ πράγματα ὁμολογοῦμεν: τί δήποτε φοβούμεθα τὰ ὀνόματα; præſertim cum neceſſitas & commoditas id ſuadeat.

XXIX. Et nomen οὐσία ſanè nititur autoritate Ipſiusmet JEHOVÆ gemina vice apertiſſimè *Ex.* 3, 14. profitentis, quòd nomen ſuum ſit ὁ ὤν, *Ille qui* EST. οὐσία.

30. De

5. ὁμοούσιον. XXX. De voce ὁμοούσιον tenendum, quòd per illam significetur essentiæ unitas, id est, una æternitas, una Voluntas, communis operatio, una gloria; quodque non modò efficta sit, ad imitationem vocabuli τριάς, quod à Matthæo cap. 6. v. 11. usurpatur: sed quòd etiam fundata sit in illo CHRISTI: *Joh. 10.* EGO ET PATER ἕν ἐσμεν, id est, μία οὐσία vel ὁμοούσιοι.

XXXI. Et in Canone illo Theologico maximè architectonico: TRES SUNT, *qui testimonium perhibent in Cœlo*; *PATER* ὁ λόγος, *&* *SPIRITUS SANCTUS, ET (NB.) HI TRES UNUM SUNT*, id est, Unus essentiâ DEUS, vel ὁμοούσιοι. 1. Joh. 5.

6. Trinitas. *XXXII.* Eodem ex dicto, & quidem ex voce TRES, verâ, & necessariâ consecutione colligitur nomen TRINITATIS.

XXXIII. Nec quicquam fidei tribuendum est iis, qui vocabula isthæc ab *Athanasio* demum contra Arianos excogitata esse dictitant; quandoquidem illa apud Patres ætate multò priores Athanasio reperiantur. *Justin. Mart. in lib. cui titulus:* ἔκθεσις πίστεως, περὶ τῆς ὀρθῆς ὁμολογίας, ἤτοι περὶ

περὶ τῆς ἁγίας καὶ ὁμοουσίου τριάδος. *Clem. Alexand. lib. 5. στρωμ. Orig. tom. 1. in Es. cap. 6. Tertull. in lib. de Trinit. Lactant. lib. 4. de ver. sap. 39.*

XXXIV. Cæterùm, quæ turbæ in primitivâ olim Ecclesiâ ortæ fuerint de vocibus οὐσία & ὑπόστασις, & quomodo hæ voces invicem differant: Scriptores testantur Ecclesiastici, qui, ea de re poterunt consuli. *Sozom. lib. 6. c. 12. Socr. lib. 3. c. 7. & 12. Ruffinus lib. 1. c. 29. Epist. Basilii 43. Augustinus Tom. 3. de Trin. lib. 5. c. 8. 9. 10. & lib. 7. cap. 4. 6.*

XXXV. Jam saltem ex Præceptoribus nostris huc referantur illarum definitiones.

XXXVI. οὐσία itaque nominatur, quod revera est, etiamsi est communicatum.

XXXVII. ὑπόστασις verò, vel (quod illi est συνώνυμον) persona est substantia individua, intelligens, incommunicabilis, non sustentata ab alio. *Damascenus in Dialect. c. 43.* χρὴ δὲ γινώσκειν, ὡς οἱ ἅγιοι πατέρες ὑπόστασιν, καὶ πρόσωπον, καὶ ἄτοπον τὸ αὐτὸ ἐκάλεσαν.

XXXIIX. Atq; hæc πρὸ ἔργων quasi, & ὡς ἐν προδιδασκαλίᾳ, de terminis, vel vocabulis, quorum, in primario hoc Religio-

ligionis nostræ capite, usus est frequentissimus. Stratâ & paratâ itaque nobis hoc pacto viâ: rectâ jam linea ad rem ipsam.

Cap. II. In quo proponitur, & exponitur status controversiæ.

XXXIX. Ut autem *status controversiæ*, in quo totius hujus disceptationis cardo volvitur, ἀκριβέστερον καὶ σαφέστερον formetur: primò utiq; per ἀφαίρεσιν τὰ μὴ ζητούμενα sejungimus, & deinde verum ζητούμενον subjungemus.

Τὰ μὴ ζητούμενα

XL. Non igitur hîc præcipuè quæritur: *an unus sit DEUS?* Hoc enim in confesso est, non solùm intra Ecclesiam, sed etiam extra Ecclesiam, apud Judæos, & Turcas, addo etiam ex Ethnicis sanioribus Aristotelem, *11. Metaph. c. 10. sub finem.* adeò, ut laterem lavare videri possit is, qui Scripturæ testimonia, unitatem Divini Numinis comprobantia, prolixè percensere velit.

XLI. Adscribemus tantùm potissima eorum loca: *Deut. 6, 4. 1. Reg. 18. Marc. 12, 29. Joh. 17, 3. Rom. 3, 30. 1. Cor. 8, 6. Gal. 3, 20. Eph. 4, 5. 1. Tim. 2, 5.*

42. Nec

XLII. Nec hoc solummodò in quæstionem venit: *An tres sint Divinitatis personæ?*

XLIII. Etsi enim istud blasphemè negarunt non saltem in primitiva olim Ecclesiâ Noëtus, Sabellius, Praxeas, & alii, qui uno nomine dicti fuerunt *Patripaßiani*, & *Monarchiani*: sed Patrum quoque nostrorum ætate Michaël Servetus, Arrago Hispanus: (*Chemn. tom. 1. loc. com. fol. 85.*) Scriptura tamen ἀποδείξεις suppeditat planè pleneq; adamantinas, quæ id ipsum potentissimè evincunt. *Ex. V. T. Psalm. 33, 6. Es. 61, 1. c. 63, 7. It. Num. 6, 24. Ps. 67, 7. Es. 6, 3. c. 33, 22. Ex N. T. Matth. 28, 19. Joh. 15, 26. 2. Cor. 13, 13. 1. Joh. 5, 7.*

XLIV. Cumprimis verò huc pertinet ἀπόδειξις illa ὀφθαλμοφανὴς, θεοφάνεια videlicet Maximè solennis, *Matth. 3.* quæq; tam illustris est, & evidens, ut Athanasius Antagonistas suos solitus fuerit eò remittere, hac ferè προσφωνήσει: *Ibis ad Jordanem, & ibi audies, & videbis.*

XLV. Verùm hæc potissimum quæstio sub disputationis aleam jam vocatur: *An DEUS non modò sit unus essentiâ: sed an etiam Is Ipse trinus sit in personis*, vel, ut alia loquendi formulâ utamur: *Utrum DEUS,* τὸ ζητούμενον.

sicut unus est essentia: ita quoque in unitate essentiæ Divinæ tres sint personæ realiter distinctæ, & per se subsistentes, eæq; omnes & singulæ ὁμοούσιοι, συναΐδιοι, καὶ ὁσότιμοι.

XLVI. Hoc nempe verum est ζητούμενον, cujus partem *affirmativam*, furenter impugnant, partem verò *negativam* ore & calamo blasphemo propugnant Antitrinitarii.

XLVII. Quorum duo potissimùm exercitus. Alter complectitur Veteres, alter recentes.

Veteres Antitrinitarii in triplici differentia.

XLIIX. *Veteres* vicissim distribui possunt in tres ordines, quorum 1. fuit τῶν ἀνυποστάτων. 2. τῶν ἑτεροσίων. 3. τῶν ἀνομοίων.

1. ἀνυπόστατοι.

XLIX. 1. Ἀνυπόστατοι dicti sunt, qui ipsam tum *FILII*, tum *SPIRITUS SANCTI* ὑπόστασιν Divinam insectari ausi sunt, soli Patri æternam & Divinam ὑπόστασιν relinquentes.

In Cent. 1.

L. In *primâ* statim, à *CHRISTO* nato, *centuriâ*, extiterunt, præter Judæos, Ebion, & Cerinthus, qui docuerunt; *CHRISTUM esse merum hominem ex commixtione Josephi, & Mariæ natum.* Eusebius lib. 3. c. 27. & 25. lib. 7 c. 23. Epiph. lib. 1. tom. 2. hær. 28. & 30. Augustinus ad Quod-vult-Deum c. 8. & 10. 1. Cent. Magd. fol. 483. 484.

51. Qui-

LI. Quibus in *secunda* Centuria succesſerunt Carpocrates, & Artemon, qui eandem hæreſin reſuſcitarunt. *Cent. 2.*

LII. *In tertia* Centuria vixit 1. Beryllus qui CHRISTUM, antequam homo fieret, non extitiſſe nec per ſe perſonam ſuiſſe, impiiſſimè contendit. *Euſeb. lib. 6. c. 32. Hieron. in catal. ſcript. Eccleſ.* *Cent. 3.*

LIII. 2. Paulus *Samoſatenus*, qui dixit, CHRISTUM non fuiſſe ſemper: ſed eſſe ſultem communem hominem, in quem Pater inſpirarit Verbum ſuum, &c. SPIRITUM verò ſanctum nihil aliud eſſe ampliùs, quàm ἐνέργειαν ἀνυπόστατον creatam in cordibus electorum. *Euſeb. lib. 7. c. 27. & 30. Epiph. lib. 2. Aug. de hæreſ. c. 44. Socrat. l. 2. cap. 19. Cent. Magd. 3. fol. 108. 109.*

LIV. In *quartâ* Centuriâ Photinus inſtauravit damnatam antea Ebionis, Cerinthi & Samoſateni hæreſin, de quo *Hiſt. Trip. l. 5. c. 5. 6. 7. 8.* *Cent. 4.*

LV. In *ſeptima* demum Centuriâ orti ſunt Mahometiſtæ, vel Turcæ, qui ad hodiernum uſq; diem eundem ἀθεϊσμὸν armatâ manu tuentur. *Act. 12, 29, 53.* *Cent. 7.*

LVI. *II.* Ordinem τῶν ἑτεροδόξων conſtituit Arius cum ſua ſecta χριστιανῶν, quæ 2. ἑτερόδοξοι.

quæ olim per totum Orientem & Africam latissimè sese diffudit.

LVII. Et concessit quidem Arius, quòd ὁ ΛΟΓΟΣ fuerit ὑπόστασις πρὸ τῶν χρόνων καὶ αἰώνων: sed asseruit tamen, quòd sit κτίσμα καὶ ποίημα ἐξ οὐκ ὄντων, adeoque nec ἀϊδίου, nec Patri ὁμοουσίου. Phrasis ei maximè familiaris erat: Ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν. *Hist. tripart. l. 1. c. 15. Epiph. lib. 2. tom. 2. hær. 69.*

LIIX. Negabant etiam Ariani æternam SPIRITUS SANCTI DEITATEM, eumq; κτίσμα τοῦ κτίσματος (FILII videlicet) contumeliosè appellabant. Alii verò eum duntaxat pro dono & virtute DEI habebant. *Cent. 4. Magd. f. 319. 320. 321. 322.*

LIX. Inter τοὺς ἑτερουσίους quoq; referri posse videtur *Joachimus Abbas*, qui circiter A. C. 1215. vixit, & docuit; *PATREM, FILIUM, & SPIRITUM SANCTUM esse unam essentiam, sed unitate non verâ & propriâ; sed quasi collectivâ, & similitudinaria.* Cent. 13. Magd. fol. 565.

3. ἀνόμοιοι. LX. III. Ordinis τῶν ἀνομοίων autores & sectatores præcipui fuerunt, Aëtius, Eunomius, & Eudoxius, qui contendebant *FILIUM, etiamsi æqualis sit PATRI in sub-*

in substantiâ: non tamen ei similem esse potentiâ & operatione. Chem. tom. 1. Loc. com. fol. 141.

LXI. Eorum contribules fuerunt *Macedoniani*, qui senserunt, FILIUM quidem PATRI per omnia esse similem, contra Arianos: SPIRITUM SANCTUM verò cum PATRE & FILIO nihil habere commune: sed servum & ministrum non DEUM: sed creaturam esse, secundum Arianos. Unde etiam cognominati fuerunt *Semiariani*; Omnes autem eorum σύμμαχοι uno nomine πνευματομάχοι. Cent. 4. Magd. f. 362. 363. 364. 365.

LXII. Tantum de Veteribus Antitrinitariis: *Recentes* quod attinet, eorum omnium Patriarcha meritò statuitur Michaël Servetus Arrago Hispanus, qui circiter annum CHRISTI 1531. delirium Sabellii & Samosateni ex Orco in Ecclesiam revocavit. *Antitrinitarii recentes in duplici differentia.*

LXIII. Ex ejus enim scholâ, quotquot postea extiterunt & adhuc existunt, omnes prodierunt Antitrinitarii.

LXIV. Uti fuerunt, annis superioribus, Valentinus Gentilis, Georgius Blandrata, Matthæus Gribaldus, Paulus *1. Antitr. recentes qui superiori. anno extiterunt.*

Alciatus, Johannes Sylvanus, Adamus Neuserus, Gregorius Pauli, Franciscus Davidis, Ochinus, Lælius Socinus, & alii. *Legatur cap. 23. part. 1. Cent. XVI. Osiandri.*

Antitrinitarii qui hodiè furunt.

LXV. Hodie verò ex abominabili hac Hydrâ, Lernea illâ multò nocentiori, repullulârunt & adhuc repullulant, non modò in remotis Daciæ & Transsylvaniæ, ejusq; confinibus locis: sed etiam in viciniori Poloniæ tractu Voidovius, Osterodus, & alia Ariomanitarum nostri seculi monstrosissima capita.

LXVI. Qui, licèt peræg̃tè ferant, se *Arianos* appellari: ad unum tamen omnes revera idem docent, quod veteres olim Ariani. Unde non injuriâ *Neariani* dici merentur.

LXVII. Agite producamus propria eorum ὁμολογήματα, eaque cum doctrinâ Arianorum veterum jam modò breviter, & ὡς ἐν τύπῳ adumbrata, conferamus.

I. DE CHRISTO.

Blandrata in disp. Albana actione 6. diei. *Non agnoscimus aliquem* DEI FILIUM, *qui non sit homo, & hunc dicimus esse* DEUM, *1. Quia de* SPIRITU SANCTO *conceptus est. 2. Quia data est illi potestas in cælo &*

le & in terra. 3. Quia ubiq; testatus est CHRISTUS se esse FILIUM DEI. Sommerus fol. 11. refut. Carolini. *Dixit Arius, ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν: Erat aliquando, cum non esset; idem dicimus nos.*

II. DE SPIRITU SANCTO.

Servetus lib. 1. de Trinit. pag. 28. *SPIRITUM SANCTUM non rem aliquam separatam: sed DEI agitationem quandam, seu inspirationem Virtutis DEI designari dicimus.* Sommerus contra Carolin. p. 167: *SPIRITUM SANCTUM DEUM esse, & distinctam habere à PATRE ὑπόστασιν negamus, cum universa Scriptura: esse autem Illum motum tantùm in animis excitatum, non dicimus: sed fatemur esse occultam vim, & ἐνέργειαν DEI, quæ nos in vitam æternam regenerat.*

LXIIX. Unde liquidissimè patet, quod novi hodiè Antitrinitarii non modò sint veterum Arianorum progenies germana: sed multò etiam magis blasphemi in æternum DEI FILIUM, quam illi. Illi enim ipsum πρὸ χρόνων καὶ αἰώνων extitisse, fatebantur. Hi autem in utero demum virginis initium sumsisse, ore maledico vociferantur.

LXIX. Nec verò hîc thesibus nostris

Calvinus Judæ-arizanizans.

ſtris indictus abibit *Calvinus*, qui *teſtimonia Scripturæ* quamplurima de Trinitate, CHRISTIq; & SPIRITUS SANCTI Deitate, ſtrophis ſuis lubricis & gloſſis ambiguis ita torquet, pervertit, enervat: ut tum à Judæis, tùm ab Arianis facilè elidi & eludi poſſint. Imò eo ipſo via ſternitur planiſſima, & porta bipatens panditur Judaicæ pariter & Arianæ impietati.

LXX. Cujus farinæ quoq; ſunt *Phraſes* valdè *impropriæ*, quibus quidam Calvini Judæ-arianizantis diſcipuli uti non erubeſcunt, quæq; non immeritò à Theologis orthodoxis notantur. *Bucanus* cauſam Fidei vocat DEUM, & (NB) σωσάντα FILIUM & SPIRITUM SANCTUM in *inſtit. Theol. f. 273. & f. 305.* Juſtificationis efficientem dicit eſſe DEUM & cauſam & (NB) σωσῳγὸν CHRISTUM. *Keckm. in Syſtem. Theol. f. 93.* negat divinam eſſentiam admittere communicationem, ideoq; dicit FILIUM à ſeipſo habere divinam eſſentiã. *Ibid. f. 48.* vocat PATREM FILIUM, & SPIRITUM SANCTUM tres juſtificantes, & tres autores juſtificationis. *Goclenius* vocare ſolet tres Divinitatis Perſonas *cauſas ſocias Creationis.*

71. Atqi

LXXI. Atq; hæc est opinio Antitrinitariorum falsa & blasphema, quâ status controversi, in sublimi hoc Religionis Articulo, partem negativam affirmant: affirmativam negant.

LXXII. Ecclesia autem Orthodoxa, inde à primo usq; Mundi exordio, semper contrariam professa, & tutata est sententiam, qua partem affirmativam constanter approbavit: negativam autem rejecit & damnavit, ut vel ex Athanasiano & Niceno Symbolis hoc sole est illustrio. *Theses veræ doctrinæ.*

LXXIII. Ut verò sententia Orthodoxa clariùs & distinctiùs proponatur: aliquot de ea theses rotundas & perspicuas subjicere placet.

LXXIV. Quarum 1. est *Non modò unus est* DEUS *essentiâ: sed in illa una essentiâ divina tres sunt personæ.*

LXXV. 2. *Harum prima* (non ratione, temporis, & dignitatis; sed ratione ordinis) *dicitur* PATER, *secunda* FILIUS, *tertia* SPIRITUS SANCTUS.

LXXVI. 3. *Eæ omnes & singulæ sunt ejusdem essentiæ, ejusdem gloriæ, & majestatis, & ex æquo coæternæ.*

LXXVII. 4. *Distinctæ tamen sunt invicem certis quibusdam proprietatibus personalibus,*

quæ usitate ἰδιώματα χαρακτηριστικὰ, ἢ ὑποστατικὰ dici solent.

LXXIIX. 5. Proprietas personalis PATRIS est (ἡ γέννησις) quòd ab æterno genuit FILIUM. FILII Ps. 2, 7. Act. 13, 33. Hebr. 1, 5. & 5, 5. (τὸ γεννητὸν εἶναι) quòd ex PATRE ab æterno genitus. SPIRITUS SANCTI (ἡ ἐκπόρευσις) quòd in enarrabili productione, ex PATRE pariter & FILIO procedit. Joh. 15, 26.

LXXIX. Sed quia Apostolus 1. Pet. 4. præcipit εἴ τις λαλεῖ· ὡς λόγια τοῦ θεοῦ· consequens est, ut jam, in tertio hujus πραγματείας capite, ἐκ τῶν θεοπνεύστων λογίων (quo nomine Dionysius sacras literas appellat) θέσις τῆς ὀρθοδοξολογίας nostræ confirmetur.

CAPUT III.

Quo κατασκευὴ, sive confirmatio τῆς ὀρθοδοξίας pertexitur.

LXXX. Erit autem hæc κατασκευὴ vel confirmatio bipartita. Demonstrandum enim est, 1. Quòd tres Personæ Divinitatis realiter sint distinctæ, & quidem tres distinctæ ὑποστάσεις, contra Antitrinitarios ἀντιτριτάρους. 2. Quòd Personæ omnes

omnes & singulæ sint ὁμοούσιοι, & unus verus, & naturâ DEUS, contra ἑτερουσίους καὶ ἀνομοίους.

LXXXI. Ac *primò* quidem, quòd tres Divinitatis personæ realiter sint distinctæ, adeoq; tres distinctæ ὑποστάσεις; subsequentes docent, & evincunt rationes numero quatuor. 1. *Tres Divinitatis personas esse tres distinctas* ὑποστάσεις *probatur IV. rationibus.*

LXXXII. 1. *Quia nulla de alia prædicatur, & nulla alteri inest, ut accidens subjecto.* PATER enim non est FILIUS, aut SPIRITUS SANCTUS; nec FILIUS est PATER, aut SPIRITUS SANCTUS; nec SPIRITUS SANCTUS est PATER, aut FILIUS: sed ALIA EST PERSONA PATRIS: ALIA FILII: ALIA SPIRITUS SANCTI, inquit Athanasius in Symbolo v. 7.

LXXXIII. 2. *Quia* FILIUS ET SPIRITUS SANCTUS, æquè ut PATER, *ab æterno extiterunt.* Sic enim I. DE FILIO. יְהוָה קָנָנִי רֵאשִׁית דַּרְכּוֹ *Prov.* 8. DOMINUS POSSEDIT ME (generando acquisivit, Gen. 4, 1.) INITIO VIÆ SUÆ. *Joh.* 1. IN PRINCIPIO ERAT (non incipiebat, non fiebat) Ὁ ΛΟΓΟΣ & Ὁ ΛΟΓΟΣ ERAT ΠΡΟΣ ΤΟΝ ΘΕΟΝ καὶ ΘΕΟΣ ἮΝ (NB.) Ὁ ΛΟΓΟΣ ἦν ERAT

ERAT *in principio* (NB) πρὸς τὸν Θεόν. Beda presbyter: *Quater dicit Evangelista,* ERAT, ERAT, ERAT, ERAT, *ut intelligeres, omnia tempora præveniſſe coæternum* DEO PATRI VERBUM. II. DE SPIRITU SANCTO. *Gen. 1.* רוּחַ אֱלֹהִים SPIRITUS ELOHIM FEREBATUR SUPER AQUAS. Et *Hebr. 9.* appellatur ΠΝΕΥΜΑ ΑΙΩΝΙΟΝ.

LXXXIV. 3. *Quia utriq; &* FILIO, *&* SPIRITUI SANCTO, *talia opera & effecta tribuuntur, quæ ſubſtantiæ per ſe ſubſiſtenti & intelligenti, eique ſingulari competunt.* Actiones enim propriè ſunt ſingularium, ut ſingularia ſunt. *Scal. exer. 281. ex. 1. Metaph. c. 12.* Unde & tritum illud in Schola Theologica: *Qui loquitur in Scripturis, non eſt* DEUS *univerſalis, neque ipſa ſpecies* DEI: *ſed eſt* DEUS *quidam ſingularis. Cum ſola ſingularia ſint, & loquantur, atq; agant.*

LXXXV. Poſſunt autem *effecta & propria,* quæ FILIO, & SPIRITUI SANCTO in Scripturâ attributa reperiuntur, diſtinctionis gratia, viciſſim in tres claſſes diſtribui.

LXXXVI. 1. Quædam enim attributa leguntur ubiq;, ut creare, Gen. 1, 2. 3. Pſ. 33, 6. loqui, vivificare, *Joh. 5, 21. Job. 33, 4. 2. Cor.*

2. Cor. 3, 6. docere Joh. 16, 14. Joh. 14, 26. & alia quamplurima.

LXXXVII. 2. Quædam FILIO, ut assumere humanam naturam, Ebr. 2, 16. populum regere, comitari per deserta, &c. Num. 11. & 20. 1. Cor. 10.

LXXXIIX. 3. Quædam SPIRITUI SANCTO, ut apparere, Matth. 3, 16. descendere, assumere speciem columbæ, & in ea requiescere super CHRISTUM.

LXXXIX. 4. *Quia proprietates Characteristicæ non tantùm PATREM, FILIUM, & SPIRITUM SANCTUM invicem distinguunt: sed etiam faciunt, ut sint* ὑποστάσεις, *vel personæ* ἀνυπόστατοι καὶ ἰδιοσύστατοι.

XC. Alius est enim PATER FILIUM GIGNENS; Alius est FILIUS A PATRE GENITUS; Alius est SPIRITUS SANCTUS A PATRE, ET FILIO PROCEDENS.

XCI. *Quomodo* autem *FILIUS* à *PATRE* sit genitus, & quomodo *SPIRITUS SANCTUS* ab utroque procedat: de eo teneatur istud Basilii. *hom. 16. Hexaem.* ἀνεπινόητον λογισμοῖς, καὶ ἀφατον ῥήμασιν ὁ τρόπος τῆς θείας γεννήσεως. Et hæc gravissima Nazianzeni senten-

tenti-

tentia *in oratione de statu Episcopali.* ἀκούεις γένησιν τὸ πῶς μὴ περιεργάζου, ἀκούεις ὅτι τὸ Πνεῦμα τὸ πορεύον ἀπὸ τοῦ Πατρὸς, τὸ ὅπως μὴ πολυπραγμόνει.

2. Quod tres personæ DEITATIS sint omnes & singulæ ὁμοούσιοι, βεβαίωσις quadruplex

XCII. Atque hactenus de primo κατασκευῆς nostræ membro: aggrediamur & *alterum*, probaturi, quòd tres Divinitatis personę omnes & singulæ sint ὁμοούσιοι, adeoque unus verus, & naturâ DEUS.

XCIII. Etsi enim *PATER, FILIUS, ET SPIRITUS SANCTUS*, ut hactenus ostensum, verè & realiter invicem sunt distincti καθ' ὑπόστασιν: κατ' οὐσίαν tamen non sunt divisi: sed unaquæque ὑπόστασις vel persona τρόπον ὑπάρξεως habet intra, & non extra illam unam & eandem essentiam Divinam.

XCIV. Quòd PATER verus sit DEUS, operosâ probatione minimè indiget; cùm de Deitate ipsius in Ecclesiâ nunquam fuerit dubitatum.

XCV. Χριστομάχοι autem & Πνευματομάχοι semper extiterunt, qui & *FILII & SPIRITUS SANCTI DEITATEM* ore, & stylo impio furiosè oppugnarunt, & adhuc oppugnant.

XCVI. Adversus hos nobis est depugnandum acriter & alacriter: Et quidem

dem quadruplici armorum genere, quæ nobis à *SPIRITU SANCTO*, ex instructissimo scripturæ armamentario, suppeditantur.

XCVII. 1. Desumitur *à nomine JEHOVAH* in V. T. & DEUS, vel DOMINUS in N. T. *DEI* solius proprio & essentiali, quod utrique tum *FILIO*, tum *SPIRITUI SANCTO* tribuitur. Idque vicissim bifariam.

XCIIX. 1. *Apertè, & explicitè*, ut: *DE FILIO* in V. T. *Jer. 23. HOC EST NOMEN MEUM*, quod vocabunt Eum JEHOVAH, Justicia nostra. In N. T. *Joh. 1, 2. Heb. 1, 8. Act. 16, 31. & 34. c. 20, 28. Rom. 9.* DEUS in omnibus laudandus in secula. *Tit. 2.* MAGNUS DEUS *1. Joh. 5.* DEUS (NB) VERUS, & Vita æterna. DE SPIRITU SANCTO *Act. 5, 3. 1. Cor. 3. c. 6, 19, 20. c. 12, 4, 5, 6.*

XCIX. 2. *Implicitè*, & ita tamen, ut, vel per allegationem in N. T. vel ex collatione Scripturarum in N. vel V. T. facilè possit elici. DE FILIO. In V. T. *Gen. 12, 1. & seq. Ex. 3, 2, 4, 14. Num. 14, 26. c. 20, 2. Psal. 2, 7. Psal. 45, 1. Psal. 68, 19. Esa. 6, 8. Joel. 2, 4. Esa. 45. 23.* In N. T. *Actor. 7, 3. Actor. 7, 30, 38. 1. Cor. 10, 4. Act. 2, 17, 33. Heb. 1, 5. Act. 13, 33. Eph. 4, 8.*

Joh.

Joh. 12, 41. Rom. 14, 11. Phil. 2, 2. DE SPIRITU SANCTO. In V.T. Ex. 4, 21. Num. 12. 2. Sam. 23, 2. in N.T. Matth. 10, 19, 20. 2. Pet. 1, 21. 1. Cor. 2, 16. Es. 40, 13. Es. 6, 10. Act. 28, 25. Ps. 95, 9. Heb. 3, 7.

C. II. FILII & SPIRITVS SANCTI Deitas æterna firmissimè vereq; ἀδιαστάτως astruitur ex propriis Essentiæ Divinæ attributis, quæ utriq; assignantur, ut sunt æternitas, immensitas, omnipotentia, omniscientia, perfecta sanctitas.

CI. Ac 1. æternitas, Prov. 8, 23. Esa. 9, 6. Mich. 5, 2. 1. Joh. 1, 1. Heb. 9, 14. 2. Immensitas, 1. Joh. 1, 6. Ps. 139. Sap. 1, 7. 3. Omnipotentia, Joh. 16, 15. Phil. 3, 21. 1. Cor. 12, 6. 4. Omniscientia, Joh. 2, 25. c. 16, 20. Marc. 14, 13. Apoc. 2, 23. 1. Cor. 2, 10. 5. Perfecta sanctitas, Heb. 7, 26. Act. 5, 3. 1. Cor. 3, 16.

CII. III. Idipsum confirmatur ab ἐνεργήμασι, & operibus solius DEI propriis, quæ itidem tum FILIO, tum SPIRITVI SANCTO tribuuntur & quibus ipsemet FILIUS DEI suam Deitatem adversus Judæos asseruit. Ut sunt 1. Creatio Gen. 1, 2. 3. Ps. 33, 6. 1. Joh. 1. Job. 33, 4. 2. Incarnatio, Luc. 1, 35. 3. Illuminatio, Matth. 11, 27. Joh. 3, 26. 4. Vivificatio, Joh. 1, 4. Joh. 5, 21. 1. Cor. 3, 6. 1. Cor. 15. & in ἐκθέσει 3. Artic. Symb. Apostolici in Catechismo Luth. &c.

103. 4. Arti-

CIII. IV. *A cultu religiosæ adorationis,* qui soli vero DEO debetur, *Deut.6,13. Matth.4.10. Esa.42.8.* & nihilominùs tamen tum FILIO, *Actor.7,60. cap.9,14. 1. Cor.1,2. Apoc.16.* tum SPIRITUI SANCTO, *Matth.28,19. Esa.6,3. Act.28,25,45.*

CIV. Stat igitur veritas doctrinæ nostræ veræ & sinceræ firma & inconcussa, vel adversus ipsas inferorum portas, tot quippe, tamq; solidis communita rationibus, quæ omnes & singulæ locupletissimè attestantur, tres Divinitatis personas, & αὐτοσυστάτους, καὶ ὁμοουσίους esse per omnia, adeoq; ex æquo unum verum & naturâ DEUM.

CV. Sed non satis est, thesin veræ doctrinæ probare, & recipere; sed falsæ quoq; opinionis antithesin oportet improbare & rejicere atq; ita pretiosum à vili secernere (חוֹצִיא יָקָר מִזּוֹלֵל) ut verè simus os Domini. *Jerem.15.*

CVI. Et Jerem.1. à Theologo & ministro Verbi requiritur, ut non modò Veritatem cœlestem astruendo Regnum CHRISTI ædificet: sed ut quoque mendacia & blasphemias hæreticorum refutando, Regnum Satanæ destruere, allaboret.

CVII. Transeamus itaq; ab hac τῆς ὀρθοδοξίας nostræ κατασκευῆ, ad κακοδοξίας vel potius βλασφημολογίας Antitrinitariorum ἀνασκευήν, capite, quod jam sequitur, IV. suscipiendam.

CAPUT IV. Quo instituitur ἀνασκευὴ ψευδωνύμου κακοδοξίας Antitrinitariorum.

CIIX. *Hieronymus* Contra Ctesiphontem, ait: *Hæreticorum dicta & sermones enarrare, est refutare & superare. Patet enim prima fronte blasphemia, nec necesse habet, convinci, quod sua statim professione blasphemum est.*

CIX. Cùm igitur capite hujus disputationis secundo Antitrinitariorum dicta & sermones fuerint enarrati: supervacaneum fortassis alicui videri poterit, si velimus prolixè eos refutare.

Tria causarum genera, cur Antitrinit. meritò damnentur.

CX. At enim verò, ut Fides nostra stabiliatur firmiùs: impietas autem Adversariorum conspiciatur manifestiùs, retundatur potentiùs: placet tantùm in apertam Ecclesiæ lucem proferre causas: ob quas secta Antitrinitariorum, tum veterum tum recentium meritò sit damnanda, & omnibus diris execranda.

CXI. Ea-

CXI. Earum autem tria præcipuè sunt genera, quorum singula ordine proponere paucisq; exponere expedit.

CXII. *Primùm*, Ideo Antitrinitariorum hæresis execratione omnium est dignissima, *quia κατὰ διάμετρον adversatur toti Scripturæ divinitus inspiratæ*, in qua quippe tam multa, tamq; illustria τῆς μοναδος τελειοτάτης testimonia continentur. *1. Causæ, cur Antitrin. hæresis condemnanda.*

CXIII. Sed nolumus ea percensere omnia, præsertim ex N. T. in quo mysterium istud lucidissimè fuit patefactum.

CXIV. At enim-verò, quia Adversarii hæc duo potissimùm identidem strepunt, & crepant odiosissimè, simul & impiissimè 1. In toto V. T. altissimum esse de Personarum Divinitatis Trinitate silentium 2 Non posse ostendi, *FILIUM & SPIRITUM SANCTUM*, perinde ut *PATREM*, esse, & quidem propriè & essentialiter, unum verum DEUM: moræ & operæ pretium est, ut utramque περιλογίαν (licèt aliàs non Flamine, sed fulmine potiùs Divino refutandam) confundamus, & retundamus, vi, qua possumus, maximâ.

CXV. Afferemus itaque ex Veteri solum T. testimonia αὐτόπτα καὶ ἀνυπαίτευτα, quæ partim omnium trium Personarũ

conjunctim; partim FILII, ET SPIRITUS SANCTI seorsim & ἰδιωνύμως expressissimam faciunt mentionem.

CXVI. Deinde quoq; ἀναλλοιήτως evincemus: FILIUM & SPIRITUM SANCTUM unà cum PATRE esse ex æquo ἰδιοποιήτως ὄντως καὶ ὁμοουσίως unum Verum DEUM.

1. Genus Testimoniorum pro S. Trin. è V. T.

1. Testam.

CXVII. Ad priorem ergo ἀπόδειξιν referimus I. illam memorabilem apparitionem *Genes. 18. v. 1.* trium Virorum, quos Abraham Patriarcha hospitio excepit; & quidem oratione singulari vereq; mystica, qua τριάδα videns μονάδα adoravit. אֲדֹנָי אַל־נָא תַּעֲבֹר (NB) DOMINI MEI NE TRANSIVERIS.

CXIIX. Fuerunt quidem hi tres Viri angeli: per eos autem tres Divinitatis Personas, adeoq; sacratissimum TRINITATIS mysterium, modo quodam mystico, revelatum esse, rectè statuitur, tùm propter circumstantiam textus, tùm propter autoritatem Theologorum veterum *August. serm. 20. de tempore lib. 16. de civit.* DEI *cap. 29. Eusebii in vita Const. Nicephori lib. 8. cap. 30. Greg. Nysseni de Trin.* & recentium *Lutheri in Genesi super hunc locum. Et in 1. tomo Isl. fol. 202.*

119. Al-

CXIX. Alterum testimonium pro asserendâ Trinitate ex V. T. est τρισάγιον Angelicum *Esa. 6.* SANCTUS, SANCTUS, SANCTUS DOMINUS DEUS ZEBAOTH. 2. Testim.

CXX. Hîc quippe ternâ nominis SANTUS repetitione, non notatur indefessa Angelorum, in canendis DEI laudibus, assiduitas, sicut Calvinus Judaizans aniliter fabulatur: sed Personarum in Divinæ essentiæ unitate TRINITAS.

CXXI. Id quod constat non solùm ex illa triplicatione: sed ex illius quoq; in N. T. allegatione, *Johan. 12. Actor. 28.* quâ τρισάγιον illud ad FILIUM etiam, & SPIRITUM SANCTUM directè applicatur.

CXXII. Imò Veteres quoq; Hebræi, & eorum Rabini τρισάγιον istud Angelicum de Trinitatis mysterio interpretati sunt; & quidem per nomen 12. literarum, sicut Petrus Galatinus *lib. 2. cap. 1.* è vetustissimis Judæorum libris refert. *In eo, quod ter dicit Sanctus: Tres personas Divinas expressè designat. Quod per Rabi Simeonem, Johai filium, & Rabi Jonathan Uzielis filium, super textum hunc expressè probatur. Nam R. quidem Simeon sic Hebraicè ait.* קָדוֹשׁ קָדוֹשׁ קָדוֹשׁ אַב

קָדוֹשׁ וְרוּחַ בֶּן קָדוֹשׁ וְרוּחַ רוּחַ הַקֹּדֶשׁ: *SANCTVS* hic *PATER*, *SANCTVS* hic *FILIVS*, *SANCTVS* hic *SPIRITVS SANCTVS*. R. verò Jonathan ita Chaldaicè inquit: קַדִּישׁ אַבָּא קַדִּישׁ בְּרָא קַדִּישׁ רוּחָא, Id est: *SANCTVS PATER*, *SANCTVS FILIVS*, *SANCTVS SPIRITVS SANCTVS*.

3. Testimon.

CXXIII. Tertium Testimonium desumimus ex εὐλογία illa Ecclesiastica, *Num 6*, in qua nomen *DEI* proprium יְהוָה ternâ vice positum reperitur, itidem ad mysterium istud ἀῤῥήτων καὶ ἀκαταλήπτων, (ut Damascenus *lib.1. Orth.Fid. cap.1.* loquitur) subindicandum.

CXXIV. Unde Sacerdotes non modò illam tribus digitis utraq; in palmâ erectis, & reliquis duobus depressis, antiquitus pronunciasse scribuntur: sed ejus etiam loco nomen 12. literarum (הַקְּבָּרָה) proferre consueverunt, quo pariter tres Divinitatis personas haud obscurè innuêre *Capnio Cab. l.3. f.879, è Salomone Tecensi.*

CXXV. Similes τριπλώσεις τῆς παναγίας τριάδος σημαντικὰς leguntur *Psal.97. 7. Esa.33. 22. Jerem.33. 2.*

126. Quas-

CXXVI. Quartum testimonium quod ad hoc nostrum facit institutum, extat Hag. 2. his descriptum verbis: כִּי־אֲנִי אִתְּכֶם נְאֻם יְהוָה צְבָאוֹת: אֶת־הַדָּבָר אֲשֶׁר כָּרַתִּי אִתְּכֶם בְּצֵאתְכֶם מִמִּצְרָיִם וְרוּחִי עֹמֶדֶת בְּתוֹכְכֶם אַל־תִּירָאוּ: *Quoniam ego vobiscum sum, dicit* DOMINVS *exercituum:* VERBVM, *quod pepigi vobiscum cum egrederemini de terra Ægypti; Et* SPIRITVS *meus erit in medio vestrûm, nolite timere.* 4. *Testimon.*

CXXVII. Hîc singulæ tres Divinitatis personæ exprimuntur ordine, tamq; perspicuè, ut non saltem Nostrates id agnoscant, & confiteantur: sed Tremellius quoque, & Junius in suis Bibliis, ubi sic commentatur: *Hunc locum quicunque aliter interpretantur, aut Synchysin durißimam horum duorum versuum coguntur invehere, & à Prophetæ consilio alienum, aut vim facere particulæ, quâ hîc Propheta utitur: nos verò cum mysteria* DEI *præcedente tempore magis innotuisse Prophetis, & fuisse Ecclesiæ proposita ex ipso* DEI *Verbo, agnoscamus; simplicitatem Verborum secuti & argumenti genus, statuimus* DEUM PATREM *præsentiam sui ipsius cum* CHRISTO *Servatore nostro, & cum* SPIRITV SANCTO *promittere Ecclesiæ suæ,*

atq; hoc vindice adversus omnia mala confirmare. Est itaq; hic locus de sancta Trinitate evidentissimus.

1. Genus testium pro S. Trinitate è Vet. Test.

CXXIIX. Testimonia cætera, quibus trium Divinitatis Personarum mentio fit conjunctim, brevitatis studio consultò præterimus, additurì iisdem ex V. solum T. aliqua, quibus exprimitur seorsim Nomen proprium FILII & SPIRITUS SANCTI.

CXXIX. I. Nomen FILII Ἀναφώνησις ponitur in his V. T. locis. 1. *Ps.* 2. in hac ἀναφωνήσει PATRIS ad FILIUM: *FILIUS MEUS ES TU, EGO hodie GENUI TE.* 2. *Prov.* 30. *Quis constituit omnes terminos terræ? quod est nomen ejus? & quod est NOMEN FILII EIUS, si nosti?*

CXXX. Referre quoq; huc possemus, cum Chemnitio, locum illum memorabilem *Psal.* 72: יְהִי שְׁמוֹ לְעֹלָם לִפְנֵי שֶׁמֶשׁ יִנּוֹן שְׁמוֹ (NB): *Fecit nomen ejus in secula, ante solem* FILIA IUM *est nomen Ejus.* In quem ita commentatur Burgensis in scrutinio: *Ubi textus noster dicit* (permanet) *in Hebræo ponitur verbum, quod non habet simile in toto Veteri Testamento, &, vel* FILIUM, *vel nepotem significat, & nullam aliam habet significationem: ut sensus sit: Nomen hujus Regis*

(sicut

(sicut Psalmus in principio dicit) est FILIATUM, *hoc est, per filiationem derivatum ante solem.*

CXXXI. II. Nomen SPIRITUS SANCTI reperitur *Ps.51,13. Esa.63. v.10.* Cui συνώνυμα sunt, quin etiam illo εὐφαλωτέρα: רוּחַ אֱלֹהִים *Gen.1, 2. & alibi passim:* SPIRITUS DEORUM רוּחַ אֲדֹנָי *Es.61, 1.* SPIRITUS DOMINORUM MEORUM (PATRIS scilicet & FILII, ex quo utroq; SPIRITUS SANCTUS PROCEDIT) רוּחַ יְהוָה SPIRITUS JEHOVAH. *Esa.11, 2.*

CXXXII. Sed ogganniunt Adversarii, dicta hæc non satis esse perspicua & ponderosa. Respondemus iisdem Verbis, quibus Apostolus *2.Cor.4.* incredulis respondet Judæis: *Si Evangelium nostrum velatum est, in his, qui pereunt, velatum est; in quibus* DEUS *hujus seculi excæcavit sensus incredulorum, ne illuceseret illis lumen Evangelii gloriæ* CHRISTI.

CXXXIII. Et quæ (proh DEUM immortalem!) hæc est insania; σκεβλὰς, & glossas suas contortas, & in proprio cerebellulo natas, præferre voci ipsius SPIRITUS SANCTI, per se satis perspicuæ; præsertim, cùm accesserit LUX NOVI TESTAMENTI tam clara, tamq;

fulgida totq; orthodoxorum interpretum concors ὁμοψηφία?

CXXXIV. Et quæ hæc tandem est impietas & γιγαντομαχία vel cogitatu horribilis, ea, quæ pro vindicanda gloriâ DEI contra Diabolum piissimè producuntur, instinctu Diaboli, futili & futili ψευδεπιγραφία, impiissimè indè deducere, imò per vim manifestam & notoriam planè aliò detorquere?

Demonstratur FILIUM & SPIRITUM SANCTum esse vere UNUM DEUM cum PATRE.

CXXXV. Sed progredimur ab ἀποδείξει τῆς μοναδος & τριαδος ex V. T. ad ἀπόδειξιν alteram, qua probandum: FILIVM & SPIRITVM SANCTVM una cum PATRE ESSE, & quidem propriè, & essentialiter, VNVM VERVM DEVM.

CXXXVI. Ubi 1. meritò & rectissimè urgetur ἔμφασις καὶ δεινότης verbi ESSE in dictis: *Joh. 10.* EGO ET PATER UNUM SVMVS. *1. Joh. 5.* HI TRES VNVM SVNT (VNVM SVNT, dicit Johannes, non *unum sentiunt.*)

CXXXVII. 2. Pertinent huc dicta, in quibus dicuntur *FILIVS & SPIRITVS SANCTVS ESSE in DEO*, quod aliter esse non potest, quàm per inseparabilem essentiæ identitatem. Quid enim est DEVS aliud, quàm merum & simplicissimum, idq;

idq; infinitum ENS? Quid igitur in DEO esse poterit, quod non sit eadem essentiâ DEVS? EGO IN PATRE SVM: ET PATER IN ME EST. *Johan.14.* Accepimus SPIRITVM, QVI EST (NB) EX DEO, *1.Cor.2.*

CXXXVIII. 3. Huc repeti possunt & debent ea *SPIRITVS SANCTI* oracula, in quibus *FILIO & SPIRITVI SANCTO* essentiale *DEI* nomen יהוה tribuitur. Illud enim non aliundè, quàm ἀπὸ τοῦ εἶναι deductum, nec aliam, quàm τοῦ εἶναι significationem habet.

CXXXIX. Sed satis jam diu immorati sumus primæ causæ, ob quam Alecto Antitrinitaria ad Orcum, unde prodiit, releganda: attexamus causam *alteram*, quæ idipsum faciundum imperat ideo, *quia Erinnys illa præcipua salutis nostræ fundamenta ex imis sedibus subruit & evertit.*

Secunda causa ob quam Antitrin. hæresis damnanda. IV. Relig. fundam. quæ Antitrin. destruunt.

CXL. Ac *primum* quidem *Fundamentum Redemtionis.* Etenim, si CHRISTVS non est ὄντως unus et verus ille DEVS, adeoq; infinitæ cum PATRE essentiæ & omnipotentiæ; quî potuit quæso infinitum DEVM placare, ejusq; infinitam iram sustinere? quî poterit Meritum ejus esse propitiatio pro peccatis totius Mundi?

141. Se-

CXLI. *Secundum* fundamentum, quod gens Antitrinitaria hostili impetu quassat, est *fundamentum conservationis & gubernationis Ecclesiæ.* Si enim FILIUS & SPIRITUS SANCTUS non sunt verè & essentialiter DEUS ubiq; præsens, & infinitæ essentiæ, quî poterit CHRISTUS ubique locorum efficacissimè operari? quî poterit in medio inimicorum dominari? quî poterit Electos suos contra tot tantosque Mundi & Satanæ furores tutari?

CXLII. Quomodo etiam SPIRITUS SANCTUS potest implere totum terrarum orbem, & in Ecclesiâ per tot regna & provincias intervallis magnis multisq; dissitas, dispersâ, per Verbum & Sacramenta, tam admirabiles, merèque & planè divinas exercere operationes?

CXLIII. *Tertia* Religionis nostræ Arx, quam vastant Gigantes Antitrinitarii est *Invocatio:* Ecquis enim firmâ fiduciâ debet & potest FILIUM & *SPIRITUM SANCTUM* invocare, nisi sint DEUS ille UNUS verè & propriè sic dictus, cui soli & uni cultus hic debetur, quiq; solus est παρδιογνώστης, & liberator ex omnibus malis?

CXLIV. *Quartò* demoliuntur *Fundamentum Resurrectionis mortuorum.* Si enim

CHRI-

CHRISTUS non est verè DEUS omnipotens: quomodo corpora jamdudum cinefacta resuscitare, inq; iis vitam instaurare evalebit?

CXLV. *Tertia*, et ultima causa, ob quam Sanaticam τῶν χριστοπνεύματομάχων sectam meritò detestamur, & ὁλοψύχως execramur, hæc est: *Quòd Ecclesia tam Veteris, quàm Novi Testamenti semper indè abhorruit, ejusq; ἀθέτησιν ἀναθεματισμὸν suum pio Zelo opposuit.*

CXLVI. Etenim, quod spectat *Judæorum Ecclesiam in V. T:* eos certè tres DEITATIS personas credidisse, non est quod dubitemus. *3. Causa ob quam Antitrini damnandi.*

CXLVII. Nam I. rei istius testem sistimus Galatinum, qui eidem fidem facit indubiam. *lib. 2. cap. 1, 11, 12.*

CXLVIII. 2. Idem quoq; constat ex illa oratione Caiphæ ad CHRISTUM: *Adjuro ego te per DEVM vivum, ut dicas nobis, si tu es CHRISTVS (NB) ILLE FILIVS ILLIVS DEI BENEDICTI. Mar. 14. Matth. 26.*

CXLIX. 3. Potest etiam illud ὁλοψύχως καὶ ὁλοθύμως isthinc colligi; quòd nec CHRISTO, nec Apostolis ulla unquam, eó de articulo, cum Judæis fuerit disceptatio:

ptatio: sicut de aliis compluribus, teste scriptura Novi Testamenti.

CL. 4. Probatur & ex eo, quòd Judæi, quoties CHRISTUS DEUM suum PATREM, vel se Ejus FILIUM, nominabat: non hoc negabant, quòd DEUS sit PATER, qui habeat FILIUM sibi ὁμοούσιον καὶ ἰσόθεον: Sed hoc, quòd CHRISTUS, quem nudum purumque hominem esse putabant, se pro FILIO DEI venditaret. *Luc. 4. Joh. 5. c. 10. c. 19.*

CLI. Ecclesiam *Christianorum in N. T.* quod attinet: ea non modò ab Antitrinitariis semper fuit alienissima, sed iis quoque, simul ac θεομαχεῖν cœpere, acerrimè restitit.

CLII. Adversus Cerinthum & Ebionitas suum Johannes conscripsit Evangelium rogatus ab Asiæ Episcopis. *Vide Cent. Magd. 1. fol. 569.*

CLIII. Samosatenus ejusq; assecla refutati & damnati sunt in aliquot conciliis Antiochiæ congregatis. *Euseb. l. 7. c. 28.*

CLIV. Ariani in I. Synodo Oecumenica, Niceæ celebratâ. *Hist. tripart. l. 4. c. 24.*

CLV. Eunomiani & Macedoniani vel πνευμαθεμάχοι in 2. Synodo Oecumenica, quæ habita fuit Constantinopoli, *Hist. tripart.*

tripart. l. 9. c. 4, 5. 8. 9. & imprimis 12. item q; in Synodo Seleuciana, *Soz. l. 3. c. 19.*

CLVI. Synodis Oecumenicis meritò annumeramus comitia Imperii maximè solennia, Anno 30. Augustæ habita, in quibus Ecclesia orthodoxa suam edidit confessionem *artic. 1.* qua non modò sententiam concilii Niceni in thesi comprobat: sed Antitrinitarios quoque in antithesi omnes expresse condemnat.

CLVII. Ex quibus omnibus lucidissimè effulget, hæresin Antitrinitariorum tam recentium quàm veterum esse damnabilem, & jam olim damnatam, & adhuc hodie meritò damnandam.

CLVIII. Magistratus quoq; seriò est exhortandus, ne ferat novos Arianorum fœtus suo in territorio; Sed vel exilio mulctet, sicut Constantinus Magnus eorum ἀρχηγέτην Arium (*Socrat. lib. 1. cap. 8.*) vel carcere aut alio modo coherceat, & eò adigat, ut vel blasphemias suas agnoscant, vel certè ut eas latiùs disseminare desistant.

CLIX. Atq; hæc etiam de IV. nostræ disputationis capite; quod jam excipit V. & ultimum, in quo usitata Antitrinitariæ impietatis effugia obstruemus; præcipua ejusdem fundamenta destruemus.

Cap. V.

Cap. V. In quo Antitrinitariæ impietatis effugia obstruuntur, & potissima ejusdem fundamenta destruuntur.

CLX. Non enim μόνον δεῖ τἀληθὲς εἰπεῖν: ἀλλὰ καὶ τὸ αἴτιον τοῦ ψεύδους. Τοῦτο γὰρ συμβάλλεται πρὸς τὴν πίστιν. ὅταν γὰρ εὔλογον φανῇ τὸ διὰ τὶ φαίνεται ἀληθὲς οὐκ ὂν ἀληθὲς, πιστεύειν ποιεῖ τῷ ἀληθεῖ μᾶλλον. *Aristoteles l. 7. Ethic. Nicom cap. 14.*

CLXI. Effugia verò, vel diverticula, ad quæ Lupi Antitrinitarii se proripiunt, si quando ab Orthodoxis gladio *SPIRITVS* urgentur & petuntur cominus, sunt *distinctiunculæ, & exceptiunculæ*, quas sibi, more omnium hæreticorum, in Officinâ Rationis, eum in usum, fuerunt fabricati.

1. Effugia Advers. obstruuntur.

CLXII. Agite, perlustremus earum præcipuas, & μάλιστα ἐπιπολαζούσας, præmisso tamen generali axiomate hanc ad rem perquam utili, quodq; Heros ille verè θεόπεμπτος καὶ θεόσυτος, Lutherus videlicet, ἔργῳτε λόγῳτε nobis commendavit.

CLXIII. Idq; sic se habet: *Hæreticorum diverticula nulla alia re obstrui & occludi possunt arctiùs, quàm si sola sacræ Scripturæ dicta eorumq; ἔμφασις & ἐνέργεια, κατ' ἐπιμονὴν, instanter urgeatur, illisq; ad ravim usq; inculcetur.*

CLXIV.

CLXIV. Id quod & ἐν τῷ παρόντι, σὺν ἐν τῷ θεῷ, præstare annitemur, omissâ ulteriori μακρολογίᾳ.

CLXV. 1. Itaq; κρησφύγετον sectæ Antitrinitariæ est: *Per plurale* אֱלֹהִים *innui modò Virtutum DEI pluralitatem.* R. Dicitur absq; Scripturâ, imò contra Scripturam, in qua nomen istud semper & ubiq; accipitur de rebus per se subsistentibus.

CLXVI. 2. Contra nomen JEHOVAH afferunt distinctiunculam inter DEUM *creatorem*, qui sit DEUS κατ' οὐσίαν, & DEVM *creatum*, qui dicatur DEUS κατ' ἐξουσίαν. Atqui Scriptura unum solùm JEHOVAM, eumq; creatorem agnoscit, qui non â dici, sed ab esse, JEHOVAH nominatur.

CLXVII. 3. CHRISTUM DEUM *esse tantùm nuncupativè*, ore blasphemo clamitant. Sed facilè eos possumus ἐπιστομίζειν emphasi Verbi ERAT, & illo Johannis οὗτός ἐστι (NB. art.) Ὁ ἈΛΗΘΙΝΟΣ ΘΕΟΣ. *1. Joh. 5.*

CLXVIII. 4. Alias fingunt ratiunculas, easq; frivolas & impias, ob quas *CHRISTUS* dicatur FILIUS DEI UNIGENITUS. Sed tenaciter nomini isti inhæreamus, idq; semper, ut Ajacis clypeum,

Antagonistis obvertamus, constantissimè urgendo: CHRISTUM ESSE UNIGENITUM EX PATRE FILIUM AB INITIO A DIEBUS SECULI *Mich. 5.* Nihil quicquam, quod alicujus sit momenti, contra obtendere possunt.

CLXIX. 5. Argumentum, quod ab effectis Divinis pro Deitate SPIRITUS SANCTI à nobis adducitur, eludere conantur hoc cavillo, *Tribui* videlicet *illa* SPIRITUI SANCTO, *non ut Personæ Divinitatis, sed quia Virtus & efficacia* DEI.

CLXX. Resp. Increpet te Satana Ipsemet SPIRITUS SANCTUS, increpet te, inquam, ipsemet SPIRITUS SANCTUS, cujus tam ὑποστάσιν quàm essentiam verè Divinam tam audacter blasphemas. Quam tamen utramq; FILIUS DEI, qui ἡ ἀλήθεια Verbo suo hac terræ Cælique machinâ stabiliori apertissimè confirmat. *Cum venerit paracletus*, (inquiens) *quem ego mittam vobis a PATRE* (NB artic. τοῦ ἐκπορευόμενον) ΤΟ ΠΝΕΥΜΑ ΤΗΣ ΑΛΗΘΕΙΑΣ (tertia persona) ὃ παρὰ τοῦ ΠΑΤΡΟΣ (prima Persona) ἐκπορεύεται (NB Synthesin) ἐκεῖνος (scilicet ὁ Ἰησοῦς) μαρτυρήσει περὶ (secunda persona) ἐμοῦ *Johan. 15.*

171. Hæc

CLXXI. Hæc sunt potissima Antitrinitariorum κρησφύγετα: progrediamur ad eorum ψευδοθεμέλια, quæ depromunt, more spiritus Hæretici, ex dictis scripturæ, quibus ἐν κυβείᾳ καὶ πανουργίᾳ πρὸς τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης impiè abutuntur. *Eph.4.*

CLXXII. Proferemus autem tantùm præcipua Scripturæ dicta, quibus opinionem suam stabilire allaborant. Et deinde generales duas addemus, de eorum Sophismatis, & Sophismatum refutatione, admonitiones. Tandemq; Theologiæ studiosos ad eos remittemus Theologos, qui articulum hunc ἀκριβῶς καὶ διεξοδικῶς pertractârunt. *2. Adversariorum fundamenta destruuntur.*

CLXXIII. Ac *primò* quidem vehementer urgent scripturæ loca, in quibus *PATER Solus prædicatur esse DEVS.*

CLXXIV. Respondemus non nostris, sed Basilii verbis omnium memoriâ dignissimis: τὸ εἷς καὶ μόνος ἐπὶ τοῦ θεοῦ ἐν τῇ γραφῇ, οὐ πρὸς τὴν ἀντιδιαστολὴν τοῦ υἱοῦ ἢ τοῦ ἁγίου Πνεύματος: ἀλλὰ πρὸς τοὺς μὴ ὄντας θεοὺς ὀνομαζομένους δέ ψευδῶς, ἀναφέρεται. *Epist.141. de adorabili & sancta Trinitate.*

CLXXV. *Secundò*: Pro se allegant ex *Esa.42.* verba JEHOVÆ: *Gloriam meam non dabo alteri*, inferentes indè, PATREM non communicasse *DE* Itatem *FILIO &*

SPIRITUI SANCTO R. Est ἄγνοια τῦ ἐλέγχε. Opponitur enim hæc sententia non FILIO, & SPIRITUI SANCTO, qui PATRI sunt ὁμοούσιοι; sed numinibus commentitiis Ethnicorum.

CLXXVI. *Tertiò*: Ex Jerem. 23. & Luc. 1. πρωτολογίζονται CHRISTUM vocari tantùm FILIUM DEI. Ergo non esse. Heu miseros vos! Itane in DEO, ubi merum & sincerum ENS, τὸ εἶναι καὶ τὸ λέγεσθαι invicem discerpitis? an non, vel Philosopho teste, τὰ ὀνόματα τῶν πραγμάτων ὁμοιώματα; lib. περὶ ἑρμ. c. 1.

CLXXVII. *Quartò*: Ut æternum omnium rerum creatorem CHRISTUM in censum creaturarum redigant, adducunt locum Col. 1. ubi CHRISTUS dicitur πρωτότοκος πάσης κτίσεως.

CLXXIIX. Sed hæc συλλογὴ planè est ἀσυλλόγιστος, imò ἄλογος. Contrarium siquidem ostendit 1. Verborum sonus 2. Apostoli scopus 3. συνέχεια textûs.

CLXXIX. *Primò* enim FILIUS DEI loco jam allegato non dicitur 1. πρωτόκτιστος *primo-creatus*, sed πρωτότοκος (NB) *primi genitus* 2. nec πρωτότοκος τῶν κτισμάτων, sed πρωτότοκος κτίσεως, id est, interprete Basilio *lib. 4. adversus Eunom. pag. 686.* πρὸ πάσης κτίσεως γεννηθείς.

180. Se-

CLXXX. *Secundò*, Apostoli scopus ibi est CHRISTI DIVINitatem astruere, eumque omnium rerum conditorem & conservatorem esse, demonstrare,

CLXXXI. *Tertiò*, Συνέχεια textus id ipsum docet. Sic enim se habent verba, proximè & immediatè subsequentia: *Quia per illum creata sunt omnia, quæ in Cœlis sunt & quæ in terrâ.* Quibus expressè CHRISTVM secundum divinam naturam creaturis eximit, earumq; omnium conditorem constituit.

CLXXXII. *Quintò*: SPIRITVM SANCTVM non esse DEVM, astruere conantur ex illo *Johan. 7. Nondum erat* SPIRITVS SANCTVS, *quia* JESVS *nondum erat glorificatus.*

CLXXXIII. R. Non loquitur CHRISTVS de SPIRITV SANCTO per se: sed de visibili ejus effusione, qua illum ACCEPTVRI ERANT credentes in ipsum, (sicut verba immediatè præcedentia expressè sonant) in die videlicet Pentecostes, & postea in primâ Ecclesiæ Novi Testamenti ætate.

CLXXXIV. Sed quid tempus terimus in percensendis gentis Antitrinitariæ ψευδογραφήμασι, sufficiant isthæc. Cætera

Admonitiones de Adv. sophismatis.

facilè poterunt dilui, observatis modò duabus hisce admonitionibus, quarum altera fontes, altera diluendi modum ostendit.

CLXXXV. *Fontes* sophismatum Antitrinitariorum, perinde ut hæreticorum ad unum omnium, præcipui duo sunt: 1. est *Ratio*, quæ tamen rebus in Divinis adeò cæcutit, ut Apostolus pronunciare non dubitet: ψυχικὸς ἄνθρωπος οὐ δέχεται τὰ τοῦ Πνεύματος τοῦ Θεοῦ. μωρία γὰρ αὐτῷ ἐστι, καὶ οὐ δύναται γνῶναι. 1. Cor. 2.

CLXXXVI. 2. Est μετάβασις εἰς ἄλλο γένος, vel nefaria σύγχυσις Philosophiæ cum tanto hoc mysterio, quod est ὑπὲρ νοῦν, ὑπὲρ λόγον, ὑπὲρ αἴσθησιν, ὑπὲρ κατάληψιν; adde, quòd Moses etiam vetet, ne aremus cum bove & asino & ne vestem ex lino & lana texamus *Deut. 22, 10, 11.*

CLXXXVII. *Modus* verò diluendi τῶν αἱρετικευμένων sophismata præcipuus est distinctio, eaque potissimum quadruplex: 1. Inter οὐσίαν & ὑπόστασιν 2. Inter divinam & humanam CHRISTI naturam 3. Inter ea, quæ Divinæ naturæ tribuuntur πρώτως vel κατ' οὐσίαν, καὶ τῇ Φύσει: Naturæ verò humanæ δευτέρως, propter unionem personalem, vel κατ' ἐξουσίαν καὶ τῇ χάριτι 4. Inter statum exinanitionis & exaltationis.

188. Ve-

CLXXXIIX. Verum enim verò, ut tandem aliquando portum respicientes vela contrahamus: Theologicam Juventutem, quæ ad pleniorem Articuli hujus religionis nostræ præcipui explicationem tum διδακτικὴν, tum ἐλεγκτικὴν aspirat, ut legat Theologos, qui de eodem peculiaria scripta ediderunt, eosq; tam veteres quàm recentes, admonemus.

CLXXXIX. Inter *Veteres* maximè principes sunt Athanasius & Epiphanius.

CXC. Athanasius hæc de re conscripsit. Orationes quinque contra Arianos: Tractatum in illud dictum: Omnia mihi tradita sunt à PATRE Epist. ad Adelphium fratrem. Epist. ad Maximum Philosophum. Epist. De sententiâ Dionysii, Serm. de nat. human. Orationem contra Gregales Sabellii, Epistolas duas ad Serapionem de *SPIRITV SANCTO.*

CXCI. Epiphanius Arianorum Hæresin persequitur, ejusque Pseudographemata confutat lib. 2. tom. 2. hæres. 69.

CXCII. Inter *recentes* palmam obtinent Lutherus, *tom. 8. Jen. in lib. de Schemhamphoras & ἐν κυκνείῳ ἄσματι de ultimis verbis Davidis*, ejusque γνήσιος Discipulus Chemnitius *tom. 1. loc. comm.* & alii.

CXCIII. Συμπέρασμα τῆς συζητήσεως. Ex omnibus verò, quæ dicta & adducta fuerunt hactenus, (ἀνακεφαλαιωδῶς καὶ ἁπαξαπλῶς εἰπεῖν) hoc κύριον καὶ καθολικὸν συμπέρασμα elicimus: *Deum esse unum in essentiâ, & trinum in Personis, quæ realiter invicem distinctæ & per se subsistentes, eæq; omnes & singulæ verè ὁμοούσιοι, συναΐδιοι καὶ ἰσότιμοι, adeoq; unus verus & naturâ* DEVS. ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

πορίσματα.

CXCIV. Catholica igitur fide, VNUM DEUM IN TRINITATE, & TRINITATEM in VNITATE piè & humiliter credamus, veneremur, invocemus.

CXCV. Et per hanc adeò fidem certò certiùs Fidei consequemur finem, qui est Salus & Vita æterna. *1.Pet.1.*

CXCVI. Illic Videbimus DEUM à facie ad faciem, SICUTI EST: sufficiat, nobis in hac mortalitate EUM per speculum scripturæ in ænigmate eminus aspexisse. *1.Cor.13. 1.Joh.3.*

CXCVII. Jam quod superest, Colophonis loco subjicimus illam δοξολογίαν, antiqua consuetudine in fine Psalmorum accini solitam, cujus prior versiculus est confessio publica Trinitatis, & ὁμοουσίας, contra Arianos: Posterior verò, suasu

Hie-

Hieronymi, fuit addirus, ut fit confessio de Divinitate SPIRITUS SANCTI, contra Macedonianos.

GLORIA PATRI, ET FILIO, ET SPIRITUI SANCTO.
SICUT ERAT IN PRINCIPIO, ET NUNC ET SEMPER, ET IN SECULA SECULORUM AMEN.

DISPUTATIO VIII.

DE JUSTITIA FIDEI.

Præside FRIDERICO BALDUINO D.
Respondit pro Licentia M. JOHAN. BEHM, *Regiomontanus Borussus.*

21. Octobr. 1608.

I.

NIhil æquè necessarium est homini ad Deum accedere volenti, quam ut in judicio Dei justus compareat: siquidem & recta ratio docet & Scriptura attestatur, Deum justissimum cum hominibus injustis nihil habere commercii 2. *Cor. 6, 14.*

II. Gravissima igitur quæstio est, in qua cardo salutis nostræ vertitur: quænam

sit illa justitia, qua homo coram Deo consistere; quam accusationi legis opponere; & in qua tempore tentationum firmiter adquiescere possit?

III. Hæc quæstio propriè ad cives Ecclesiæ pertinet, qui regulam justitiæ non ignorant, naturæ humanæ horribilem corruptionem agnoscunt, terrorem legis in seriis tentationibus sentiunt, serioq; credùt, constitutum esse diem, in quo Deus judicaturus sit orbem in æquitate, in viro, in quo statuit, *Act. 17, 31.*

IV. Unde liquet, quæstionis hujus decisionem non ex lumine naturæ: non ex Ethicis Ethnicorum disputationibus petendam esse, sed solummodò ex Scriptura divinitus inspirata: ratio enim neq; morbum satis agnoscit, qui nos coram Deo injustos reddidit, neq; Medicum quærit, neq; in seipsa naturæ instaurationem invenit.

V. In Scriptura autem quando ex professo de hoc capite doctrinæ Christianæ agitur, Justitia illa, de qua quærimus, usitatè nominatur *Justitia Fidei*, *Justitia, quæ est ex Fide*: item, *Justitia Dei per Fidem Rom. 1, 17. 3, 22. Phil. 3, 9.* & cujus regula vocatur *Lex Fidei*, *Rom. 3, 28.*

VI. Operæ pretium igitur facturi sumus, si primum omnium de vocabulis inquiramus,

mus, quid sit JUSTITIA, quid FIDES: ita enim de præcipitio errorum in hoc doctrinæ capite minus erit periculi; siquidem verissimũ est illud magni Theologi pronunciatũ; quantum erratur in verbis, tantum de rebus ipsis amitti: sic etiam sponte sua eluceseet, quid sit Justitia Fidei, quam scriptura nobis tanquã sacram anchoram commendat, cui in judicio Dei tutò inniti valeamus.

VII. JUSTITIÆ vox absolutè posita πολύσημος est; cujus significata omnia huc referre non est nostri instituti: Hoc tamen ad rem nostram facit, quod in scriptura ratione subjecti tripliciter distinguitur: Aut n. homini tribuitur, aut Deo, aut Christo. *JUSTITIA*

IIX. Unaquæq; harum specierum suos habuit in Ecclesia patronos, qui vel justitiam hominum, vel justitiam Dei, vel justitiam Christi existimarunt esse eam, quæ in judicio Dei consistere potest: una tamen ex his duntaxat est, quæ *Justitia Fidei* appellatur, & id, de quo quæritur, præstare valet.

IX. In homine quatuor reperiuntur Justitiæ species, quæ ipsi subjectivè inhærent. Primam nominare potes *Justitiam concreatam*, quæ est integrorum ante lapsum: secundam *Justitiam naturalem*, quæ est nondũ renatorum post lapsum: tertiam *Inchoatam*: quæ est renatorũ: quartam denique, *consummatam*, quæ est beatorum. *Justitia hominis.*

X.

1. *Justicia originalis seu concreata.*

X. *Concreata justitia* est, quam homo in prima creatione accepit, & in statu integritatis aliquo usq; retinuit: estq; nihil aliud, quam imago Dei, ad quam homo fuit conditus.

XI. Ita enim describit Apostolus Paulus novum hominem, in quo imago Dei restituta fuit, quod secundum Deum sit creatus in justitia, & sanctitate veritatis. *Ephes.4,24.*

XII. Sed hæc pulcerrima conformitas cum Deo jam post lapsum est deperdita: perfecta illa notitia rerum spiritualium mutata est in ignorantiam. *1.Cor.2,14.* approbatio voluntatis, & desiderium rerum divinarum transiit in earundem inimicitiam *Rom.8,7.* promptitudo virium humanarum in expediendis rebus bonis non tantum in ἀδωαμίαν *2.Cor.3,5*: verum etiam in maximam rebellionem & pronitatem ad malum *Genes.8,21.* quæ, ut *Augustinus* loquitur *lib.2. contra Julianum*: rebellando nititur nos ad reatum trahere: unde nos omnes naturâ non sumus filii gratiæ, sed iræ. *Ephes.2.*

XIII. In negotio justificationis nostræ coram Deo nihil agitur de originali illa justitia, quæ jam omninò amissa est; & si

vel

vel maximè amissa non esset; nihil tamen omninò hominis quantacunq; integritas ad salutem suam faceret, quam jam antè habuit, non ex perfectæ obedientiæ merito, sed ex primo creationis principio. *Sap. 2, 23.*

II. *Justitia carnis seu naturalis.*

XIV. Originalem hominis justitiam excipit alia post lapsum, antequam restaurata fuit natura, quam justitiam carnis seu Naturæ appellare possumus: & est qualiscunq; disciplina externa in non renatis, qua faciunt naturæ ductu adhuc aliqua honesta & legi divinæ mentibus ipsorum inscriptæ consentanea, qualis erat castitas Scipionis, justitia Aristidis, sapientia Socratis, pietas Æneæ, &c.

XV. Etsi enim vires naturæ humanæ post lapsum ita destructæ sunt, ut in rebus spiritualibus nihil omninò ex seipso possint: remanserunt tamen reliquiæ quædam in naturalibus, ut sunt naturales conceptus & notitiæ de Deo, quas D. Paulus veritatem Dei nominat *Rom. 1, 18.* principia naturæ, discrimen honestorum & turpium, quibus reliquiis qui juxta dictamen rectæ rationis utuntur, honesta & justa quædam possunt facere, etiam absq; singulari illuminatione spiritus sancti.

16. in

XVI. In hujusmodi honestarum actionum & virtutum exercitiis Ethnici omnem suam beatitudinem posuerunt, unde est illud *Aristotelis lib. 6. Eth. c. 13.* hominem naturâ justum gigni, id est, semen quoddam & inclinationē quandam ad justa & honesta opera habere natura sibi insitam: hinc etiam sunt illa Philosophorum magnifica de justitia universali præconia, quam virtutem perfectam appellant, & quendam quasi complexum ac aggregationem cæterarum omnium, cujus tamen exemplum ostendere nondum potuerunt in ullo individuo.

XVII. Deplorandum autem est, non solum Ethnicos hisce reliquiis integritatis pristinæ tantum tribuisse: verum etiam inter Christianos repertos esse Scholasticos in Papatu, qui justitiam coram Deo valentem ejusmodi gentilium operib9 adscripserunt.

XIIX. Hic enim est non modò vetus illa & jampridem antiquata Scholasticorum doctrina: homines ante Mosen ex lege naturæ esse justificatos: sed ex eodem fonte hodieq; fluunt impia pariter ac impudentissima modernorum Monachorum pronunciata, quibus statuunt, Ethnicos etiam extra Christum habuisse auxilium sufficiens ad salutem, ut scribit *Bellarminus l. 2. de grat.*

de grat. & lib. arbit. cap. 8. Ethnicos ex generali providentia Dei sciviſſe, Chriſtum Jeſum crucifixum, etſi rationem, quam Deus eſſet inituru⁹ humanæ ſalutis curandæ, compertam minimè habuerint, ut absque fronte ſcripſit Andradius: imò eos, qui Chriſti cognitionem non habuerunt, modò honeſtè vixiſſent, ſalvatos eſſe, ut Monachum quendam Franciſcanum in ipſo Concilio Tridentino publicè pro concione dixiſſe refert *Schleidanus lib. 23.*

XIX. Sed Apoſtolus *Paulus Rom. 1, 18. ſeqq.* ex profeſſo gentilibus gloriam juſtitiæ adimit, & injuſtitiæ eos arguit, 1. Quia reſiduas de Dei eſſentia & voluntate noticias impietate ſua extinguere conantur. 2. Quia Deo non tribuunt gloriam, in operibus etiam rectè factis. 3. Quia pro arbitrio ſibi fingunt cultum divinum. 4. Quia pro vero Deo, quem ſe colere fingunt, multiplicia ſubſtituunt idola: 5. Quia denique, licet externa ἀδικήματα pro virili evitaverint, internis tamen animi motibus inordinatis, odio, malevolentia, iracundia, ſimilibusq; affectibus, qui coram Deo etiam peccata ſunt, ſe contaminarunt.

XX. Ita *D. Paulus* Monachorum hæreſin refellit: *D. Auguſtinus* eam ad Pelagium autorem remittit, in quo & illam graviſſimè ſoli-

solidissimeq; refutavit, non secus ac si ipsi ex professo cum his Monachis negotium fuisset.

XXI. Nam ad *Julianum* scribit *l. 4. c. 3.* se non opinari, Pelagianos ad istam usque impudentiam prosilire posse, ut Fabriciis, Regulis, Fabiis, Scipionibus, Camillis cæterisq; talibus, sicut infantibus, qui sine baptismate moriuntur, provisuri sint aliquem locum inter damnationem regnumque cœlorum, ubi non sint in miseria, sed in beatitudine sempiterna, qui Deo non placuerunt, cui sine fide placere impossibile est, quam nec in operibus, nec in cordibus habuerunt.

XXII. Quod si responsaturi erant: ergo erunt in damnatione sempiterna, in quibus erat vera justitia? respondet ipse: ô vocem impudentia majore præcipitem: non erat in eis vera justitia, quia non actibus, sed finibus pensantur officia.

XXIII. Alibi ita argumentantur ex mente Apostoli Pauli ex 1. *Corinth. 15.* Si per naturam justitia: ergo frustra Christus mortuus est: Si autem non gratis Christus mortuus est, ergo omnis humana natura justificari & redimi ab ira Dei justissima, hoc est, vindicta nullo modo potest, nisi

nisi per fidem, & Sacramentum sanguinis Christi. Natura quippe hominis primitus inculpata, & sine ullo vitio creata est: natura verò ista hominis, qua unusquisq; ex Adam nascitur, jam medico indiget, quia sana non est, *lib. de nat. & grat. c. 2. & 3.*

XXIV. Inprimis autem Scholasticorum antiquam hæresin sub nomine Pelagii gravissimis verbis refutavit *l. 1. ad Bonifac. Papam cap. 21.* quæ, quia sunt memorabilia, integrè adscribere placet.

XXV. Dicimus, inquit Pelagius, sanctos Veteris Testamenti perfecta hinc justitia ad æternam transiisse vitam, id est, studio virtutis ab omnibus recessisse peccatis, quia & illi, quos legimus aliquid peccasse, postea tamen eos emendasse cognovimus. Quantæ libet fuisse virtutis antiquos prædices justos, non eos salvos fecit, nisi fides Mediatoris, qui in remissionem peccatorum sanguinem fudit. Ipsorum enim vox est; credidi propter quod locutus sum. Unde ait & Apostolus Paulus: habentes autem eundem Spiritum fidei, secundum quod scriptum est: credidi propter quod locutus sum, & nos credimus, propter quod & loquimur. Quid est eundem Spiritum, nisi quem justi quoque illi *Psalm. 115. 2. Cor. 4.*

habuerunt, qui ista dixerunt? Dicit enim Apostolus Petrus; quid vultis jugum imponere gentibus, quod neq; nos portare potuimus, neq; Patres nostri? sed per gratiam Domini nostri Jesu Christi credimus, nos salvos fieri, quemadmodum & illi; hoc vos non vultis inimici gratiæ Christi, ut eadem gratiâ Jesu Christi salvi facti credantur antiqui, sed distribuitis tempora secundum Pelagium, in cujus libris hic legitur, & ante legem dicitis salvos factos esse per naturam, deinde per legem, postremò per Christum, quasi hominibus duorum superiorum temporum ante legem scilicet, & in lege sanguis Christi non fuerit necessarius, evacuantes, quod dictum est: Unus enim Deus, unus & Mediator Dei & hominum Christus Jesus.

Justitia Phariſaica.

XXVI. Ad hanc naturalem hominis justitiam pertinet hypocritica & Pharisaica, qua vel inprimis gloriabantur Judæi, quæ consistebat partim in qualicunq; obsequio legis juxta externam literam, absq; omni legitima motuum cordis compositione ad legem divinam; partim in observatione paternarum traditionum, quæ non nisi corruptelas legis Mosaicæ, & opera quædam supererogationis à Deo non præcepta continebant.

27. In

XXVII. In hoc exercitiorum genere justitiam suam collocabant Pharisæi sed Christus directè eam ipsis denegat, sanctequ adfirmat, nisi abunder justitia nostra plusquam Scribarum & Pharisæorũ, nos in regnum cœlorũ ingredi non posse *Mat.5.21.*

XXIIX. Erat enim hypocritica, quæ viribus humanis tribuebat, quod non habebant: erat absq; Christo, sine quo, dicente Hieronymo; Omnis virtus in vitio est: erat absq; vera notitia legis, quæ non qualemcunque, sed perfectissimam obedientiam requirit ab eis, qui ex lege salvari cupiunt: erat deniq; regulæ justitiæ divinæ contraria, propter ἐθελοθρησκείας & ταπεινοφροσύνας illas non præceptas, quibꝰ Deum frustrà coli Salvator adfirmat, *Mat.15,9.*

XXIX. Deficiente igitur hac quoque justitia, quæ in nondum renatis à quibusdam quæritur, sequitur tertia in homine jam Renato, quæ nihil aliud est, quam fructus regenerationis nostræ, quando homo mortuus peccato in novitate vitæ ambulare incipit: quo respectu liberati à peccato servi facti sunt justitiæ *Rom.6,18.* III. Justitia inchoata.

XXX. Etsi enim ex lege non est justitia; lex tamen non omninò sublata est per justitiam aliundè adquisitam, sed est regula

vivendi etiam in renatis, qui liberati à peccato, servi facti sunt Deo, fructum habentes justitiæ, sanctificationem, *Rom.6, 22.*

XXXI. Neq; enim amplectimur impietatem Simonis Magi & sociorum in primitiva Ecclesia, quos nostris temporibus secuti sunt Anabaptistæ & Antinomi, qui salutem hominis definiebant esse liberationem à servitute illa, qua homines ex scripto legis ad certa opera obligantur, nec permittuntur agere, quæ velint, quemadmodum Simonis Magi hæresin descripsit *Theodoretus lib.1. hæret. fabul.*

XXXII. Sed Renatus revera esse non potest, qui non studet bonis operibus juxta legem Dei: Filii enim Dei ducuntur Spiritu Dei *Rom.8.* Spiritus autem Dei ducit suos juxta immutabilem normam mandatorum divinorum, non juxta cujusvis cerebri somnia: juxta illud *Ezech.20.* In præceptis meis ambulate, & facite ea, & talia opera Deo placent, juxta testimonia quamplurium dictorum Scripturæ *Rom.12, 3. Col. 3, 20. Heb.13, 16. 1.Tim 5, 4. 1.Joh.3, 22. &c.*

XXXIII. Hæc est Legalis illa justitia, quæ vulgò *sanctificatio* dicitur, & in scriptura inter fructus & effectus justificationis nostræ refertur, *Rom.6, 22.* à Pontificiis autem

tem ut ipsissima forma justificationis nostræ commendatur.

XXXIV. Sed nequaquam hæc est ea justitia, quæ nos coram Deo justos reddit. Est enim 1. fructus justitiæ illius, & effectus jam justificatorum, *Rom. 6, 22. Gal. 5. 2.* Est infirma, languida & imperfecta, unde & justitia incoata appellatur: lex enim infirmatur per carnem. 3. Etsi maximè perfecta esset, tamen jam ante esset debita, ac proinde coram Deo nequaquam meritoria *Luc. 17.*

XXXV. Quam ob causam etiam sancti in medio curlu bonorum operum agnoscunt, se peccatores esse; nam bono huic adjacet malum illud εὐπερίστατον, quod undiq; nobis adhæret, bonaq; instituta sæpè præter voluntatem nostram impedit, quod testantur querelæ sanctorum *Psal. 19. Eccles. 9. Rom. 7, 25.* justitiam quoq; suam, quam utcunq; juxta legem præstitit; opponit Apostolus justitiæ illi, quæ coram Deo valet *Phil. 3, 9.*

XXXVI. Hanc deniq; justitiam subsequetur altera in æternitate, quæ vocatur justitia consummata: ubi redibit demum homo perfectissimè ad imaginem Dei pristinamque integritatem in lapsu deperdi- IV. *Justitia consummata.*

tam, sine ullo metu lapsus, sine ullo periculo imperfectionis: ubi nullum erit malum, nullum latebit bonum, vacabitur Dei laudibus, qui erit omnia in omnibus: ubi nulla desidia cessabitur, nulla indigentia laborabitur, quemadmodum *D. Augustinus* loquitur *lib. 22. de civ. Dei cap. 30.*

XXXVII. Justitiam hanc non esse eam, de qua jam quærimus, extra controversiam est: sed est potius finis ejus, sicut expresse vocatur *Rom. 6, 22.* & scopus ille, ad quem tendimus, imò præmium justorum, cujus promissiones habet pietas ipsorum *1. Tim. 5,*

XXXIIX. Et hæ sunt quatuor illæ species Justitiæ, quæ homini subjectivè insunt; quarum nulla est ea justitia, quæ coram Deo nos absolvere, aut justificare potest. *Aut* enim est in homine ante lapsum, ubi absolutione nulla opus habebamus: *aut* post lapsum, sed ante statum restitutionis, ubi eramus adhuc filii iræ, qui neq; Deo placere, neq; eum placare poteramus: *aut* post restitutionem in integrum, & tunc à peccatis jam eramus absoluti: *aut* deniq; erit in vita æterna, ubi finem fidei justitiæque nostræ jam tum adepti sumus.

JUSTITIA DEI.

XXXIX. Porrò Justitia Dei variis modis accipitur in scriptura; de quibus omnibus

bus hic ex professo non agimus, ut, de veritate promissionum divinarum *Psal.31,2.* in justitia tua libera me; de omnipotentia & majestate divina, vel etiam de sapientia ejus, quâ omnia justè ordineq; disponit, *Psal.19.* annunciant cœli justitiam ejus: de præceptis Domini, *Psal.19.* justitiæ Domini rectæ, lætificantes corda.

XL. Sunt aliæ tres significationes, quæ propriè huc pertinent. Primum usurpatur hæc phrasis de Essentiali Dei justitia, quæ est universalis rectitudo in Deo, qua in se est optimus & perfectissimus omnisque labis expers: & sic opponitur pravitati & injustitiæ, ut *Psal.11,7.* justus Jehovah, justitias diligit, rectum videt facies ejus. *Justitia Dei essentialis.*

XLI. Ea vero justitia nos non facit justos injudicio Dei. Nam 1. justitia, qua nos justi sumus, revelatur tantum in Evangelio *Rom.1,17.* Essentialis Dei justitia etiam in lege, quæ nihil aliud est, quam norma rectitudinis in Deo. 2. quia justitia illa pravitati opponitur, ideo justificare non potest, antequam pravitas illa tollatur: ea verò tollitur non illâ justitiâ Dei, sed merito Filii *Esa.53. Rom.5.*

XLII. *Andreas Osiander* essentialem Dei justitiam vocavit ipsum Christum,

& hunc secundum divinitatem in nobis habitantem & ad benè operandum impellentem dixit esse nostram justitiam, cujus inhabitantis essentialis justitiæ respectu, omnium hominum peccata sese habeant instar guttulæ aquæ ad magnum mare collatæ. Et in Confessione scribit lit. Q. p. 2. Essentialis Dei justitia nihil aliud est, quam ipsa Divinitas.

XLIII. Quem ejus errorem *D. Lucas Osiander p. m. D. Andreæ* filius interpretatur non de justificatione ipsa, sed de Renovatione, hoc est non quasi sensisset, inhabitantem essentialem Dei justitiam opponendam esse coram judicio Dei terroribus conscientiæ: sed Deum in homine jam reconciliato inhabitantem facere, ut homo re ipsa justus fieret, hoc est, per Spiritum sanctum renovaretur, ut juste vivere inciperet. *cent. 16. hist. Eccl. lib 3. cap. 1.*

XLIV. Sed hanc erroris istius mitigationem suo loco relinquimus: aliàs orthodoxa Ecclesiarum nostrarum doctrina est, Christum non ratione suæ essentiæ, non ratione alterutrius naturæ, sed ratione officii ac meriti sui, quo nobis tota persona Christi agendo & patiendo justitiam adquisivit, justificationis nostræ negotium ingredi *Rom. 3, 4, 5. Gal. 3. Ephes. 2. Phil. 3.*

45. Vi-

XLV. Viderint autem Pontificii nonnulli, quam procul absint ab Osiandrismo, ut quando *Cochleus* scribit, dilectionem, qua justificamur, esse ipsum Deum, & *Costerus in Enchir. cap. 6. p. 264.* donum justitiæ nobis infusæ esse ipsum Spiritum sanctum, quod fortasse mutuatus est è *Lombardo*, qui caritatem, qua diligimus Deum & proximum, vocat Spiritum sanctum *lib. 1. distinct. 17. cap. 2.*

XLVI. Ex his enim argumentor: Donum justitiæ nobis infusæ est forma justificationis nostræ, seu nostra coram Deo valens justitia, dicentibus omnibus Pontificiis. Donum justitiæ nobis infusæ est Spiritus sanctus, dicente *Costero*. E. Spiritus sanctus est forma justificationis, seu nostra coram Deo consistens justitia. Viderit igitur *Bellarminus*, quomodo sibi conveniat cum socio, antequam refutet Osiandrum *lib. 2. de justif. cap. 6.*

XLVII. Deinde justitia Dei usurpatur de distributiva justitia legis divinæ, qua res omnes hominum & angelorum ita gubernat, ut præmia dispenset piis, impiis pœnas, quæ ab Apostolo Paulo vocatur, δικαίωμα θεῦ *Rom. 1, 32.* & δικαίωμα τῦ νόμυ *Rom. 8, 4.* & misericordia Dei ἐλεημοσύνη; *Justitia Dei distributiva.*

opponitur: ita usurpatur *Jac. 1, 20:* ira viri justitiam Dei non operatur.

XLIX. De hac legali justitia justitiam fidei interpretantur Pontificii, quod nimirum, jure & ex debito vitam æternam cum omnibus bonis tribuat piis, ut meritum: unde tota ipsorum doctrina de meritis operum suam habet originem. Bellarminus hanc legalem justitiam vocat justitiam Dei, non respectu Dei, sed hominis, quem hoc à Deo habere scribit, quod rectè ordinatur erga Deum & proximum; & hanc vocat solam simpliciter & absolutè justitiam *lib. 1. de justific. cap. 1.*

XLIX. Verùm interpretatio hæc locum habere non potest. Nam 1. justitia Dei revelatur in Evangelio absq; lege *Phil. 3, 9.* justitia legalis seu distributiva in lege. 2. Eodem in loco D. Apostolus opponit justitiam illam legis seu operum, quam vocat propriam; & justitiam, quæ ex Deo est. 3. In distributiva justitia oportet analogiam esse aliquam inter præmium & meritum, inter dantem & accipientem. Hîc verò nulla prorsus est analogia vel comparatio inter virtutes hominum & Dei justitiam, inter vitam æternam & meritum temporaneum. Igitur non ex distributiva Dei justitia proficiscuntur Dei beneficia.

L. Dei

L. Deniq; usurpatur justitia Dei de bonitate & misericordia Dei, qua credentes in Christum absolvit à peccatis, in gratiam acceptat, ab hostibus liberat, & in periculis defendit, quæ vulgò dicitur justitia Dei Evangelica, quia in Evangelio revelatur, *Rom.1, 17.* item justitia imputata *Rom.3. Phil.3.* alibi vocatur δικαίωσις ζωῆς, & opponitur condemnationi, *Rom.5, 18.* *Justitia Dei Evangelica.*

LI. Hoc modo usurpatur, ubicunq; in scriptura agitur de justificatione, & mentio fit justitiæ Dei, ut in Psalmis, *Psal.51, 16.* libera me à sanguinibus Deus, Deus salutis meæ, & prædicabit lingua mea justitiam tuam; ubi justitia bonitatem significat & misericordiam Dei, qua miserum in gratiam recipit. *Psal.71. 2.* In justitia tua libera me Domine. Inprimis autem in *Psal.40, 10.* justitia ἐξηγγελμένως exponitur per misericordiam: annunciavi justitiam tuam, (inquit David in persona Christi) in cœtu multo, non abscondi justitiam tuam in medio cordis mei: veritatem & salutem tuam dixi, non celavi misericordiam & veritatem tuam in cœtu multo.

LII. Memorabile etiam est, quod David orat in *Ps.143, 1.* Exaudi me Deus, בְּצִדְקָתֶךָ in justitia seu propter justitiam tuam: & ea-

& tamen addit v. 2. non intres in judicium cum servo tuo. Petit exaudiri propter justitiam Dei, & tamen deprecatur judicium Dei: Provocat igitur non ad rigorem justitiæ divinæ, quæ ex lege est, & in judicio proprie locum habet, ubi pro ratione delicti judicatur: sed ad favorem gratiæ misericordiæq; Dei, quæ mitigat judicium.

LIII. Hinc fit, quod interpretes frequenter ista vocabula justitiæ, & misericordiæ Dei in articulo justificationis invicem commutant, ut cum *Genes. 19, 19.* Lot diceret ad Angelum in Hebræo: magnificasti misericordiam tuam, reddiderunt septuaginta δικαιοσύνην, justitiam: viciſſim *Psal. 103, v. 6.* cum David in Hebræo dixisset, facit justitias Dominus, verterunt LXX. ἐλεημοσύνας misericordias, similia loca conferantur in *Psal. 103, 6. Gen. 20. 13: 21, 23: 32, 10.* Quam sanè licentiam sapientissimi isti viri sibi non sumsissent, si non intellexissent, justitiam Dei interdum notare ejus misecordiam, qua benefacit credentibus.

LIV. Etsi vero ista duo in Deo sunt subordinata; tamen justitia interdum ideo pro misericordia ponitur: partim quia justitiæ Dei legali à Christo satisfactum est, & sic, quod ex parte Christi est justitia, ex

nostra

nostra parte fit misericordia: quia Christus promeruit; nos immerentes in labores ejus ingredimur, meritoque ejus fruimur: partim, quia Deus promisit credentibus in Christum vitam dare æternam, quæ ut detur, ratione promissi justum est, licet in se sit donum gratuitum *Rom.6.*

LV. Qua ratione intelligendum est illud, quod scribit Apostolus in *2.Thess.1,6.* justum esse apud Deum, retribuere tribulationem tribulantibus, & tribulatis requiem: illud enim justum est æterna Dei justitia legali: hoc justitiâ Evangelicâ, quæ misericordi in nos affectu tincta est & temperata, præsertim, cum ipsa requies post tribulationem sit promissa *Ps.50. & 91.*

LVI. *So*pereſt tertio loco *Justitia Christi*, quæ itidem triplex esse potest: una *Naturalis*: altera *Actualis*: tertia *Imputata*: quæ tamen propriè loquendo non tres justiciæ species, sed respectus sunt, ratione originis & finis distincti. JUSTITIA CHRISTI.

LVII. *Naturalis* in Christo justitia est, qua ipse non modò ut verus Deus, ipsa est justitia, non habitualiter, non accidentaliter, sed essentialiter, quo respectu Deus justus & salvans appellatur *Esa.45, 21.* verum etiam juxta carnem adsumtam ἀναμάξη- *Naturalis Christi Justitia.*

μάρτυς eſt, absq; ulla injuſtitiæ labe conceptus aut natus: quo reſpectu juſtus Dei ſervus vocatur *Eſa. 42, & 53.*

LIIX. Eâ juſtitiâ indigebat ipſe ad officium Mediatoris, Talis enim decebat, ut nobis eſſet Pontifex, ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus *Heb. 7,26.* neq; poterat Deus iratus nobis reconciliari ab eo, qui ipſemet reconciliatione, ob naturalem corruptionem, indiguiſſet.

Actualis Chriſti juſtitia.

LIX. *Actualis* Chriſti juſtitia eſt, qua ipſe, licet Dominus legis, totum ſe ſubjecit legi, partim obſervando legem in minimis maximis, ut adimpleretur omnis Dei juſtitia, *Matth, 3, 15.* unde verè de ipſo ſcriptum eſt, iniquitatem ipſum non feciſſe, nec dolum in ore ejus inventum eſſe *Eſa. 53, 9:* partim recipiendo in ſe maledictum legis, factus patri obediens usq; ad mortem crucis *Phil. 2, 8.*

LX. Eâ juſtitiâ non indigebat ipſe, qui naturâ ſuâ erat juſtiſſimus: indignum itaq; eſt homine Chriſtiano, dicere aut ſentire, Chriſtum ſibi quoq; aliquid promeruiſſe, quod ex *Lombardo lib. 3. ſent. diſt, 18.* docuerunt *Bellarm. lib. 5. de Chriſto cap. 9. Buſæus th. 42. ſeqq. cont. Gerlach.* ex *Calvinianis Johan. Piſcator. & ſocii.* Parum abeſt hic error ab Ebio-

Ebionismo: nam de Ebione refertur, quod dixerit ipsum Christum propter morum profectum, tanquam alium hominem esse justificatum: vide *Eusebium l. 3. hist. Eccl. c. 27.*

Imputata Christi justitia.

LXI. Imputata Christi justitia est Christi actio & passio, in tempore præstita, & nobis applicata. Nam Christi in carnem adventus, incarnatio, passio, mors, resurrectio & universum meritum, Nostrum est, pro nobis præstitum, & tanquam λύτρον ἰσοστάσιον æterno patri pro peccatis nostris persolutum. Unde vocatur Jehovah justitia nostra *Jerem. 23. & 33.* & Apostolus Paulus testatur, ipsum nobis à Deo factum esse justitiam *1. Cor. 1.*

LXII. Cum ergo hæc Christi justitia propriè nostra sit, per certum aliquod medium, ut nostra fiat, necesse est: illud vero ex parte Dei est, Verbum & Sacramenta, quæ sunt organa illa προσφερόμενα beneficiorum Dei, illud respectu omnium, hæc respectu singulorum in specie: ex parte nostra autem *Fides* est, unde vulgò justitia Fidei appellatur: de quo medio nunc dicendum erit.

LXIII. Est autem etiam Fidei vocabulum πολύσημον, de cujus significationibus omnib. agere nō est hujus instituti, sed tantū

FIDES.

de Fide justificante: de qua, quæ inter nos & Pontificios sunt controversa, paucis attingemus.

De natura Fidei justificantis.

LXIV. Et primùm quidem de Natura ac Essentia fidei justificantis quæritur, quæ tria complectitur; Notitiam, adsensum, & fiduciam: illa complectitur historiam doctrinæ Evangelicæ; iste, quæ de Christo narrantur, vera esse credit, & in iis acquiescit: hæc ea, quæ fides in genere ut vera agnoscit, sibi quoq; applicat: priora duo ad intellectum, postremum ad voluntatem pertinet.

Fides est notitia.

LXV. Fidem esse notitiam rerum credendarum non nisi vesanus dubitaverit: nam Evangelium, unde est Fides, est utiq; cognitio Christi, sapientia Dei, & notitia mysteriorum Dei; Hinc fide intelligere dicimur *Hebr.11,3.* hinc fides & intellectus arctissimè conjunguntur *Esa.7, 9.* nisi credideritis, non intelligetis: hinc sancti dicunt, se Nosse divina beneficia *Joh.19, 15. Rom. 8, 28*: hinc fidei tribuitur lux, intelligentia, sapientia, ipsa quoq; fides vocatur σοφία, γνῶσις, ἐπίγνωσις, & σύνεσις πνευματική *1.Cor.1, 5: 8, 7. Col.8, 9, 10. 2. Pet.1, 3.5.* incredulitati autem tribuitur ignorantia, tenebræ, cæcitas, stultitia, *Actor.17, 23 & 30. Esa.9, 1.*

Esa. 9. 1. Matth. 4. 15. Joh. 5, 10. hinc denique Christus ipse vitam æternam in cognitione Dei consistere ait *Joh. 17, 3.*

LXVI. Qua quidem operosâ probatione opus non esset, nisi obstaret absurda petulantia Roberti Bellarmini, qui, ut homines suos remittere possit ad fidem implicatam Ecclesiæ Romanensis, falsò dictæ Catholicæ, impudenter scriptitat, fidem non esse noticiam, sed assensum, imò, fidem melius per ignorantiam, quam per noticiam definiri *lib. 1. de justif. cap. 7.*

LXVII. Ea verò opinione suâ & sibi ipsi & sociis suis contradicit: Ipse enim *c. 8.* fatetur: actum Fidei in Epistola *Hebr. 11, 3.* per vocem intelligendi describi; item, fidem repræsentare res sperandas; & tamen *cap. 7.* fidem melius, ait, per ignorantiam, quam per noticiam definiri. Intelligentia verò & repræsentatio opponuntur Ignorantiæ: utrumq; oppositorum satis absurdè fidei tribuit Bellarminus.

LXIIX. Sociis contradicit: nam *Costerus in Enchir. cap. 4.* fidem nominat speciem quandam cognitionis: *Pererius lib. 5. in Gen. quæst. 4.* tribuit fidei lumen & contemplationem Dei, quam confert cum contemplatione Dei in patria ex *Thoma 2. 2. quæst. 5. art. 1. &c.*

LXIX. Omnia verò, quæ contra hanc veritatem dicto capite affert *Bellarminus* ex Scripturâ & Patribus, vera sunt de intellectu naturali, & ratione nondum à Spiritu sancto illuminatâ: unde fides notitiam suam non petit: & hoc sensu concedimus, redigendum esse intellectum sub obsequium Christi; fidem esse, credere quod non vides: fidem non ex intellectu, sed intellectum ex fide esse.

LXX. Fides autem illuminata à Spiritu sancto in verbo videt & intelligit mysteria, quæ intellectui humano erant abscondita: nam quæ naturâ sunt occulta, & ignorantiæ tenebris obruta, clara fiunt fidei & lucida, propter lucem illam divinam, quæ mentes illustrat *Johan. 1, 9. Psal. 36, 10:* & hinc est, quod scriptura fidei tribuit *vón-* *σιν Hebr. 11, 3.*

LXXI. Non ergo necesse est, remittere homines ad suliginosum illud Satanæ commentum de fide implicita, qua si sufficiat ad salutem credere, quæ Romana credit Ecclesia. Nam si justus tua, non aliena fide vivit, oportet etiam ipsum habere rerum credendarum notitiam: quam cum ex intellectu suo naturali habere non possit, ex verbo petat necesse est: hoc legat, audiat

audiat, meditetur, & revelationem mysteriorum divinorum precibus à Deo impetret, exemplo Davidis in *Psalm. 119.* nam præceptum Domini lucidum est, illuminans oculos *Psalm. 19, 9.*

LXXII. De Adsensu nullum est dubium, quin ad Fidem requiratur: nam qui verbo Dei non adsentitur, infidelis est, & Deum mendacem facit. Unde notitia & adsensus plerumq; conjunguntur, cum de partibus fidei essentialibus quæritur, unum pro altero ponitur: utrumq; etiam ad intellectum refertur. *Fides & assensus.*

LXXIII. Quia verò in impiis & diabolis etiam notitia & assensus rerum divinarum, quæ in verbo continentur, esse possunt, necessaria est tertia pars Fidei, FIDUCIA, quæ est firma cordis persuasio, qua singuli fideles non tantum generale DEI verbum apprehendunt & verum esse credunt, sed & promissiones gratiæ sibi in specie applicant. *Fides est fiducia.*

LXXIV. Hanc partem fidei contemnunt, & ex foro justificationis nostræ præter meritum eliminant Papicolæ, (a) merumq; figmentum hæreticorum nominant, quod Scripturæ contrarium sit: nos verò jure meritoq; primatiam potissimamque fidei justificantis partem esse judicamo. (a) *Perer. disp. 9. in cap. 1. Rom. th. 50.*

LXXV. Fundamentum hujus assertionis ponimus in loco classico, Rom.4, 20. ubi de patre credentium Abrahamo scriptum est: In repromissione Dei non hæsitavit diffidentia (ἀπιστίᾳ) sed πληροφορηθεὶς confortatus fide dedit gloriam Deo &c. Ubi πληροφορία opponitur infideli hæsitationi. Sicut igitur hæsitatio illa ad ἀπιστίαν, ita πληροφορία seu fiducia ad πίστιν pertinet: contrariorum enim eadem est ratio.

LXXVI. Hinc est, quod Epistol: ad Hebr. cap.11. fidem definit ὑπόστασιν rerum sperandarum, & ἔλεγχον non apparentium: firmiter enim se opponit omnibus periculis internis & externis: & Deo de salute promissa certò confidit, etiam in rebus desperatis: illud est ὑποστάσεως, hoc ἐλέγχε.

LXXVII. Etsi autem ὑπόστασις quatenus simpliciter repræsentationem notat, & ἔλεγχος quatenus est demonstratio & evictio quædam, non ad voluntatem, sed intellectum pertinet: tamen addita notatio objectorum, ea ad fiduciam, quæ voluntatis est, restringit.

LXXIIX. Appellatur enim ὑπόστασις τῶν ἐλπιζομένων, quæ non nisi certissimæ spei

spei fiduciæq; descriptio est, quando ea, quæ sperantur, tam firmiter apprehenduntur, ac si præsentissima habeantur, ita ut irruentibus dubitationibus animus non cedat, sed loco consistat, impetum excipiat ac sustineat: hoc enim proprie est ὑφίστασθαι. Quam ob causam LXX. interpretes interdum reddiderunt ὑπόστασιν, quod in Hebræo est spes & expectatio. *Psal.39,8. Ezech. 19,5. Mich.5,7. &c.*

LXXIX. Ita D. Paulus nominat ὑπόστασιν καυχήσεως, substantiam gloriationis suæ, hoc est imperterritam animi confidentiam, quæ nemini cedit, ubi & mens & voluntas certò persuasa est, se habere justam gloriandi causam *2.Cor.9, 4: 11, 17.* & in Epist. ad Hebr. *3, quod v.6.* vocatur παῤῥησία fiducia: hoc postea *vers.14.* dicitur ὑπόστασις. Dubium ergo non est, sicut παῤῥησία voluntatis est: ita & ὑπόστασιν eò referendam esse.

LXXX. Appellatur etiam ἔλεγχος τῶν μὴ βλεπομένων: ubi notatur non tantum mentis, sed & voluntatis evictio, ut apprehendat etiam ea, quæ non videt, eaq; sibi applicet in præsenti: quasi dicat Apostolus: Fides neq; ratione nititur, neque sensibus, sed promissione Dei de futu-

ris etiam, & ab omni sensu remotis, quam firmiter amplectitur, sibiq; promissiones illas dictas putat.

LXXXI. Nam hæc firmissima apprehensio gratiæ in promissionibus contentæ, facit nos jam in præsenti filios Dei, ut Johannes in 1. Epist. 3. loquitur, & hæredes earum rerum, quas per spem adhuc expectamus; quod nisi fieret hac in vita, nihil esset in altera, quod sperare vel expectare possemus. Unde liquet, ὑπόστασιν & ἔλεγχον hoc in loco non esse nudam notitiam, sed rerum absentium apprehensionem firmamq; voluntatis persuasionem, ut applicentur à corde fideli non secus, ac si præsentes essent.

LXXXII. Eandem fidei fiduciam scriptura alibi passim ubiq; docet, quando promiscuè usurpat fidere & credere, fidem & fiduciam *Psal. 2. vers. ult. Psal. 34, 9. Marc. 16, 16. Psal. 112, 7: 28, 7. Prov. 3, 5.* item *Ps. 31, v. 1.* In Domino confido, non confundar in æternum, quod Apostolus per credere exponit, *Rom. 10, v. 11:* qui credit, non confundetur: item quando credere ἐξηγητικῶς exponitur per confidere, ut *Ps. 18, 12.* non crediderunt in Deum, nec confisi sunt in salutem ejus, similia vide *Mich. 7, v. 5. Job. 39. v. 15.*

item

item quando credere jubemur IN Deum, quod non est solius notitiæ; ea enim credit Deo; sed plerunq; est fiduciæ, quæ fertur in Deum, apprehendit & recipit Deum cum suis promissionibus: ut *Johan.1, 12.* quotquot acceperunt eum, dedit eis potestatem Filios Dei fieri, qui credunt in nomen ejus.

LXXXIII. Idem ostendere possumus hac ratione, quod scriptura τὸ credere opponit τῷ Metuere; fidem Metui seu timori, ut *Matth.5, v.36.* Ne timeas, inquit Christus, tantummodo crede, & *Luc.8, 50.* ne timeas, crede tantum & servabitur filia tua. Metus autem & timor non ad intellectum, sed voluntatem pertinent; ergo & fides; oppositio enim in eodem subjecto fieri debet: adde quod in posteriori exemplo effectus fidei subjicitur, salus filiæ, quæ sanè non nudæ notitiæ Christi adsignari potest: eam enim & dæmones habent *Jac.2.* sed fiduciæ seu fideli apprehensioni Christi necessariò adscribitur.

LXXXIV. Cum ergo constet ex scriptura, Fidem includere firmam animi fiduciam, meritò hinc excluditur Dubitatio Pontificia de remissione peccatorum & justitia nostra, quam ipsi quidem mirè extollunt, & titulo humilitatis commendant; *Dubitatio Pontificia excluditur à Fide.*

nos verò ut figmentum Satanæ & horribilem conscientiarum carnificinam rejiciendam esse arbitramur.

LXXXV. Pugnat enim cum fine promissionum divinarum, quæ firmas faciunt conscientias credentium *Rom. cap. 4. vers. 16.* pugnat cum fide justificante, cujus est obsignare, quod DEUS verax sit, *Johan. cap. 3. vers. 33.* pugnat cum officio Spiritus sancti, qui est arrha promissionum obsignans in cordibo nostris adoptionem filiorum Dei, *Rom. 8. Ephes. 1.* pugnat cum veritate Dei: nam qui non credit, Deum mendacem facit *1. Johan. 5. 10.* est signum reprobationis: nam qui cognoscere possunt, quod Christus in eis sit, inter reprobos referuntur, *2. Cor. 13. 5.*

LXXXVI. Concludimus itaq; Fidem justificantem partim in intellectu esse, ut noticiam & adsensum; partim in voluntate, ut certam fiduciam: nihil morati clamores Pontificiorum, qui hanc doctrinam monstrum & chimæram vocitare solent, quasi impossibile sit, virtutem unam in duabus esse potentiis genere distinctis.

LXXXVII. Hac enim ratione monstra & meræ essent Chimeræ, quæ Pontificii ipsi docent de Imagine Dei, de Libero arbitrio,

trio, de spe, de sanctificatione, & Regeneratione hominis. Nam imago Dei numero una, est partim in intellectu, lux nimirum sapientiæ in mente; partim in voluntate, rectitudo videlicet & conformitas cum Lege Dei. In libero arbitrio, notitia boni & mali ad intellectum pertinet: libertas eligendi ad voluntatem. Spes definitur expectatio certa futuri boni: certitudo ad intellectum, expectatio ad voluntatem referenda est: sic & sanctificatio & Regeneratio hominis numero una est, & tamen non tantum in animo, verum etiam in corpore hominis reperitur, unde & corpora nostra vocantur templa Spiritus sancti *1 Corinth. 6. 2. Corinth 6.*

LXXXIIX. Valeat igitur isthæc propositio, virtus una numero non potest esse in diversis potentiis, in Philosophicis virtutibus: in Theologico foro rem aliter se habere, allata testantur exempla.

LXXXIX. Quanquam si de subjecto Fidei dextrè loqui volumus, dicendum est, unum tantum esse Fidei justificantis subjectum, videlicet Animum hominis; quod subjectum scriptura passim cor appellare solet: *Psal. 119. Act. 8, 37. Psal. 28, 7. Prov. 3, 5.* Sed juxta distinctas sui partes in distinctis

Subjectum fidei justificantis.

Animi potentiis esse dicitur, juxta notitiam & adsensum in intellectu, juxta fiduciam in voluntate.

XC. Unde fit nonnunquam in scriptura, ut fides una tantum sui parte nominetur, & tamen tota intelligenda sit. Exempli gratiâ. Quando *Esa. 53.* scribitur: servus meus justus scientia sui justificabit multos, per scientiam seu notitiam Christi fides justificans exprimitur, quemadmodum *Psal 2.* per confidentiam; quia utraq; pars fidei simul sumta unum habet subjectum, Animum hominis, unum etiam objectum, videlicet Christum, de quo objecto Fidei nunc porrò dicendum erit.

Objectum fidei.

XCI. Atq; hic res erit expedita, si juxta distinctas Fidei partes ipsam Fidem distinctè considerabimus. Nam Fides quatenus est notitia & adsensus, objecti loco habet omnia in sacris literis comprehensa, historica & dogmatica, omnia enim sanctè credenda sunt: quod generale Fidei objectum & verbum veritatis appellatur: quatenus autem est fiducia, fidesq; justificans, objectum habet specialius, nimirum misericordiam Dei Patris in Christo promissam, quod vocatur verbum promissionis atq; gratiæ.

92. Nam

XCII. Nam fides justificans adfert pacem & consolationem conscientiæ *Rom.5,1.* jam verò nulla solida consolatio adspirare potest afflictæ conscientiæ ex generalibus fidei objectis, si maximè sciam & credam, Deum condidisse mundum ex nihilo, Deum promulgasse legem in monte Sina, legem arguere peccata; & similia, quæ in sacro codice continentur: sed, si firmiter credo, Deum propter Christum me recepisse in gratiam, condonasse peccata, & ex filio iræ filium fecisse gratiæ, in hoc demum solatio conscientia suaviter adquiescit.

XCIII. Ubi tamen duo notanda sunt. 1. Fidem justificantem in hoc quidem solo objecto misericordiæ Dei adquiescere, quatenus hominem justificat, præsupponit tamen cætera quoq; generalia: quia fides assentitur omni Dei verbo, licet ille generalis adsensus non justificet. Ideo qui aliquam fidei Christianæ, aut verbi divini particulam negat aut impugnat, de fide justificante gloriari non potest.

XCIV. Hinc est, quod credentibus in scriptura etiam alia adsignantur objecta, circa quæ fides eorum sua quadam certa ratio-

ratione occupata est, quemadmodum prolixus ille catalogus fidelium *Hebr. 11.* testatur. Sed quatenus circa ista versatur objecta, eatenus fides non justificat, sed in illis rebus exercetur: opera enim illa sanctorum, quibus vel patientiam, vel constantiam, vel adhæsum rerum divinarum comprobant, de fide justificante testantur, & ut exercitia ejus dicto loco commendantur.

XCV. Deinde notandum est, cum de speciali objecto fidei justificantis loquimur, perinde esse, sive dicas, Dei misericordiam, dilectionem & gratiam, sive Christi meritum, sive remissionem peccatorum, sive promissionem Evangelii, sive vitam æternam: hæc enim omnia cohærent, unum ex altero dependet, & ad idem referuntur: ideò fides justificans apprehendendo unum cætera simul omnia complectitur.

Forma Fidei justificantis.

XCVI. Ex his, quæ de Fidei partibus & objecto diximus, facilè apparet, quæ sit vera forma fidei justificantis, nimirum fidelis receptio & applicatio specialis illius objecti, gratiæ misericordiæq; Dei in Christo promissæ atq; præstitæ, juxta illud *Johan. cap. 1. vers. 12.* quotquot receperunt eum, dedit

dedit eis potestatem filios Dei fieri, *qui credunt in nomen ejus.*

XCVII. In hoc enim dicto posteriora verba, *qui credunt in eum*, explicant priora, *quotquot receperunt eum*: quod ipsum *Bellarm.* agnoscit *lib.2. de grat. & lib. arbit. cap.3.* ubi hæc verba, qui credunt in nomen ejus, similiter exponit, ut ἐξηγήσεις præcedentium: idem facit *lib.1. de justif. cap.15.* ubi scribit, CHRISTUM credendo recipi.

XCIIX. Imò est hæc perpetua Spiritus S. vox, recipere Christum & ejus beneficia, quod aliàs dicitur, credere in Christum. Ita per Christum accipimus reconciliationem *Rom.5,11.* abundantiam gratiæ, *vers.17.* & promissionem Spiritus *Gal.3,14.* misericordiam *Hebr.4,16.* promissionem æternæ hæreditatis *Heb.9,15.*

XCIX. Requirit hoc ipsum natura correlatorum. Nam Spiritus S. Dei beneficia, misericordiam Patris, & meritum Christi offert in promissionibus Evangelicis; harum correlatum est fides, ideò nullum aliud instrumentum est, quo ea, quæ promittuntur, apprehendi possint, quam fides: Verbum enim absq; fide nihil prodest auditoribus *Hebr.4,2.*

C. Hinc scriptura expressè testatur,

nos

nos per fidem fieri filios Dei: nam Spiritum S. accipimus per fidem *Gal. 3, 14.* per Spiritum S. acclamamus Abba Pater *Rom. 8, 15, 16.* Sic per fidem etiam sumus in Christo *Galat. 3, 26. Eph. 3, 17.* qui autem in Christo sunt, filii Dei sunt, *Eph. 1, 5.* Unde omnium clarissimè scribit Apostolus Paulus, nos per fidem esse filios DEI in Christo Jesu *Gal. 3, 26.*

CI. Falsum igitur est *Bellarmini* affirmatum *lib. 1. de justif. cap. 13.* nos per fidem *nondum esse* filios Dei, sed *fieri posse*, si nimirum pergamus ulterius, ita ut & sperare & diligere incipiamus. Nam dilectio nostra non est causa υἱοθεσίας nostræ, sed effectum, quod de causa sua restatur tanquam infallibile signum, quemadmodum *D. Johannes* ea de re loquitur. *1. Joh. 3, 25. & cap. 4, 7. seqq.*

CII. Si ergò receptio Christi vera fidei forma est, absurdum erit dogma Papisticum, quo inter fidem formatam & informem distinguunt: hanc vocant nudum assensum: illam, fidem cum caritate conjunctam, ita ut caritas sit forma fidei, ut videre licet apud *Bell. lib. 1. de grat. & lib. arbit. cap 6. & lib. 2. de justif. cap. 4.*

CIII. Quod absurdum dogma refuta-

tur

tur inprimis triplici differentia fidei & caritatis. Sunt enim fides & caritas. 1. formis suis distincta: ergo quælibet suam habebit formam. 2. Sunt subjectis distincta. Fides virtus intellectus est, dicentibus Pontificiis, caritas voluntatis; ergo una alteram informare non potest, ex hypothesi Bellarminiana *lib. 1. de justif. cap. 7.* ubi scribit: unam virtutem non posse esse in potentiis diversis, genere distinctis. 3. Sunt denique distincta, ut caussa & effectus: absurdum autem est, effectum esse formam suæ causæ, hoc est, effectum dare esse suæ causæ, vel esse causæ suæ causæ: forma enim dat esse rei.

CIV. Hæc omnia, quæ hucusq; de Justitia & Fide seorsim disputata sunt, faciunt ad enodationem quæstionis ab initio propositæ, quæ sit illa justitia, quæ coram Deo nos justificat? Respondemus enim esse *justitiam Fidei*, juxta classicum illud Apostoli Pauli *Rom. 3, 28. Arbitramur hominem justificari per fidem sine operibus legis.* *De Justitia Fidei doctrina Papistica.*

CV. Pontificii Justitiam fidei intelligunt de justitia infusa, quam vocant rectitudinem internam, qua homo rectè ordinatur erga Deum & proximum, ut *Bellarminus* loquitur *lib. 1. de justificat. cap. 1.* eamq;

eamq; duplicem constituunt, unam habitualem, alteram actualem: habitualem tribuunt justificationi primæ, quam vocant, quando ex impio fit justus: actualem justificationi secundæ, qua ex justo fit justior. *Bellarm. lib.4. de justif. cap.18.*

CVI. Et hanc justitiam dicunt vocari justitiam Fidei, ideò quia fides est humanæ salutis initium, fundamentum & radix omnis justificationis, quemadmodum *concil. Trident.* loquitur *sess.6. cap.8.* vel ut clarius exponit *Costerus in Enchir. cap.6. pag.270.* quia ad eam adducimur, non naturali illa cognitione, vel scientia legis Judaicæ, sed fide Christi, quæ nobis & Christum proponit, qui hanc justitiam nobis suâ passione est promeritus, & ostendit modum, quo ad eam Deo duce pervenire valeamus. Justitiam Dei etiam vocari scribunt, quia viribus humanis non comparatur, sed sola Dei misericordia INSTILLATUR. *Cost. l.d.*

CVII. Ita Philosophantur Pontificii de Justitia nostra, cui ancora salutis nostræ concredenda est, ut ea operibus & virtutibus hominum infusis, seu ut Costerum imitemur, instillatis adscribant, quæ scriptura in solidum gratiæ ac misericordiæ Dei, & fidei ut instrumentali causæ gratiam Dei apprehendenti tribuit.

108. Quæ

CIIX. Quæ quidem omnia facilè refutantur, si attendimus partim ea, quæ supra de Justitia seorsim attulimus; partim ea scripturæ loca, in quibus justitia legis & fidei, item fides & virtutes hominum in negotio salutis nostræ directè opponuntur. *Rom. 3, 20, 21, Rom. 11, 6. Phil. 3, 9. Eph. 2, 8. &c.*

CIX. Nobis non ita pueriliter de Justificatione nostra sentire licet, ac si esset Physica quædam qualitatum in nobis alteratio seu instillatio ex dono Dei gratuito profecta, quemadmodum ex mera sua gratia absq; viribus humanis solem suum jam oriri jam occidere sinit super bonos & malos, ejusq; vel aditu vel abitu, jam calefacit, jam frigefacit, jam has, jam illas qualitates creaturis suis instillat.

CX. Sed totus hic actus judicialis est, ubi homo à lege accusatus provocat à justitiæ divinæ rigore ad misericordiam Dei propter intercessionem filii Mediatoris, sub cujus umbraculo peccator tutò latet adversus accusationem legis & propriæ conscientiæ: quo in negotio justificatio opponitur condemnationi, & significat non justum facere, gerecht machen / sed justum pronunciare seu absolvere, rechtfertigen.

CXI. Quam ob causam scriptura in describendâ nostrâ coram Deo justitiâ meris utitur vocabulis forensibus, qualia sunt, non venire in judicium *Joh. 3.* non condemnari *Rom. 8, 1.* justificatum seu justum pronunciatum descendere in domum *Luc. 18.* ita fit mentio advocati *1. Joh. 2.* intercessoris *Rom. 8.* Chirographi *Col. 2, 14.* & *Rom. 3, 9, 19, 24.* totus processus justificationis & salutis nostræ forensibus describitur phrasibus & vocabulis.

CXII. Unde liquet, quod in hoc negotio non ita tantùm combinentur Justitia & Fides, quasi fides initium & radix sit justitiæ, quæ Christum proponat, & modum ad eum perveniendi ostendat: hoc enim proprium est doctrinæ Evangelicæ, non fidei justificantis: sed potius conveniunt, ut donum apprehensum, & instrumentum apprehendens: quia justitia merito Christi parta & per fidem apprehensa nostra fit, nosque Deo gratos & acceptos reddit.

CXIII. Est ergò Justitia fidei, ut Formula concordiæ describit, remissio peccatorum seu reconciliatio cum Deo, & adoptio in Filios Dei, propter solam Christi obedientiam, quæ per solam fidem ex mera gra-

ra gratia omnibus verè credentibus ad justitiam imputatur, ita ut propter hanc imputationẽ, ab omni injustitia absolvantur.

CXIV. Ea justitia pro diversitate causarum diversa sortitur nomina. Ratione efficientis vocatur *Justitia Dei Rom. 1, 17. 3, 20, 22*, quia Deus ex mera gratia alienam nobis imputat justitiam; ratione causæ meritoriæ vocatur *Justitia Christi*, quia Christus eam agendo & patiendo præstitit, unde justificati pacem habere dicuntur apud Deum, per Dominum nostrum Jesum Christum *Rom. 5, 2.* ratione causæ instrumentalis ex parte nostra nominatur *Justitia Fidei*, quia nostra fit per Fidem, absq; operibus *Rom 4, 6.* ratione modi denique quo fit nostra, dicitur *Justitia imputata*, quia credentibus peccatum, quod habent, non imputatur; & obedientia Christi, quam non habent, imputatur, & sic beati & justi coram Deo constituuntur, juxta illud *Psal. 32, 1, 2.* Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum, &c.

CXV. Unde colligere possumus: justitiam fidei quatuor complecti: gratiam Dei, ut causam efficientem: meritum Christi,

ut causam meritoriam: Fidem, ut causam instrumentalem: imputationem, ut modū applicationis: de quibus singulis si considerabimus, quomodo ad nostram coram Deo justificationem concurrant, totum hoc mysterium salutis nostræ expeditum erit.

CXVI. Gratia Dei est efficiens justificationis nostræ causa, justificamur enim gratis gratia Dei *Rom.4, 24.* quæ in scholis intrinseca impulsiva dicitur, & cum misericordia gratuita, bonitate & beneplacito Dei coincidit: extrinsecus enim Deum impulit, ut nostrūm misereretur, desperata hominum miseria *Rom.5, 8.* & hinc justitia nostra Dei justitia passim vocatur locis suprà allegatis.

Tit.3, 4. Eph.2, 4.

De Gratia DEI.

CXVII. Tribuitur omnibus SS. Trinitatis personis: quia penes omnes est judicium ferre vitæ vel mortis, reum absolvere vel condemnare, quia omnes à peccatore læsæ sunt: ideo de Patre scribit D. Johan. *1. Joh.3, 1.* videte qualem caritatem dedit nobis Pater: de Filio Div. Paulus *Gal.2 v.20.* Christus dilexit me, & tradidit semetipsum pro me: de Spiritu sancto *1. Cor.6,11.* Justificati estis per nomen Dei nostri Jesu Christi, & per Spiritum Dei nostri.

118. Ab

CXIIX. Ab Apostolo vocatur χάρις, in cujus descriptione quatuor isti hæc concurrunt: 1. quod idem sit ac misericordia & εὐδοκία Dei *Eph.* 1, 5: 2, 8. 2. quod respectum habeat ad nostram miseriam & adflictionem, juxta illud *Eph* 2, 4. cum mortui essemus in peccatis, vivificavit nos per Christum, cujus gratia salvati estis. 3. quod exhibeatur nobis indignis, cum pœnam potius quàm gratiam promeriti essemus, ut ex eodem loco patet. 4. quod absq; ullo respectu operum aut virtium humanarum conferatur, juxta luculentam antithesin Apostoli *Rom.* 4, 6. si ex gratiâ, non ex operibus, aliàs gratia non esset gratia. In scholis vocatur gratia gratum faciens.

CXIX. Effectum ejus appellatur interdum χάρισμα, gratia gratis data, quæ nihil aliud est, quam donum Renovationis, quod nequaquam justum facit, sed jam justificatum sequitur: ideo Scriptura tam diligenter distinguit inter gratiam Dei, qua justificamur, & inter dona per gratiam: utramq; Christi donum est, sed illud causa, hoc effectum justificationis nostræ.

CXX. Perperam igitur fit à Pontificiis, quod gratiam in articulo justificationis interpretantur dona & qualitates in-

nobis à Deo concessas absq; nostro debito quibus justi coram Deo constituamur, ut habet *Bellarm. lib. 1. de grat. & lib. arbit. cap. 1.* Unde *Costerus* scribit *in Enchir.* gratiam inde dictam esse, tum quia gratis detur, tum quia gratos nos efficiat Deo.

CXXI. Falsum hoc esse, hinc evincitur: quod gratia, quam fingunt Pontificii, significat opera in nobis: in articulo autem justificationis gratia & opera semper opponuntur *Rom. 3, 4, 6, 9, 11. capp.* & ad *Gal. 2, 21,* Si ex gratia, ergo non ex operibus: si per legem justificamini, excidistis ex gratia, gratis Christus mortuus est, &c: quin & salvari dicimur, non ex operibus, quæ fecimus nos, sed ex DEI misericordia. *Tit. 3.*

CXXII. Hinc est, quod justificatio & Salus nostra in Scriptura adscribitur non tantùm gratiæ Dei in Christo *Rom. 3. v. 24. Eph. 2. vers. 8.* verùm etiam bonitati ac φιλανθρωπία Dei *Tit. 3, 4.* misericordiæ Dei *Psal. 51, 1. Tit. 3, 5, 7.* dilectioni *Joh. 3, 16. Ephes. 2, 45.* quæ omnia facilè exponunt, quæ sit illa gratia Dei in hoc negotio: nusquam autem tribuitur qualitatibus, operibus, aut virtutibus in nobis.

CXXIII. Quam ob causam non simplici-

plicitèr gratiâ Dei justificari dicimur, sed δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι gratis ipsius gratia. *Rom.3,24.* quia justitia nobis confertur absque ulla solutione precii nostri. umbsonſt *Gen.29,15.* etiam sine justa causa in nobis, ohn vrſach *Pſ.23, 28: 69, 2.* absq; ullo nostro merito, ohn alle verdienſt *1.Sam.19, 25.* hæc autem omnia vocula δωρεὰν in scriptura complectitur, quemadmodum Dn. Chem. utiliter observavit in L. C.

CXXIV. Quapropter non est confundenda causa cum suo effectu. Neq; enim negamus, Renovationem nostram esse donum Christi nos justificantis, & sæpè in scriptura cum justificatione conjungi: non tamen fundamentum aut causa justificationis nostræ, sed consequens & effectum est.

CXXV. Meritoria causa justitiæ nostræ est Christi obedientia, qua Patri pro nobis per omnia satisfecit, de qua supra. Et extra hanc Christi obedientiam gratia vel misericordia Dei nunquam quæri vel inveniri potest: testatur enim scriptura pleno ore, Deum dilexisse nos in dilecto *Eph.1.* & hoc est nomen illud unicum, in quo salutem habemus *Actor.4.12.* unde tritum illud: Extra Christum nulla est salus, nulla gratia, nulla justitia. *De Merito Christi.*

CXXVI. Nam cum Deus æquè justus esset, ac misericors: noluit misereri generis humani, nisi de satisfactione justitiæ suæ constaret. In Christo igitur factum est admirandum justitiæ misericordiæq; divinæ temperamentum, qui plenariâ suâ satisfactione effecit, ut neq; infinita Dei justitia puniens peccata exhauriret inexhaustum misericordiæ fontem: neq; immensa misericordia & benignitas tolleret justitiam justissimo judicio peccata punientem.

CXXVII. Deus igitur in Christo damnavit peccatum, ut justitiæ suæ satisfieret, quæ peccata diligere non potest: imò si diligeret, non esset justitia, sed abominatio *Proverb. 17, 15. Esa 5, 23.* in Christo etiam seu intuitu meriti Christi dilexit mundum, quia præstito pro nobis λύτρῳ salva manet Dei justitia, & locum invenit misericordia.

CXXIIX. Hinc universa scriptura justitiam & salutem nostram unicè ad Christum refert: nam & redemtio per sanguinem Christi facta *Col. 1, 14.* & remissio peccatorum *Rom. 3, 25.* & salus datur à Christo in remissione peccatorum *Luc. 1. v. 77.* unde & Nostra justitia vocatur, *Jer. 23, 6. 1 Cor. 1. 30.* & agnus ille Dei benedictus, qui tollit peccata mundi *Joh. 1.*

129. Non

CXXIX. Non autem ita Christus nostra est justitia, quasi nobis illud sit promeritus, ut ab ipso adjuti satisfacere possimus mandatis Dei, & vitam mereri æternam: hoc enim Pontificii justitiam Christi vocitant, sed nuspiam reperitur in scripturâ, quæ potius in solidum λύτρον illud pro peccatis præstandum operibus nostris derogat, & Christo acceptum fert, *Rom.3. & 4. Gal.3. Eph.2.* quin & opera sanctissimorum etiam hominum imperfectionis arguit quæ perfectissimæ & infinitæ Dei justitiæ nequaquam respondere possunt *Psal.19: 32. 5, 6. &c.*

CXXX. Meritum illud Christi nostrum fit per fidem; sine qua Christus nobis otiosus est: ideò Fides instrumentalis causa justificationis nostræ dicitur ex parte nostra, apprehendens Christum & applicans homini ejus meritum: unde non PROPTER fidem, sed PER fidem justificari dicimur, juxta illud *Rom.3. 22.* justitia Dei per fidem Jesu Christi est in omnes & super omnes credentes. *De instrumentali causa justificationis.*

CXXXI. Dissentiunt etiam hac in parte à nostris Ecclesiis Pontificii. Nam cum fidem ex negotio justificationis nostræ eliminare penitus non possint, statuunt interim,

rim, fidem justificare non per modum instrumenti, sed per modum dispositionis, ut *Bellarm.* loquitur *lib. de justif. cap.* 3.

CXXXII. Hoc est, non existimant fidem esse mendicam illam manum, quæ ex se nihil facit ad doni collationem, sed apprehendit tantùm aliunde profectum, ab alio promeritum, & ex gratia donatum: verùm præparationem saltem aliquam & dispositionem cordis ad cæteras virtutes, spem, dilectionem & similes, quæ omnes simul sumtæ justificent: ideo fidem non ad instrumentales causas, sed ad formalem vel materialem justificationis nostræ referunt.

CXXXIII. Sed cum agnoscant, Christum cum omni suo merito donatum esse mundo, necesse est, ut agnoscant etiam aliquam instrumentalem causam, quæ donum illud apprehendat, aliud autem præter fidem dare non possunt, unde supra ex *Bellarmino* audivimus, ipsum quoq; τὸ λῆψιν statuere formam fidei. aliud enim officium fides non habet in hoc negotio.

CXXXIV. Nam quod de præparatione garriunt Pontificii, nihil hoc ad fidem justificantem. Non enim negamus præcedere aliqua justificationem nostram, præsertim

sertim in adultis, ut sunt, prædicatio & auditus verbi, verus animi dolor: notitia deniq; & adsensus promissionum divinarum in intellectu: fiducia erga DEUM in voluntate: non autem præcedunt ex libertate arbitrii nostri, aut ut meritum justificationis, quod de duobus prioribus est manifestum; contritio autem præcedit, ut sensus morbi, aut dolor vulneris, qui non est meritum sanationis, sed impellit & urget ad quærendum medicum: Fides autem ut instrumentum & mendica manus apprehendens meritum obedientia Christi nobis adquisitum.

CXXXV. Ideo *D. Augustinus* hæreticos eos vocat, qui docent homines vel operibus, vel fide sua aliquid mereri posse, h. e. ut Pontificii loquuntur, qui congruum esse judicant, Deum facientibus quod in se est, impertire gratiam: contra hos sic scribit *epist. 46.* Ne quisquam dicat, meritis operum suorum vel meritis operationum suarum, vel meritis fidei suæ sibi traditam Dei gratiam, & putetur verum esse, quod *illi Hæretici* dicunt, gratiam Dei secundum merita nostra dari, quod omninò falsissimum.

CXXXVI. Non autem justificat fides, quatenus vel actio vel opus est in nobis,

sed

sed potiùs, quatenus Christus à fide apprehenditur: unde est illud Apostoli ad *Phil. 3. 12.* apprehendi, imò magis apprehensus sum à Christo: non enim prout qualitas, aut in actu suo posita est, salutarem hunc sortitur effectum, sed ratione correlati sui, quemadmodum donum in se non apprehensioni indigentis, sed gratiæ donantis, suæq; præstantiæ acceptum fertur: ideo fides ipsa, ob apprehensam Christi justitiam nobis imputari dicitur. *Rom. 4.*

CXXXVII. Hinc fit, quod fides interdum instrumentalis, interdum formalis justificationis nostræ causa appellatur: illud, respectu suæ facultatis, quia est instrumentum apprehensivum justitiæ Christi: hoc respectu objecti, quia Christi justitia credenti fit propria.

CXXXIIX. Ex his omnibus verus justificationis nostræ coram Deo modus elucescit. Nam Deus justus est, nos peccavimus: Christus autem nostra factus est justitia, quæ cum extra nos sit præstita, non nisi per imputationem nostra fieri potest: restat igitur, ut de imputatione justitiæ Christi pauca subjiciamus.

De imputatione.

CXXXIX. Imputationis vocabulum ferè Paulinum est, & hujus negotii de justifica-

ficatione hominis peccatoris coram Deo proprium, quod nequaquam opponitur veritati, ut *Bellarminus* vult *lib. 2. de justif. cap. 9.* unde satis contemtim justitiam putativam nominat *lib. 2. de justif. cap. 5.* sed inhærentiæ subjectivæ.

CXL. Nam imputatio non est δόκησις aliqua, aut figmentum, quo quis videtur aliquid habere, quod non habet: sed est realis applicatio meriti obedientiæq; Christi, quæ quidem subjectivè nobis non inhæret; per fidem tamen apprehensa nostra fit, hoc est, nobis à Deo Patre imputatur.

CXLI. Ubi sciendum est, vocabulum imputationis relativum esse: cujus fundamentum est, justitia Christi, quæ nobis imputatur: terminus, persona credens, cui fit imputatio ad justitiam: relatio est misericordia Dei imputans credenti justitiam sine operibus.

CXLII. Quod si absurdum videtur Pontificiis, fundamentum imputationis esse extra nos in Christo: duo ipsis regero: primum est duplicem agnoscere scripturam imputationem; unam, quæ fundamentum habet in eo, cui imputatur, & hæc vocatur imputatio ex debito; alteram, quæ fundamentum habet in alio, non in eo, cui imputatur, & hæc vocatur imputatio ex gratia,

seu

seu imputatio fidei: utriusq; meminit D. Paulus *Rom.4.4.*

CXLIII. Cum ergò scriptura pleno ore fateatur, justificationem nostram esse merè gratuitam, gratis nos justificari, gratis salvari, justificari nos fide, non ex operibus, &c. & tamen decies ad minimum repetat in *cap.4. Rom.* nos per imputationem justificari: rectissimè inferimus, imputationem justitiæ non habere fundamentum intra, sed extra nos, quia est imputatio gratiæ.

CXLIV. Deinde & hoc regero Papicolis: imputationis vocem חשׁב vel λογίζεσθαι sæpè fundamentum ponere non in eo, cui fit imputatio, sed respectivè in cognitione, judicio & voluntate imputantis, ut quando filiæ Labani dicunt, se ut oves fuisse reputatas *Gen.31.* & de Christianis fidelibus scribit Apostolus, quod ut oves reputatæ, vel quod ovium conditio ipsis imputata sit, imò Christus ipse inter sceleratos reputatus dicitur *Esa.53.* quam absurdum autem esset, in Christo hominis scelerati esse fundamentum.

CXLV. Firmissimè igitur concludimus, justificationis nostræ fundamentum non esse qualitates in nobis, quam Pontificii infusam vocant justitiam, sed obedientiam

Christi

Christi extra nos, per fidem nobis imputatam, unde & justitia fidei & justitia Christi, & justitia imputata rectissimè appellatur.

CXLVI. Duo autem in se complectitur imputationis actus. 1. ἄφεσιν. 2. ἄφεσιν: nam peccata, quæ in nobis sunt, non imputantur, & hæc vocatur remissio peccatorum: vicissim justitia Christi, quæ in nobis non est, nobis accepta fertur; & hæc vocatur Dei acceptatio; utrumq; simul sumtum, dicitur Justificatio; nam quando peccatum, quod nostrum est, tegitur; & justitia quæ nostra non est, nobis donatur, tunc ex peccatoribus justi constituuntur.

CXLVII. De priori parte David loquitur *Ps.32, 2.* Beati, quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata: beatus vir, cui non imputavit Dominus peccatum: de posteriori Apostolus Paulus *Rom.4,5.* ei qui non operatur, sed credit in eum, qui justificat impium, imputatur fides ejus ad justitiam.

CXLIIX. Sublato igitur peccato, succedit justitia: & vicissim justitiâ Christi imputata, remissum est peccatum: quia peccatum & justitia sunt duo immediatè pugnantia, juxta illud *Ps.45, 8.* diligis justitiam, & odio habes iniquitatem: unde fit, quod

quod justitia fidei interdum per remissionem peccatorum describitur, ut *Psalm. 32.* interdum per imputationem justitiæ Christi, ut *Rom. 4. Phil. 3.*

CXLIX. Cum ergò nostra coram Deo justitia non in infusione novarum qualitatum, sed in imputatione alieni meriti consistat, sequitur excludi ab actu justificationis nostræ omnia nostra opera, quia non merenti, sed credēti fit imputatio, quemadmodū exēplo Abrahami declaratur. *Rō. 4, 5.*

CL. Neq; verò hic admittimus inanem illam distinctiunculam, quam subinde crepant Pontificii, inter justificationem primam & secundam, quarum illam habitualem vocant, & iis tribuunt, qui ex statu iræ in statum gratiæ primùm transferuntur, quam infantibus sufficere ajunt: hanc verò actualem nominant, & eam tribuunt adultis, quando majore justitia augentur: illam fieri scribunt in baptismo, & prima reconciliatione, hanc in quotidiana pœnitentia: In illa, scribit *Bellarminus*, non requiruntur opera perfectè justa, in hac opera justa maximè admiscentur *lib. 2. de justif. cap. 15. & 18.*

CLI. 1. Primum enim talem habitualem justificationē, quæ fiat per infusionem habitus justitiæ, non agnoscit universa scri-

scriptura: Nam habitus ille, quem fingunt Pontificii, utiq; ad legem pertinet: Apostolus autem clarè dicit, nos justificari fide, sine operibus legis, imò si per legem justitia, gratis CHRISTUM esse mortuum *Rom. 3. Gal. 2, 16, 21.* Ergo prima illa justificatio Pontificiis non rectè describitur per habitualem justitiam.

CLII. 2. Deinde discrimen hoc inter justificationem primam & secundam itidem ignorat scriptura, & non nisi unam semperq; sibi constantem justificationem docet. De Abrahami etiam justificatione ita loquitur Apostolus, ut omnia simpliciter excludat opera *Rom. 4.* non autem scriptum est propter eum solum, quod hoc imputatum fuerit ei, sed propter hos etiam, quibus futurum est, ut imputetur, *Rom. 4, 23.*

CLIII. 3. Imò totum salutis nostræ negotium adscribitur gratiæ Dei in Christo fide apprehensæ; operibus derogatur. Non operibus, sed ex gratia ad vitam sumus electi in Christo *Eph. 1.* secundum propositum & gratiam Dei, non ex operibus, sumus vocati, *2. Tim. cap. 1.* per CHRISTUM habemus remissionem peccatorum, à quibus non poteramus per legem justifi-

cari; *Actor. 13.* justificamur gratis per gratiam ipsius, per redemtionem, quæ est in CHRISTO JESU *Rom. 3.* Salvamur etiam gratis absq; operibus *Psal. 32. 2. Tit. 3.* imò non tantum autor, sed & consummator fidei & salutis nostræ CHRISTUS est; *Hebr. cap. 12.*

CLIV. Sufficit ergò justitia Christi ad justificationem & salutem non tantum iis, qui justificantur in baptismo, quam illi justificationem primam nominant; verùm etiam iis, qui in peccata relapsi pœnitentiam agunt, juxta illud *Augustini epist. 50. ad Bonifac.* quidquid ab iis, qui post acceptum baptismum hîc vivunt, infirmitate humana contrahitur, quarumcunq; culparum, propter ipsum lavacrum dimittitur.

CLV. Hinc orta phrasis est planè Apostolica: *Sola fides justificat*, quia sola apprehendit Christi justitiam, & satisfactionem, absq; ullo operum adminiculo, juxta illud Pauli *Gal. 2, 16.* Non justificatur homo NISI per fidem, & *Rom. 3, 28.* simpliciter ab hoc fidei actu removet opera: arbitramur hominem justificari per fidem, *SINE OPERIBUS* legis.

CLVI. Quæ verba LUTHERUS noster

ster dexterrimè reddidit, allein durch den Glauben/ ohn des Gesetzes Werck: quia hæc est ratio oppositorum, ut excluso uno alterum intelligatur SOLUM: quam interpretationis libertatem secuti sunt quoq; LXX. & vetus interpres latinus; etiam iis in locis, in quibus non est tam clara antithesis, sed ex textu saltem constat, de una tantum re sermonem esse, ubi exclusivam addiderunt, licet in Hebræo non extet, ut Gen. 3, 11. 2. Paralip. 20, 12. qua de re vide ipsum LUTHERUM Tom. 5. Jen. German. fol. 140.

CLVII. Quod cum intelligerent sancti Patres, ne quidem ipsi abhorruerunt à particula exclusiva: licet non essent nescii, eam quoad apices literarum in textu Paulino non contineri. Ita enim *Ambrosius sup. cap. 4. ad Rom.* Quomodo Judæi per opera legis justificari se putant justificatione Abrahæ, cum videant, Abraham non ex operibus legis, sed *SOLA* fide justificari.

CLIIX. Ita *Basilius homil. de humil.* Hæc est perfecta & integra gloriatio in Deo, quando nec ob justitiam suam quis se jactat, sed novit quidem seipsum veræ justitiæ indignum, *SOLA* autem fide in Christum justificatum.

CLIX. Ita *Hilarius in Matth. Can. 8.* Movet scribas, remissum ab homine peccatum: hominem enim tantùm in JesuChristo intuebantur: & remissum ab eo, quod lex laxare non poterat: Fides enim SOLA justificat.

CLX. Relinquimus igitur bonis operibus suum locum, licet in forum justificationis nostræ non intromittamus: Opera enim ad legem pertinent; fides ad Evangelium, cujus ea fructus sunt, & exercitia, quæ sua quoq; apud Deum proposita habent præmia, non ratione meriti, sed ratione gratuiti promissi, quo Deus semet ipsum nobis fecit debitorem.

CLXI. Idem fatetur *Stapletonus in antidot. Evang. super Matth. cap. 5. pag. 45.* cujus sententiam hoc in genere satis dextram & ipsius & aliorum objectionibus de mercede & retributione bonorum operum, cujus interdum scriptura meminit, opponimus, Sic enim ille: *Est quidem promissio Dei gratuita, promissione autem semel facta, retributio non est gratuita, sed debita, non quia Deus nobis aliquid debet, sed quia ejus, quod gratuitò promisit, debitor factus est, & seipsum negare non potest.* Sed hac de re alio tempore plura.

162. Hæc

CLXII. Hæc de justitia Fidei, ex sententia Scripturæ, dicta pro tempore sufficiant: quæ omnia in seriis pœnitentiæ exercitiis melius intelliguntur, quam in scholis disputantur, ibi enim anxia conscientia experitur, quàm arenosum sit fundamentum fiducia propriorum operum, licet multa de ipsorum origine divinâ differantur: vicissim autem sentit efficaciam consolationis, quando fideli pectore respicit λύτρον à Christo pro peccatoribus præstitum: extra quod cum nulla salus sit, anathema sit necesse est, qui vel neglectâ Christi justitiâ, suam in judicio Dei constituere audet; vel perfectissimæ ejus obedientiæ opellarum suarum assuit lacinias: quam impietatem à nobis procul esse jubeat, nos autem in veritate sua conservet SS. Trinitas, Pater, Filius & Spiritus sanctus, unus Deus benedictus in secula,

AMEN.

DISPUTATIO IX.

Ex Johannis Bapt. de CHRISTO *oraculo, Joh. 1. v. 29.*

ECCE AGNUS ILLE DEI, QUI TOLLIT PECCATA MUNDI.

Præside LEONHARTO HÜTTERO D.
Respondit M. ÆGIDIUS STRAUCH *Wittebergensis.*

31. Mart. 1609.

I.

CUm secundùm authenticam Apostoli, Rom. 12, 11. *Tempori sit serviendum*: rectissimè fecerimus, si, posthabitis Quæstionibus aliis, eam sub disquisitionem vocemus materiam, quæ præsenti, serviat tempori: & tùm CHRISTI Servatoris nostri officium, tùm Redemtionis nostræ negotium, accuratiùs contemplandum, ob oculos constituat.

II. Cæterùm, ex universa Scriptura Sacra, ceu gemma quædam splendidissima elucet, Oraculum illud ἀμνὸν Johannis Baptistæ, de CHRISTO editum, *Joh. 1, 29:*

Ioh.

Ἰδὲ ὁ ἀμνὸς τῦ θεῦ, ὁ αἴρων τὴν ἁμαρτίαν τῦ κόσμυ

Ecce agnus ille Dei, qui tollit peccatum mundi.

III. Dignum profectò, cujus non singulas tantùm voces: sed singularum etiam vocum singulos quasi apices pressiùs evolvamus.

IV. Idque propter insignem μεθοδίαν, quâ *Joh. Jacob. Grynæus, part. 3. Voluminis primi Theorematum Theologicorum, pag. 28. & seqq.* oraculo huic nebulas offundere: alienum sensum affingere: omne denique Solatium, quod indè perturbatis conscientiis poterat esse reliquum, in absynthium convertere studuit.

I. BASIS AUREA.

V. Exorsus est Baptista suum de CHRISTO oraculum, à particula ECCE; quæ geminam in Scripturis vim obtinet: *Demonstrandi* unam, *Excitandi* alteram.

VI. Utrumque nimirùm pensi habuit: tùm, ut digito indice monstraret eum præsentem, quem tàm diu multumque, tot tantisque precibus, gemitibus, suspiriis, fideles quique Veteris Testamenti venturum præstolati fuerant: tùm, ut animos Auditorum attentiores redderet,

alacrioresque ad amplexandum Messiæ jam præsentis officium, quod cum æterna ipsorum salute conjunctum esset futurum.

VII. *Brevi admodùm tempore, Propheta simul & Apostolus, Baptista effectus est. Quem enim venturum prædicabat, hunc jam monstrat præsentem: propterea Prophetarum mensuram excessit: uti Salvator de ipso prædixerat: Matth. 11, 9. & 10.* Cyril. lib. 2. in Joh. cap. 1. Tom. 1. operum pag. 61.

VIII. *Quare* (uti idem Cyrillus scitè infert) *non jam dicit: Præparate viam ejus, ut prius: sed cùm præsens oculis cerneretur is, propter quem præparatio faciunda erat: non illo modo prædicandum: sed planiùs explanandum erat, quis iste præsens esset, & quamobrem à Cœlo ad nos descenderit: Ecce igitur, inquit, Agnus ille Dei, &c.*

IX. AGNUM vocat Christum tùm *analogicè*, tùm *materialiter*.

X. *Analogicè*: Primùm ratione *Sacrificiorum Veteris Testamenti*, quæ tùm adhuc in usu erant: non aliis modò animalibus; Sed & agnis potissimùm in Sacrificiorum materiam venientibus. *Num. 28, 3. & seqq.*

XI. Deinde verò respectu anniversarii & solennis illius epuli, quo singulis annis

nis semel in *solennitate Paschali* agnus per singulas domos sive familias mactabatur: in recordationem miraculosæ liberationis ex Ægypto, *Exod. 12, 3. & seqq.*

XII. *Materialiter*: quatenus Christus reverâ erat Agnus ILLE, nimirùm quem tùm Sacrificia illa Veteris Testamenti: tùm præcipuè agnus ille Paschalis præfiguraverat.

XIII. Neque enim sacrificia illa vim expiandi peccata ex se obtinebant: sed tantùm typicè, quatenus figuram ac typum gerebant illius victimæ sive agni, qui in plenitudine temporis pro peccatis totius mundi esset immolandus.

XIV. Cujus rei integrum quasi commentarium suppeditat *Epistola ad Hebræos* cap. 9, 6. & seqq. *His ita ordinatis in prius quidem Tabernaculum quovis (tempore) ingrediebantur Sacerdotes, sacrificia offerentes: In secundum autem semel quotannis solus Pontifex, non sine sanguine, quem offert pro seipso, & pro populi ignorantiis. Hoc declarante Spiritu Sancto, nondum patefactam fuisse viam & Sacrarium, priore Tabernaculo adhuc consistente: Quod erat exemplar pro tempore illo præsenti, quo dona sacrificiaq; offerebantur, quæ non poterant in Conscientia sanctificare offerentem. Adveniens*

autem CHRISTUS *Pontifex futurorum bonorum, per majus & perfectius Tabernaculum, non manu factum, neque ejusdem cum illo structuræ: neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem ingressus est semel in Sancta, æternâ redemtione repertâ.*

XV. Est ergò CHRISTUS Servator, Agnus ille immaculatus, de quo in Vetere Testamento jam olim Propheta: *tanquam ovis ad mactationem ductus est, & sicut agnus coram tondente se obmutuit*: Jes. 53, 7. In novo autem Apostolus: 1. Cor. 5, 7. *Pascha nostrum pro nobis immolatum, est* CHRISTUS; & Petrus 1. cap. 1, 19. *Christus est agnus immaculatus & incontaminatus, cujus pretioso sanguine redemti sumus.*

XVI. Nominat verò Johannes CHRISTUM non nudè aut simpliciter *Agnum*: sed AGNUM DEI, ad differentiam agnorum Leviticorum & brutorum: 1. quia ab ipsomet Deo, non ab hominibus, hæc victima erat destinata: secundum illud Apostoli, Rom. 3, 25. *DEUS proposuit CHRISTUM JESUM propitiatorium in sanguine ipsius.*

XVII. 2. Quia *Agnus* iste *Dei*, est plena, sufficiens, perfecta, omnibusq; numeris absoluta illa hostia, quæ semel pro peccatis to-

tis totius mundi erat offerenda & immolanda. *Heb. 9, 28.*

XIIX. Hoc ergo agno DEI actu jam exhibito, & mactato, haud minùs absurdi & ridiculi sunt Romanenses, quòd *quotidianam Christi immolationem in Missâ* fieri nugantur: quàm si hodieque agnorum & vitulorum Leviticam mactationem, oblationemq; urgerent.

XIX. Est enim Agnus iste DEI, *Agnus Novi Testamenti*, imò vera illa Novi Testamenti substantia: quæ quia *perfectissima*; repetitionem crebram oblationis non admittit: *Heb. 9, 25.* quia *unica*: utique Vetus illud Testamentum à Novo, non qualitatibus tantùm, sed ipsâ substantiâ segregat & discernit.

XX. Sed pergit præco noster, & de Agno isto DEI affirmat, quòd TOLLAT PECCATUM: utroq; vocabulo magnum quid innuens.

XXI. Nam, uti rectè *Chrysostomus* etiam *Tom. 3. Homil. 17. in cap. 1. Joh.* observavit, *non dixit Johannes, Qui tollet, aut, qui tulit: sed qui tollit peccatum mundi*: sic perpetuum notans actum, temporis tùm præteriti, tùm præsentis: tùm futuri.

XXII. *Præteriti*: Siquidem Christus est

agnus

agnus occisus ab origine Mundi: Apocal. 13, 8. Heb. 13, 8. ita ut non Sacrificiorum Leviticorum virtute propria: sed typica: hoc est, fideli intuitu Messiæ venturi, agni illius immaculati, sub plenitudinem temporis demùm actu ipso immolandi, omnes fideles Veteris Testamenti sint salvati.

XXIII. Tulit hanc definitionem Petrus ipse in Concilio Hierosolymitano. *Actor. 15, 11. Credimus nos per gratiam Domini nostri* JESV CHRISTI *salvari, sicut & illos, qui Legis jugum portare non potuerunt.*

XXIV. *Præsentis*: Siquidem *Christus Jesus est Heri &* HODIE, *idem in secula, Heb. 13, 8.*

XXV. *Futuri*: *Neque enim* (Chrysostomo rursus interprete) *cùm passus est Christus, tùm saltem nostra abstulit peccata: sed ex illo hactenus tollit. Non semper crucifigitur: Vnum namq; pro peccatis nostris tulit Sacrificium: sed semper per illud nos purgat.*

XXVI. Id quod innuit Epistola ad *Hebræos 9, 12.* ÆTERNAM *Redemtionem per Christum acquisitam esse*, asserens.

XXVII. Alterum vocabulum est PECCATUM. Singulari nimirùm, non plurali numero usus Baptista: sic innuens, universam peccati molem, quanta quanta, qualis

qualis qualis illa sit. Agnum istum suis humeris, pro ineffabili suo robore ac fortitudine gestare: nec gestare modò, sed & penitus eam auferre, inque profundum maris abjicere: *Mich. 7, 19.*

XXIIX. Consonant Scripturæ testimonia alia quàm plurima: 1. Joh. 1, 7. *Sanguis* JESU CHRISTI *Filii* DEI *emundat nos ab* OMNI *peccato.* Tit. 2, 14. *Christus nos redemit ab* OMNI *iniquitate.* 1. Joh. 2, 2. *Christus est propitiatio pro peccatis* TOTIUS *mundi, &c.*

XXIX. Quin in specie Scriptura peccatorum actualium diserte meminit: ut cùm *1. Cor. 6, 9. & 10.* Apostolus benè longum texuisset Catalogum peccatorum actualium, scortationis, idololatriæ, adulterii, avaritiæ, ebrietatis, maledicentiæ &c. quæ hominem regni Cœlestis exortem faciant, tandem *versu.* 11. diserte subjicit: *Atque hæc eratis quondam, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed justificati estis,* PER NOMEN DOMINI JESU, *&c.*

XXX. Quo pertinet etiam illud πολυθρύλλητον, *1. Joh. 2, 2. Filioli hæc scribo vobis, ne peccetis: Et si quis peccaverit* (en tibi actualia peccata) *advocatum habemus apud Patrem* JESUM CHRISTUM, *Qui est propitiatio pro peccatis nostris, non nostris tantùm, sed & pro peccatis totius mundi.*

31. Hinc

XXXI. Hinc Epistola ad Hebræos ἀθέτησις notat peccata actualia: *Sanguis* inquiens CHRISTI *purgat nos ab* OPERIBUS *mortuis*, cap. 9. 14.

XXXII. Nihil ergò sub complexum *peccati* venire potest, quod non Baptista sensu collectivo, per singulare (PECCATUM) perstrinxerit, quocunq; veniat nomine, & vel peccati rationem directè habeat, vel saltem ex peccato emanare queat: qualia sunt: Reatus peccati: Ira Dei; maledictio legis; stipendium peccati, mors nimirum æterna sive Condemnatio.

XXXIII. Hæc enim omnia, non hominum judicio: non sacerdotis imprecatione: non imputatione ficta, aut imaginaria: sed voluntate Patris Cœlestis, & quidem realiter (non tamen subjectivè) Agno isti sunt imposita.

XXXIV. *Deus enim in ipso posuit iniquitatem* OMNIUM *nostrûm* Jes. 53, 6. *adferendum languores nostros, & portandum dolores nostros*: v. 4. ita ut, *qui peccatum non noverat*, translatitiè, sivè imputativè, verè tamen ac realiter, *pro nobis peccatum*, vel quod idem est, hostia pro peccato, *factus sit*, 2. Cor. 5, 12.

XXXV. Et hinc jam emergit verus ac genuinus sensus, verbi *Tollendi* sive αἴρειν: quod

quod interprete Petro primùm idem sonat, ac *Portare*: *1. Pet. 2, 24.* & respondet Hebræo סָבַל *Jes. 53, 4.* Deindè verò *auferendi* sensum obtinet; secundum illud *2. Sam. 12, 13. Deus abstulit*, sive è medio sustulit *peccatum*: & respondet Hebræo נָשָׂא: quod est in tergum rejicere: ita ut Agnus iste Dei, plenissima peccatorum expiatione & propitiatione facta, à conspectu Dei patris, imò sui ipsius ea amoverit, in tergum quasi suum rejecta singula ac universa, juxta illud Ezechiæ: *Ecce, in pace amaritudo mea amarissima: tu autem eruisti animam meam, ut non periret, projecisti post tergum tuum omnia peccata mea*: Jes. 38, 17.

XXXVI. Faceslat proindè impia vox Scholasticorum, Monachorum, imò ipsius Sanctissimi (si Diis placet) Concilii Tridentini, contendentis, CHRISTUM *originale duntaxat peccatum expiasse, actualia verò nostris satisfactionibus diluenda esse.*

XXXVII. Quam impietatem redarguit potentissimè illud, quod Baptista asserit, Agnum istum Dei tollere peccata MUNDI: sic disertè innuens, Sacrificium sive meritum Agni istius, ejusdemque vim & pretium, citra ullum aut personarum, aut populorum, aut peccatorum discrimen

men & respectum, esse UNIVERSALEM, hoc est, ad singula & universa peccata, tàm actualia, quàm originale: ad omnes item omninò homines, tàm impios quàm pios, tam reprobos quàm Electos, ratione meriti se extendere.

XXXIX. Illustre hoc oraculum Johannis trium Theorematum Theologicorum ventilandorum ansam & occasionem subministrat.

THEOREMA I.

Vetus & Novum Testamentum non qualitatibus tantùm sive accidentibus: sed ipsâ substantiâ differunt.

XXXIX. Contendit Gens Sacramentaria, *distinctionem Testamentorum Dei in Vetus & Novum*, non esse Generis in species, verùm duntaxat subjecti in accidentia: ac proindè duo hæc Testamenta non ipsâ substantiâ: sed qualitatibus duntaxat, sive revelationis modo differre. *Pet. Martyr. part. 1. Locor. Loco XVI. §. 2.*

XL. Assertionis hujus finem constituunt istum, ut nimirùm obtineant: *Unam eandem-*

eandemque esse Sacramentorum utriusq; Testamenti rem sive substantiam.

XLI. Hinc *Grynæus vol. 2. Disputationum Theol. pag. 125.* ex tripode Calviniana, hunc infert Aphorismum: *Signis Sacramentalibus Dei consilio mutatis, res eadem manet.*

XLII. Subjicit & hanc ἀπόδειξιν: *Si unus idemq; crucifixus Christus, Res est utriusq; Testamenti Sacramentis repræsentata: tum sequitur, abolitis Veterum Sacramentis eandem rem manisse. Verum est quod antecedit, ut solidissimè evincit Paulus, quando Patribus nostra, & nobis Patrum Sacramenta tribuens, ostendit communem utriusque esse Aspersionem Sanguinis Christi, alimoniam spiritualem, cordis circumcisionem: & ut numerò dicam, Christum. Verum igitur est & quod sequitur. Colligimus itaq;, & Patres spiritualiter manducasse Christi Jesu Corpus, & bibisse illius Sanguinem.*

XLIII. Hinc Sophista falsè ridet nostratium Theologorum quendam, quem ipse Philonidem appellitat: *Superest*, inquiens, *ut ejusdem Philonidis aliam κενοφωνίαν audiamus, Lesbiæ regulæ nomine indignam: De unoquoque Sacramento ex suâ tantum naturâ, non ex generali de Sacramentis ratione judicandum est. Scilicet, quia illi Dialectici homines sunt, Generis, id est, animalis, ratio*

ipsis non convenit? part. 2. disput. Theolog. pag. 260.

XLIV. Verùm universam hanc structuram evertit oraculum Johanniticum: *Ecce Agnus* ILLE DEI, *qui tollit peccata mundi.*

XLV. Neq; enim illud tam notat beneficia illa Spiritualia, quæ ex immolatione Agni hujus, æquè ad Patres Veteris Fœderis redundarunt, ac ad fideles Novi Testamenti redundare possunt: quàm ipsam substantiam AGNI hujus.

XLVI. Certè, quoad *beneficia* illa *Spiritualia*, Remissionem peccatorum, Justificationem, donationem Spiritus Sancti, salutem æternam: universam denique vim atque efficaciam passionis Christi, facilè & ultrò subscribimus Calvinianis, hoc pacto non ipsâ substantiâ, sed administrationis tantùm modo duo hæc Testamenta differre.

XLVII. Hoc enim sibi vult illud Epistolæ ad Hebræos cap. 13, 8 JESUS CHRISTUS *est heri & hodiè: & idem in secula*: & illud Apoc. 13, 8. *Agnus occisus est ab origine mundi*: scilicet ratione efficaciæ meriti Christi, quæ non minùs Patribus olim profuit, quàm nunc nobis prodest. *Act. 15, 11.*

XLIIX. Neque vel Naturæ ordo, vel tem-

temporum intervalla, remorari potuerunt efficaciam Gratiæ, quæ ex intentione Dei sine ullius temporis respectu, imò extra tempus, jam indè ab origine mundi, omnibus omninò hominibus obtingere debebat.

XLIX. Cæterùm, si de ipsâ substantiâ Agni hujus, ratione cujus Agnus ILLE dicitur, sit Quæstio: luculentum planè interutrumq; Testamentum emergit discrimen.

L. Dicitur autem, ut supra etiam annotatum, *Agnus iste*, *Agnus ILLE*, ratione realis exhibitionis, quæ facta est in Carne Christi, cujus carnis umbram tantùm ac typum gesserunt Agni Veteris Testamenti.

LI. *Caro* ergò hæc Agni, quippè Novi Testamenti propria, constituit veram ejus substantiam: quâ cùm caruerint patres Veteris Testamenti, utique absonum, imò manifestè falsum fuerit: Patres in suis Sacramentis eandem substantiam Novi Testamenti percepisse: uti Sacramentarii nugantur.

LII. Falsum itidem & absurdum, Testamentum Novum à Veteri, non substantiâ, sed tantùm qualitatibus, sive administrationis modo, differre: re autem ipsâ

ac substantiâ convenire: uti iidem fabulantur.

LIII. Suffragatur nostræ sententiæ universa Scriptura sacra: cumprimis verò *Epistola ad Hebræos, c. 8, 5.* asserens Sacerdotes, Leviticos tantùm ὑποδείγματι καὶ σκιᾷ *exemplari & umbræ rerum cœlestium* deservisse.

LIV. Quòd si igitur Vetus Testamentum umbram duntaxat & exemplar rerum futurarum habuit: ἐξ ἀνάγκης consequitur: Novum Testamentum ipsam substantiam, rerumq; adumbratarum absolutam continere imaginem ac veritatem sive substantiam.

LV. Hoc ipsum sibi vult idem *autor Epistolæ ad Hebræos, cap. 10, 1. Lex inquiens, umbram habuit futurorum bonorum: non ipsam rerum imaginem.*

LVI. Et Apostolus *Coloss. 2, 17.* præcipiens fidelibus Novi Testamenti, observationem Sabbati, festorum, discriminis ciborum, aliarumq; Ceremoniarum Leviticarum, ideò non esse imponendam: *Quia fuerint* UMBRÆ *rerum futurarum*: CORPUS *autem sit in* CHRISTO: scilicet jam exhibito.

LVII. Sed quærat fortasse aliquis; Anne

Anne ergò Patres Veteris Testamenti, suis Sacrificiis præsentem CHRISTUM non habuerunt? Respondeo: Imò verò habuerunt, sed non incarnatum: Verùm λόγον duntaxat, aliquando sub plenitudine temporis incarnandum, qui tùm quoq; efficaciter per Sacrificia illa operabatur: h.e. fidelibus applicabat beneficia meriti sui, quod ipse aliquando per carnem in arâ crucis esset ipso actu perfecturus.

LIX. Jam verò, postquam λόγος incarnatus est, & secundum carnem consedit ad dextram infinitæ virtutis ac Majestatis divinæ: utique tàm absonum fuerit, ipsum Carne & Sanguine abesse à Sacramentis Novi Testamenti, quàm absonum esse ac videri potest, si quis vel in Novo Testamento, typos, figuras, & umbras amplius Corporis Christi quærere: vel Corpus jam actu exhibitum, Figuram aut Typum nominare velit.

LIX. Accedit, quòd Sacramentariorum opinio seipsam evertit: imò illud ipsum, quod negare præsumit, manifestè astruit.

LX. Quid est enim in fœdere divinæ Gratiæ per substantiam uno, geminam statuere religionis dispensationem: quàm in hæreditatis cælestis negotio, quod est

unum utique per substantiam omnibus temporibus, atque apud omnes homines, dispositionem testamentariam geminam constituere?

LXI. Nam quemadmodum dispositio ea, qua de bonis iisdem ad hæredes perventuris jure naturæ, cavetur tamen a testatore, quo modo, quo ordine, quo discrimine per voluntatem testantis venire debeant: ita dispensatio ea rectissimè *Testamentum* appellatur, quâ Deus sub hæreditatis cœlestis causa & negotio eodem pro diversitate populorum & temporum, Religionis & cultus modum alium atque alium, pro divinæ sapientiæ consilio instituit.

LXII. Et quemadmodum absurdus foret, qui testamentariam constitutionē non nisi unam esse posse pugnaret, in adeunda & herscisçunda hæreditate eadem: ita mihi ò rectiùs sapit, qui propter fœdus & causam salutis eandem, diversitatem divini Testamenti, quoad substantiam, locum habere non posse, colligit.

LXIII. Porrò si ex hypothesi Calvinianorum, una eademque Utriusque Testamenti est substantia: Consequens fuerit, non duo distincta, sed Unum numero

Testa-

Testamentum, jam indè ab origine Ecclesiæ ad hunc usq; diem fuisse, futurumq; ad finem usq; seculi: id quòd manifestè absurdum & Scripturis contrarium.

LXIV. Sed non abhorrent ab absurditate ista nonnulli ex Calvinianis, qui Testamenti rationem ad doctrinam salutis, & promissionem Gratiæ, in Christo factam generi humano, disertè referunt: ac exindè haud obscurè colligunt, quemadmodum una est, atq; eadem doctrina salutis: una ante & post Christum natum, Sanctorum Ecclesia: una ad cœlos via: una salvandorum omnium religio: unus Christus: ita unum perpetuum atque invariabile esse Fœdus sive Testamentum Dei: illud nimirum, quod *Gen. 17. 7.* cum Abrahamo Deus pepigerit: *Ero Deus tuus & seminis tui post te.*

LXV. Sed Sophistica sunt omnia. Etsi enim res ipsæ quæ pro palliando isto errore proferuntur, sunt verissimæ: in accommodatione tamen error inest atq; falsitas.

LXVI. Nam doctrinam salutis, & promissionem gratiæ, in præsenti loco, *Testamentum* appellari, falsum est.

LXVII. Deindè, Scriptura sacra non unum, sed *duo Testamenta* expressè numerat;

merat; *Gal. 4, 24.* & binarium istum non ex Scripturâ tantùm elicit: sed ad mysteria ipsa Religionis nostrę accuratè accommodat. *Jer. 31, 31. Matth. 26, 28. Marc. 14, 24. Luc. 22, 20. 1. Cor. 11, 25. 2. Cor. 3, 6. Hebr. 9, 15. & cap. 7, 22. cap. 8, 6. cap. 12, 24.*

LXIIX. Tùm doctrina salutis diversorum populorum communis est: Testamẽta singula, singulorum sunt propria. Quî ergò una eadẽq; ratio utriusq; esse posset?

LXIX. Quid? quòd Testamento Veteri antiquatio sive abrogatio obtigit: *Hebr. 8, 13*: quæ certè in doctrinam salutis cadere nullo modo potest.

LXX. Tandem manifestis absurditatibus Calvinianorum laborat collectio. Si enim in utroq; Testamento una est eademq; substantia, quæ absolvitur figuris, typis & umbris: Sequitur parem etiam esse utriusque Testamenti obscuritatem: ἀλόγον.

LXXI. Sic à typis Sacramentorum, ad bona & fructus ipsos eorundẽ vitiosè nimis & παραλόγως instituitur collectio.

LXXII. Præterea typi respiciunt suos archetypos, umbræ respiciunt sua Corpora: Jam ergo, si ex Novo Testamento archetypum, hoc est, corpus ipsum Christi tol-

tollas, certè τύποι evadent ἄτυποι, & umbræ erunt sine corpore: id quod cum insigni ἀῤῥωστίᾳ διανοίας est conjunctum.

LXXIII. Superest, ut Grynæi & reliquorum Sacramentariorum Achilleam ἀπόδειξιν evertamus: quæ sic habet: *Utriusque Testamenti Bona sunt eadem. Jam verò in Veteri Testamento, meriti tantùm & beneficiorum Corporis Christi: non verò ipsius Corporis facta fuit communicatio. E. eadem in Novo etiam Testamento obtinet Communicatio.* Grynæus Thesi 8. & 10. disputationis de agno Dei mactato.

LXXIV. Verùm utraq; præmissarum laborat Apoplexiâ. Major enim simpliciter admitti non potest aut debet, nisi cum luculentâ determinatione: ut nimirùm concedatur; illorum ipsorum Bonorum media & organa προσφερόμενα ἢ διαδοτικὰ, utrobique esse diversissima.

LXXV. Minor in eo deficit, quòd rei mediatæ mentionem omittit. Ea verò fuit signum Elementare: neque hoc tantùm: sed semel etiam Typicum: Caro nempè & Sanguis agni mactati.

LXXVI. Proindè, ut Typus iste Veteris Testamenti non fingatur fuisse planè ἄτυπος; vel inviti concedant Calviniani

necesse est, Typum illiũ omninò in Novo Testamento per Archetypũ ipsius Corporis & Sanguinis Christi, compleri debuisse.

LXXVII. Corrigendus est itaq; error Adversariorum in hunc modum, ut ostendatur, Corpus & Sanguinem Christi, non ad classem bonorum ipsorum spiritualiũ (quæ sanè utrobiq; eadem fuisse, jam suprà ostendimus) sed in censum mediorũ, h. e. ipsarum essentialium partium Sacramenti substantiam, in Novo Testamento referendam esse: id quod tùm ipsius Sacramenti institutio, tùm utriusq; Testamenti ἀναλογία luculenter comprobat & evincit.

THEOREMA II.

Filius Dei carnem humanam neq; assumturus, neque in ea passurus fuisset, nisi Homo in peccatum prolapsus esset.

LXXIIX. Filium Dei, sive λόγον, ratione assumtæ carnis sive humanæ naturæ, dici AGNUM, & Agnum quidem *mactatum*, extra controversiam est positum.

LXXIX. Jam verò, cùm de Agno isto prædicetur, quòd tollat peccata Mundi: emergit Quæstio: *an nihilominus Filius Dei factus*

factus fuisset Agnus, sive verus Homo: si vel maximè peccatum in Mundo non fuisset?

LXXX. Quæstionem hanc directè respicere causam incarnationis ἕνεκα λόγου Finalem: eamq; non remotam: sed propinquam, imò proximā: itidē in confesso est.

LXXXI. Neq; tamen de lanâ caprina pugnatur: vel inanis curiositatis argui potest hoc ζήτημα.

LXXXII. Si enim λόγος nihilominus assumturus fuisset carnem nostram, si vel maximè Homo non peccasset: utiq; ἄφεσις peccati, non erit propria & proxima causa incarnationis ἕνεκα λόγου.

LXXXIII. Rursus, si falsum est hoc posterius, sequitur, causam Finalem proximam Incarnationis ἕνεκα λόγου, fuisse ἄφεσιν peccati: ac proindè λόγον nunquam incarnandum fuisse, si Homo non peccasset.

LXXXIV. De Quæstione hac inter Doctores Scholasticos non convenit: nonnullis in affirmantem; aliis in negantem concedentibus: aliis assensum in utramque partem suspendentibus.

LXXXV. *Gabriel* statuit, probabiliter posse defendi, quòd peccato etiam non incidente, Christus nihilominus fuisset venturus, ex vi alterius cujusdam decreti, quo

Deus

Deus tùm id præordinasset, ob alias causas: *in 3. d. 2. q. unica. dub. 3.*

LXXXVI. Fingit nimirum, Christum divino decreto ordinatum fuisse, non solùm ad eum finem, ut redimeret homines à peccato, sed simul ob aliquem alium finem, independentem à peccato, propter quem, etiam non incidente peccato, advenisset.

LXXXVII. Finem istum nonnulli definiunt geminum: Unum *Gloriam Dei*: alterum, *Exaltationem humanæ naturæ.*

LXXXIIX. Sed jam suprà admonui, non quæri hoc loco de causa finali remota: sed propinqua, imò proxima: neque etiam de fine $\bar{g}$: sed de fine $\bar{\omega}$: uti in Scholis loquuntur.

LXXXIX. Quid? quòd finis $\bar{g}$, dependet hac in materiâ à fine $\bar{\omega}$: ita ut nisi Christus redemisset genus humanum à peccato: neque Gloria illa Dei, quam Scriptura celebrat: neq; exaltatio humanæ naturæ locũ habuisset: secundum illud Psalmi 110, 7. *De torrente bibet in via, propterea exaltabit caput*: Phil. 2, 7. & 8. *Christus exinanivit seipsum, formâ servi accepta: factus obediens Patri usq; ad mortem crucis*: *Quapropter etiam Deus ipsum ὑπερύψωσε, καὶ ἐχαρίσατο αὐτῷ ὄνομα* &c.

90. Sunt

XC. Sunt alii ex turbâ Scholasticorum, qui statuunt, si maximè Adam non peccasset, venturum tamen fuisse Christum: sed in carne impassibili & immortali. *Scotus in 3. d. 7. 9. q. 3. d. 19. q. unica. Alexander Alensis p. 3. q. 2. memb. 13. Albertus M. in 3. sent. d. 20. art. 4. Catharinus tractatu de eximia prædestinatione Christi, Rupertus Abbas Tuitiensis, l. 3. de Trin. c. 20. &c.*

XCI. Sunt & isti eodem decepti falso principio, opinantes, Finem Incarnationis immediatum fuisse exaltationem humanæ naturæ.

XCII. Fuerunt tamen plures alii, qui negantem tenuerunt ac defenderunt: ut *Thomas part. 3. q. 1. art. 3.* cujus hæc fuit decisio: *Quamvis aliqui dixerint, quòd etiamsi homo non peccasset, Dei filius fuisset incarnatus: verisimilius tamen est contrarium. Ea enim, quæ ex sola Dei voluntate veniunt supra omne debitum creaturæ, nobis innotescere non possunt, nisi ex autoritate Scripturæ, per quam nobis divina voluntas declaratur. Undè cùm in S. Scriptura ubique Incarnationis ratio ob peccatum primi parentis assignetur, convenientius dicitur Incarnationem fuisse in remedium peccati: & quòd si ille non peccasset, CHRISTUS non venisset.* Quam sententiam sequuntur etiam *Bonaventu-*

ventura in 3. d. 1. art. 2. q. 1. Capreolus in 3 d. 1. q. unica. conclus. 1. Cajetanus in locum citatum Thomæ, q. 1. art. 3.

XCIII. Quanquam verò sobrietas & circumspectio istorum laudem jure meretur: reprehensione tamen non caret, quòd pro puriore hac sententia plerique ipsorum ita disputant, ut sentiant nihilominus contrariam sententiam esse probabilem: Quin ipsorum aliqui utramq; sententiam προβλημαλικῶς defendere non dubitent: uti cumprimis videre est apud *Gabrielem in 3. d. 2. q. unica. art. 3. dub. 3.*

XCIV. Quid? quòd ne quidem moderni Jesuwitæ in definienda hac Quæstione satis sibi constant, ita ut *Gregorius de Valentia* scribere non dubitaverit, *Rem hanc nondum satis esse compertam: Tom. 4. Commentariorum Theol. in Thomam disp. 1. q. 1. puncto 7. p. 74. lit. C.* Quæ Pyrrhonica sive Academica disputandi ratio tandem effecit, ut veram causam Finalem Incarnationis & λόγε, propriamque ejus affectionem sive naturam penitùs amiserint: id quod ex universo Pontificatu Romano evidenter liquet: quippè, qui causam istam finalem partim sacrilegè è medio sustulit, non Christi amplius incarnationi & passioni:

sed

sed meritis Sanctorum, operibus supererogationis, propriæq; ac infusæ justitiæ, Peccatorum ἄφεσιν in solidum adscribens: partim verò nefariè eam discerpens ac detruncans: non omnium omninò peccatorum: sed originalis tantùm, expiationem, Christo, Agno illi Dei, adsignans.

XCV. Et hic solet esse effectus earum disputationum, in quibus Mysteriorum fidei, non amplius ex Mose, Prophetis, & Apostolis: sed ex lacunis Scholasticorum, Thomistarum, Metaphysicorum, petuntur probationes, imò decisiones.

XCVI. Sed ad rem: Nos secuti Scripturas, simpliciter statuimus, *λόγον non fuisse incarnandum, si Adam non peccasset*: Et per consequens: primariam, proximam ac immediatam ἀναπεκώσεως causam fuisse, Liberationem Generis humani à peccato. *Verior sententia.*

XCVII. Confirmationem ex Scripturis præcipuam petimus, sic cum Thomas arguentes: Ea, quæ ex sola divina voluntate proveniunt, supra omne debitum creaturæ, nobis innotescere non possunt, nisi quatenus in Scripturâ S. traduntur, per quam divina voluntas nobis innotescit. Atqui in Scripturis sacris ubiq; Incarnationis ratio ex peccato assignatur. Ergo

non

non convenientiùs modò, non probabiliter, tantùm, non sapientiùs duntaxat: uti vult *Jesuvita de Valentia, loco citato, lit. C. & D.* sed certò, necessariò ac piè concluditur, Incarnationem τῷ λόγῳ non futuram fuisse, nisi ea ad remedium peccati, hoc est, ut Baptista noster loquitur, *ad tollendum peccatum* ordinata fuisset.

XCIIX. Minorem Scripturarum oracula & quidem ἐγγραφως, tripliciter confirmant.

XCIX. *Primùm* enim se offerunt ea testimonia, quæ Δογματίζω asserunt, Adventum Christi ideò factum esse, ut tolleret peccatum mundi, ut liberaret Mundum à peccato: qualia sunt, præter oraculum Baptistæ jam explicatum, classica hæc.

Matth. 18, 11. *Venit Filius Hominis, servare, quod perierat.*

Matth. 20, 28. *Venit Filius hominis, ut daret animam suam, redemtionem pro multis.*

Luc. 1, 78, 79. *Per viscera misericordiæ Dei, visitavit nos oriens ex alto; ut illuminet eos, qui sedent in tenebris, & in umbra mortis.*

Luc. 19, 10. *Venit Filius Hominis, quærere & salvum facere quod perierat.*

Joh. 3, 16. *Sic Deus dilexit MUNDUM, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis qui*

qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

Johan.6,39. & 40. *Hæc est voluntas Patris, qui misit me, ut omne, quod dedit mihi, non perdam ex eo.*

Et hæc est voluntas Patris, qui misit me, ut omnis qui videt Filium, & credit in eum, habeat vitam æternam.

Joh.10,10. *Ego veni, ut vitam haberent.*

Gal.4,5. *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, ut eos, qui sub maledictione Legis erant, redimeret.*

1.Tim.1,15. *Fidelis sermo, & omni acceptione dignus, quod Christus JESUS venit in hunc mundum, ut peccatores salvos faceret.*

Heb.2,16. & 17. *Non Angelos assumsit, sed semen Abrahæ: Quia debuit per omnia fratribus similis fieri, ut expiaret peccata populi.*

1.Joh.3,5. *Scitis, quia Filius Dei apparuit, ut peccata nostra tolleret.*

C. *Alterum* ex Scripturis præsidium collocant Orthodoxi haud ineptè *in Typis & figuris Christi*: Ut, nisi fuisset diluvium, non fuisset arca Noæ, *Genes.6.* Nisi tempestas in mari oborta fuisset, Jonas non projectus fuisset. *Jon.3. Matth.12,40.* Nisi servi Regis fuissent rejecti, Filius non fuisset missus *Matth.21,17.* Nisi ovis & drachmæ amis-

sæ fuissent, neque gaudii fuisset materia, *Luc.15.* Sic nisi perissent per peccatum mortales, Christus non venisset: sic ipsomet attestante, *Matth.15, 24. Non sum missus, nisi propter oves perditas domus Israel.*

CI. *Tertium* probationis Genus ex Scripturis ea monstrant loca, quæ *Adamum & Christum invicem comparant*, hunc respectu liberationis à peccato: illum respectu introductionis peccati. *Rom.5, 12. & seqq.* imò quæ Christum disertis verbis nominant ultimum Adamum, Hominem secundum de cœlo, *1.Cor.15, 45. & 47.* quæ deniq; ideò Christo nomen *Jesu* inditum esse perhibent, quia populum suum sit liberaturus à peccatis suis. *Matth.1, 21.*

CII. Sed in promtu sunt *rationes* etiam, satis firmiter idem astruentes, I. Indè divina bonitas ac dilectio magis nobis peccatoribus innotescit, secundum illud Apostoli, *Rom.5, 8. Commendat charitatem suam Deus in nobis, quoniam cùm adhuc peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est: &c.*

CIII. II. Misericordia locum non habet, nisi ubi præcedit miseria. Atqui missio & Incarnatio Filii Dei sunt opus misericordiæ divinæ. E. respectu atq; intuitu nostræ miseriæ utraq; facta sit, necesse est.

CIV. Accedit *consensus purioris Antiquitatis*: Ubi primas meritò tenet illud *Symboli Niceni*: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis, & incarnatus est de Spiritu Sancto, & Maria virgine, & Homo factus est.*

CV. *Augustin.* l. 1. de peccator. meritis & remiss. c. 26. *Ex Scripturis sufficienter apparet, Dominum Jesum Christum,* NON ALIAM OB CAUSAM *in carne venisse, ac formâ servi acceptâ, factum obedientem usq; ad mortem crucis, nisi ut hac dispensatione misericordissimæ gratiæ omnes, quibus tanquàm membris in suo Corpore constitutus, caput est, ad capessendum regnum cœlorum vivificaret, salvos faceret, &c.*

CVI. *Athanasius* serm. 3. contra Arianos: *Cùm Filius Dei efficitur homo, tùm causa substituitur, cur eum oporteat carnem gestare. Necessitas quippè indigentiaq; hominum anterior est, quàm illius nativitas, qua sublatâ, Carnem non induisset. In hoc enim apparuit Filius Dei, ut dissolvat opera Diaboli, 1. Joh. 3, 8.*

CVII. *Gregor. Nazianzenus* Orat. 4. de Theologia: *Quæ humanitatis à Deo susceptæ causa extitit? Profectò, ut nobis salus pararetur. Quid enim aliud causæ afferri posset?*

CVIII. Sed hic pedem figimus: & Theorematis istius usum finemq; practicum con-

constituimus, ut partim immensam Dei bonitatem ac φιλανθρωπίαν, in missione Filii abundè nobis declaratam: tùm peccati atrocitatem, ritè hoc tempore, imò semper meditemur: quæ tanta fuit, ut non nisi ipsius Filii Dei, Agni illius immaculati, morte & sanguine tolli expiativè potuerit.

THEOREMA III.

Agnus ille Dei, non Fidelium tantùm & Electorum: sed omnium omninò hominum, ne uno quidem individuo prætermisso, & sic totius Mundi tollit peccata.

CIX. Theorema planè contradictorium defendere studet Schola Calviniana: quale est illud Grynæi: *Jesus Christus TANTUM pro fidelibus mortuus est.* part.3. Voluminis primi disp. Theol. p.33.

CX. Cui respondent exaffe reliqua Calvinianorum Emblemata, qualia sunt:

I. *Nunquam tempus fuisse, vel esse, vel futurum esse, quo Deus voluerit, velit, aut velit urus sit singulorum misereri.* Beza. Resp.2.ad Coll. Momp. p.194.

II. *Deum nunquam totum genus humanum dilexisse: sed maximam partem odio habuisse, ideoq;*

ideoq; æterno exitio destinasse. Coll. Momp. p. 529.

III. Non esse missum à Deo Filium, ut pro toto genere humano pateretur, & Patri satisfaceret: sed TANTUM pro Electis. Item.

IV. Christum pro impiis non crucifixum, neq; sanguinem ejus pro eorum peccatis expiandis fusum esse: sed intolerabilem vocem esse: Christum pro damnatis mortuum esse. Beza in Coll. p. 514.

V. Gravem esse errorem, si Christus pro omnibus hominibus mortem dicatur oppetuisse. Toss. disp. Anni 89. d. 5. Julii. §. 20.

VI. Christum esse propitiationem tantùm pro peccatis Electorũ, qui aut jam credant in ipsum, aut sint aliquando credituri. Zanch. in Miscel. l. 2. p. 280.

CXI. Sed non Calviniani modò impietatem hanc gnaviter defendere student, quin nostrates quoq; Jesuitæ, à priore sive antiquiore Papatu, hac etiam in parte, fœdo commisso schismate, ejusdem patrocinium haud obscurè suscipiunt.

CXII. Hoc ipsum enim sibi vult confessio illa Bellarmini: Credimus Deum ABSOLUTA voluntate velle salvare MULTOS, tùm parvulos, tùm adultos: & ABSOLUTA voluntate alios non velle salvare, tùm parvulos,

tùm adultos. Tom. 3. Controvers. l. 2. de grat. & lib. arb. c. 8. pag. 607. lit. B.

CXIII. Cæterùm, diversum planè Sacrarum literarum attestantur oracula: ea cumprimis quæ Theoremate præcedente proximo produximus.

CXIV. Summa eorum eò tendit: Licet Deus lapsum Adami ab æterno præviderit: ipsum tamen benignum in misericordia sua, iterùm cogitationes pacis & non afflictionis super nos cogitasse, Filio suo unigenito incarnationi destinato, per quem fieret UNIVERSI GENERIS HUMANI, in peccata & mortem prolapsi, restauratio.

CXV. Classicum hac in parte est oraculum præsens Johanniticum: *Ecce, Agnus ille Dei, qui tollit peccatum MUNDI.*

CXVI. Explicat hoc luculentiùs alter ille Johannes Evangelista & Apostolus, 1. Epist. 2, 2. *Christus est propitiatio pro peccatis nostris: Non autem pro nostris tantùm: sed etiam pro peccatis TOTIUS MUNDI.*

CXVII. Planiùs profectò nihil quicquam pro sententia nostra dici poterat: id quod initiò luculenter evincit Terminus collectivus, (MUNDUS.)

CXIIX. Deinde verò μερισμὸς ille: Cùm enim universum genus humanum, non

non nisi in classes duas dispesci queat, quarum una est piorum, sive fidelium: altera impiorum & infidelium: ideò, ne quid dubitationis superesset, noluit Apostolus contentus esse collectivo sive universali enunciato: sed utrorumq; Christum propitiatorē esse, & tàm pro toto Mundo, quàm pro fidelibꝰ mortē oppetisse, testari voluit.

CXIX. Fingat jam aliquis cum Beza, *Coll. Monsp. p. 512.* Grynæo & complicibus, *Mundi* vocabulo notari *tantùm fideles*: Quàm quæso turpis emerget κοκκυσμος, Apostolica autoritate indignissimus: talis nimirùm: *Christus est propitiatio pro peccatis fidelium, non pro fidelium tantùm, sed & pro fidelium.*

CXX. Fingat porrò aliquis, *Mundi* terminum notare *Ecclesiam Catholicam*: ita ut, quemadmodum, hæc est ac dicitur ideò universalis, non quòd universi & singuli homines sint membra Ecclesiæ: sed quia ex toto mundo colligitur, nec certo loco aut genti est alligata: Sic Christus dicatur etiam propitiatio pro peccatis totius Mundi, non quòd pro omnium omninò hominum peccatis, sed quòd pro fidelibus per totum Mundum dispersis, mortuus sit.

CXXI. Quem in sensum *Grynæus* etiam *Part. 3. Vol. 1. Theor. Theol. p. 36.* verba Johannis

sic torquet: *Evangelista, inquiens, non opponit infideles fidelibus: sed comparat fideles ex Gentibus, fidelibus ex Judæis, in quorum numero ipse quoq; erat. Hoc sanè nomine, tantùm fidelium respectu D. JESUS Salvator mundi totius, pro toto mundo, pro omnibus hominibus rectè dicitur mortuus & resuscitatus, quia nemo salvandus seu fidelis, in toto mundo unquam fuit, est & erit, pro quo non ipse unus satisfecerit.*

CXXII. Magistralis nempè hæc est interpretatio: Quasi verò Johanni propositum fuerit hoc loco comparationem instituere inter fideles Judæos, & fideles Gentiles? An non pares isti sunt, quatenus fideles sunt, & hoc respectu prorsus absonum est, illis ἀντιθέσεως?

CXXIII. Jam ergò, quatenùs beneficia mortis Christi omnibus fidelibus, sive Judæis, sive Gentilibus sunt communia: eatenus certè illos non contradistinguere voluit Apostolus: sed illud potiùs evidenter astruere: Christum non esse tantùm propitationem pro peccatis nostris, hoc est, fidelibus universis, tàm ex gentilissimo quàm ex Judaismo conversis: sed & pro peccatis totius Mundi, hoc est, cæterorum quoq; hominum infidelium omnium.

CXXIV. Et observationem meretur, qua-

qualis hæc futura sit afflictarum mentium consolatio, si ex verbis Apostoli, sensu Sacramentario detortis, illæ sic compellentur: *Si peccavimus, ne consternato simus animo: Habemus enim advocatum apud Patrem, Christum, qui ex Judæis & Gentibus fideles redemit, vel, qui omni hominum ordine Electos vult salvari.* Hoc nimirùm erit desperabundis funes ac laqueos desperationum longè periculosissimos injicere.

CXXV. Præterea; si quis rursus cum Grynæo statuat, *Mundi & Totius Mundi vocabulis, ἐπιτικέστερον sumtis, significari non omnes homines totius Mundi, sine omni delectu: sed* FLOREM *generis humani*: hoc est, *Beza* interprete Coll. Momp. p. 517. *optimam mundi partem &c.* is eisdem absurditatum laqueis se constringet.

CXXVI. Quin imò *Manichæi* paratum habebunt impietatis patrocinium, asserentes, Deum condidisse Totum mundum, hoc est, optimam ejus partem, Electos & fideles: Impios verò & infideles creationis suæ originem habere à Diabolo.

CXXVII. Quid? quod seipsam evertit hæc interpretatio: Si enim totus Mundus hoc loco notat optimam Mundi partem, hoc est, Electos: Johannes autem se

contra Totum hunc Mundum ἀντιδιαιρεῖται, sequetur, Johannem non fuisse ex optimâ illa Mundi parte: & per consequens, neq; ex numero Electorum: ἄτοπον.

CXXIIX. Et tanta quidem vis est veritatis, ut *Grynæus* cauteriatæ conscientiæ judicium haud obscurè prodiderit: *Illud*, inquiens, *extra contentionis aleam est, in se consideratum* ἀντίλυτρον *Christi sufficere (Si quidem ita ferret, cui nemo nostrûm à Consiliis est, Voluntas) ad salutem omnium in genere hominum: imò etiam eorum Spirituum, qui originem suam dereliquerunt.*

CXXIX. Vel, uti alibi pleniùs idem se explicat: *Morti Christi non deesse quidem valorem expiandi peccata omnium hominum, si ad hoc à Deo destinata fuisset: Sed hoc consilium, hanc voluntatem Deo de morte Christi ab æterno nunquàm constitisse, neq; hoc in animum suum Deum unquàm induxisse.*

CXXX. Verùm, non opus est ἀεροβατεῖν, aut cœlo scalas admovere, & ipsa adyta consiliorum Dei perrumpere: sufficiat nobis Cousiliarius ille cœlestis, *Jes. 9, 6.* ejusq; infallibilis interpres, Spiritus Sanctus, voluntatem Patris de universali omnium hominum Redemtione, sole meridiano clariùs in Scripturis explicans.

CXXXI. Joh. 1, 9. *Christus est lux illa vera,*

quæ

quæ illuminat (hoc est, ad illuminandum ordinata) *omnem hominem venientem in hunc mundum.*

Jes. 53, 6. *Deus posuit super ipsum iniquitates* Omnium *nostrûm.*

2. Cor. 5, 15. *Unus pro* Omnibus *mortuus:*

1. Tim. 2, 6. *Christus dedit semetipsum pretium redemtionis pro* omnibus.

Tit. 2, 11. *Illuxit Gratia Dei salutifera* omnibus *hominibus.*

1. Tim. 1, 10. *Christus est Servator* omnium *hominum, maximè autem fidelium.*

Rom. 8, 32. *Deus non pepercit proprio Filio, sed pro nobis* omnibus *tradidit ipsum.*

Heb. 2, 9. *Christus pro* omnib. *gustavit mortem.*

CXXXII. Quid? quòd Scriptura ipsam etiam *speciem redemtorũ* impiorum pereuntium atq; damnatorum disertè definit: ut

Rom. 14, 15. *Noli cibo tuo perdere eum, pro quo Christus mortuus est.*

1. Cor. 8, 11. *Peribit frater tuus* (nempe per abusum libertatis Christianæ) *in scientia tua, propter quem Christus est mortuus.*

2. Pet. 2, 1. Apostolus affirmat de hæresiarchis, quòd *Dominum abnegent, qui ipsos redemerit, & sic subito exitio ipsi se involvant.*

CXXXIII. Et hinc est, quòd Christus vult *annunciari Evangelium universo mundo*: non Electis tantùm, sed omnibus genti-

gentibus, imò omni creaturæ (rationali scilicet) quæ sub cœlo est.

CXXXIV. Hinc est, quòd impii ob incredulitatem æternùm pereant: incredulitas autem hæc universalem Gratiæ divinæ oblationem necessariò præsupponit.

CXXXV. Hinc est, quòd Deus ipse sanctè attestatur, *se nolle mortem* MORIENTIS, *Jezech. 18, 31, 32.*

CXXXVI. Hinc denique est, quòd Deus omnium hominum salutem seriò & ardenter expetit.

Rom. 11. *Conclusit Deus omnes sub peccatum, ut* omnium *misereretur.*

1. Tim. 2. *Deus vult* omnes *homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis pervenire.*

2. Pet. 3, 9. *Deus non vult, ut ullus pereat, sed ut* omnes *ad pœnitentiam veniant.*

Sap. 11, 25. *Tu misereris* omnium: *Diligis enim* omnia *quæ sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti.*

CXXXVII. Quibus ita constitutis, sequentes Calvinianorum flosculos ad orcum relegamus.

I. *DEUM absoluto omnesq; causas antegrediente decreto multo maximam Mundi sive hominum partem, ad æternam exitium destinasse.*

II. *DEUM non misisse Filium, ut pro toto genere*

genere humano pateretur, ac divinæ justitiæ pro omnibus omninò hominibus satisfaceret.

III. *CHRISTUM pro impiis non esse crucifixum.*

IV. *DEUM nolle, ut omnes homines, etiam reprobi, vocentur ad regnum Gratiæ.*

V. *Si reprobis prædicetur maximè Evangelium, Deum tamen non seriò ipsos vocare ad fidem & pœnitentiam: neq; eo fine, ut salventur, sed ut graviorem damnationem accipiant.*

Hæc & consimilia dogmatum monstra, cum sacrilegâ in Spiritum Sanctum blasphemia conjuncta, verissimi præcipitii loco Orthodoxi omnes esse arbitrantur, quo in barathrum desperationis, & exremæ in DEUM impietatis homines adducantur: Quæ ut porrò à Scholis & Ecclesiis nostris arceat Clementissimus Pater cœlestis, infinitam ipsius misericordiam supplices veneramur.

Amen.

DISPU-

DISPUTATIO X.

DE VERBIS TESTAMENTI JESU CHRISTI FILII DEI.

HOC EST CORPUS MEUM.
HOC EST SANGUIS MEUS.

Præside FRIDERICO BALDUINO D.
Respondit M. NICOLAUS HARDKOPER *Stadensis.*

4. Augusti. 1609.

I.

VErba Testamenti legitimè dispositi ab hominibus piis & religiosis non facilè in disceptationem vocantur, siquidem, juxta Jurisconsultorum regulam; Voluntatis quæstio in Testamentis admittenda non est. Non enim verosimile est, Testatorem, præsertim moribundum, in re seria ludere, aut per ænigmata agere, aut hæredibus μῦλον ἔριφος objicere voluisse: idcirco D. Paulus hoc quasi extra controversiam ponit, quòd testamentum hominis, morte testatoris confirmatum, nemo spernat, aut quidquam superordinet Gal. 3. v. 15.

2. In-

II. Indecorum itaq; videri posset, ut leviſſimè dicam, de verbis Teſtamenti Chriſti diſputationem inſtituere, niſi tanta eſſet Sacramentariorum παυσεργία περὶ τὴν μεθοδείαν τῆς πλάνης, ut & in verba veritatis magiſterium ſibi ſumere, & quæ ſole meridiano clariora ſunt, venenatis gloſſematum ſuorum nebulis involvere audeāt. *Cur de verbis Teſtamenti Chriſti diſputetur?*

III. Quod ut liberiùs ipſis facere liceat, non defuerunt ex illa colluvie hominum, qui absq; fronte negarunt, Cœnam Domini eſſe Teſtamentum Chriſti morituri, ut apparet ex libello Embdenſium cap. II. articulo 5. Conſideratores Neoſtadienſes modò ajunt, modò negant: & tandem per jocum addunt, nobis fortè ideo in ore eſſe Teſtamentum Chriſti, quia vocabulum ſit epitriticum vel diſpondaicum, numerum habens oratorium ad percellendos animos auditorum gravitate dictionis idoneum. pag 206. cæteri, licèt Teſtamentum hic agnoſcant, nihil tamen novi eſſe dicunt, verba Teſtamenti eſſe figurata: atq; hinc licere ſibi autumant, Verba Chriſti Teſtatoris de literali ſuo ſenſu deturbare, & in varias interpretationum formas transmutare.

IV. Proinde operæ pretium, imò neceſſarium eſt, ut dignitatem tanti Teſtamenti

menti intrepidè adseramus, & verba Testatoris nostri â strophis Adversariorum pro virili vindicemus: aliàs de nucleo cœlestis illius legati nunquam verè constabit, & omne solatium tam pretiosi Sacramenti penitùs expirabit.

Sacramentarii controversiam Eucharisticam extenuant.

V. Non enim existimandum est, litem hanc Testamenti Christi â Sacramentariis motam, leviculam esse, aut tam exigui ponderis, ut absq; periculo fidei & salutis in ea aberrari, aut neutra pars damnari, aut saltem absq; divulsione Ecclesiarum tolerari queat.

Zanch. lib. de diffidio in cœna Domini. Gualth. in præfat. Ep. ad Ro. ad Langr. Hass. P Vilbel. Curæus Exeg. p. 293. Lampadius in Censuræ ubiquit. pag. 27.

VI. Sacramentariis quidem res non admodum magni momenti videtur de verbis Testamenti Christi altercari. Hinc est, quod Tigurini olim scripserunt, controversiam de cœna Domini non pertinere ad articulos fidei, teste B. Luthero in confess. minore. Zanchius λογομαχίαν vocavit, qualemcunq; disceptationem & inutilem ac supervacaneam contentionem. Gualtherus scribit, eos, qui per hanc disputationem offendantur, in pulicis morsu invocare Herculem. Curæus in exegesi vocavit dissensionem leviculam, quæ non sit magni momenti. Et nunc-nuper Sacramentarius quidam Bremensis, disputatio-

nem

nem de cœna Domini verbalem controversiam nuncupavit.

VII. Neq; verò abs re suâ extenuant hanc litem: sed primùm, ut eò facilius, si DEO placet, toti mundo persuadeant, in rebus ipsis inter utramq; partem magnum esse consensum. Ita enim Zanchius in libro de dissidio cœnæ §. 3. *In eo, quod ex verbo Domini apertum est, hoc est, in summa rei atque in ipsa substantia ita omnes inter se consentiunt, ut quod adhuc controvertitur, illud non mihi tantùm, sed aliis etiam ante me nonnullis maximæ eruditionis & probatissimi judicii viris, inutilis esse contentio planè visa sit.* *Zanch. miscellan. fol. 549. a.*

VIII. Temerarium sanè affirmatum. Nam ex verbo Domini apertum est, verum & substantiale corpus Domini in cœnâ esse præsens, exhiberi ac edi â communicantibus: & hæc est verè summa rei & substantia, de qua hodie controvertitur, non de modo præsentiæ, quemadmodum falsò pervertunt statũ controversiæ Calviniani.

IX. Quomodo verò in hac summa rei nobiscum consentire possunt, qui docent, corpus Christi abesse à nobis tanto locorum intervallo, quanto cœlum abest â terra, ut *Calvinus* scribit in consensu de re sacra sub finem: *Beza in colloq. Pus. sincero,*

Petrus Martyr in dial. corpus Christi non adesse, sed figurari & repræsentari: *Piscator vol. 2. disp. 16.* non edi, sed credi, nam manducare Christum est credere, nos propter meritum Christi recipi â D E O in gratiam, inquit *Ursin. part. 3. doctrinæ cat. p. 155.* Quomodo item in summa rei nobiscum consentire possunt, & credere verum Christi corpus adesse in cœna, ut Zanchius scribit, qui dicunt, eodem modo nobis carnem Christi præsentem esse in cœna, quo patribus in Veteri Testamento? illis enim secundum substantiam præsens non fuit, ut habet *Beza in cap. 10. prior ad Corinth.* qui jubent elevari animam fidelem in cœlum, & ibi apprehendere corpus Christi, ut *Sadeël de Sacram. manduc. argumento 3. p. 71.* qui deniq; prolixè ostendere audent, veram præsentiam corporis Christi in cœna esse contra multos fidei articulos, quemadmodum apparet ex tractatu Ursini *de cœna in Catech. p. 168. seqq. & Sadeelis de Sac. manducat. passim.*

X. Perinde itaq; mihi facere videntur Zanchius & socii, atq; olim Pelagius, qui ab Augustino convictus, in controversia de peccato Originali, multa de aliis articulis, de quibus nulla erat mota lis, disserebat, de controversia autem illa dicebat, eam non esse fidei, sed quæstionis, de qua inter plerosq;

rosq; sit contentio, referente Augustino *lib.2. de peccato orig. contra Pelagium & Celestium cap.23.*

XI. Altera causa, cur litem hanc Sacramentariam tantopere extenuant adversarii; hæc est, ut eò liberiùs ludere possint variis verborum Christi interpretationibus. Quod si enim seriò cogitarent, quæstionem esse de præcipuo fidei Articulo, de veritate itidem verborum Christi, rem magnam esse, verba Christi testamentaria in dubium vocare, aut Testamento Filii DEI aliquid superordinare: dubio procul majori cum reverentia ad hæc sacra accederent, satiusque putarent, Verbis Christi in simplicitate fidei, captivata ratione, credere, quàm otiosis rationis humanæ speculationibus contra verbum expressum indulgere.

XII. Accedit denique, quòd hodierni pacificatores inter Sacramentarios hanc unicam restare censent controversiam, quæ plenarium inter nos & illos consensum & fraternitatem, quam insidiosè petunt, remoretur: quæ licèt nondum plenariè sit sopita, ideò tamen, ut ipsi censent, diutius fraternitatem illam impedire nō deberet, quia non in rebus, sed in verbis sit cōtentio: *Tantū verbalis* (inquit recens ille censor Ubiquitatis) *& facilè sedatis animis componenda* *Lampad. Cens. Ubiq. pag.28.*

nenda de Cœna Domini remanet controversia: quasi verò reliquum Augiæ Calvinianæ stabulum ita expurgatum sit, ut Orthodoxa Ecclesia Christi adquiescere possit.

XIII. Sed his omnibus opponimus authenticam Apostoli Pauli ex 1. Cor. 11. v. 29. *Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat & bibit, quia non dijudicat corpus Domini.* Dijudicare autem corpus Domini est scire, quòd corpus Domini in cœna adsit & distribuatur: quòd hic cibus aliis ex communi ordine dignitate sua longè sit excellentior ac sublimior; Qui in aliquo horum ambigit, is non rectè dijudicat corpus Domini, & manducat sibi judicium.

XIV. Non ergò potest verbalis aut levicula esse controversia, aut qualiscunque contentio, de eo, de quo non rectè instituta διάκρισις judicium parit ambigentibus: sed necesse est, præcipuum esse fidei articulum, verum & substantiale corpus Domini promitti verbis testamenti, & in sacra cœna revera adesse ac distribui communicantibus.

Dissensio Sacramentaria solvit pacem Ecclesiasticam.

XV. *Theodoretus* certè *dial.* 3. ex epistolis Ignatii hæreticos vocat eos, qui negant Eucharistiam esse carnem Salvatoris nostri Jesu Christi, eosq; ex Ecclesia propterea ejec-

ejectos fuisse scribit: Et *Irenæus* ostendit *lib. 4. cap. 34.* divinitatem & humanitatem Christi, ut & resurrectionem carnis, ex Eucharistia, hoc est, ex vera corporis Christi præsentia in S. Cœna probari posse. Non igitur est verbalis saltem controversia, sed tanti momenti, ut error in ea hæresin pariat, & aliorum articulorum veram intelligentiam impediat.

XVI. Quam ob causam B. Lutherus in Colloquio Marburgensi Zvvinglium & Oecolampadium pro fratribus habere noluit, licet id anxie peterent, & in cæteris articulis Luthero consentirent, excepto hoc uno de præsentia corporis Christi in cœna Dominica, in quam ut consentirent, nullis argumentis persuaderi poterant. *Hist. Aug. Confess. pag. 124.*

XVII. Et cùm anno 1531. consuleretur, num Zvvingliani recipiendi sint in fœdus contra Pontificios, dissuasit inter alia etiam hoc nomine: quia impium sit futurum fœdus, propter hæresin de Sacramento: neq; existimandum esse ait, (quod hodiè pacificatores nostri existimant) unam hanc dissensionem reliquorum capitum collatione, non ita magni æstimandam, hoc enim unico reliqua omnia contaminari: & quamdiu sese in hoc capite non- *Ibid. p. 195.*

emendabunt, nullam esse spem, ut in reliquis sani & constantes permaneant.

Ibid. p. 193. XIIX. Idem suasit Senatus Norimbergicus per Christophorum Kressium Saxoniæ Electori, & reliquis ordinibus, sollicitéq; eos rogavit, ne ulla omninò consociatio cum Zvvinglianis iniretur, nisi priùs Ecclesiarum nostrarum confessionem & veram de cœna Dominica doctrinam absque omni dolo, candidè & sincerè approbarent atq; reciperent.

Ibid. p. 196. XIX. Ad Argentinenses etiam peculiares literas scripsit Lutherus in quibus inter cætera inquit: si omnino animum obfirmarint, ut nobiscum credere nolint, corpus & sanguinem Christi etiam externè in pane & vino adesse, & à piis pariter ac impiis porrigi, tractari & accipi; maturè ipsos omni conciliationis labore & molestia supersedere potuisse.

XX. Tandem cum Bucero & sociis anno 1536. non priùs concordiam iniit, quàm rejecta Zvvinglii, cui primitus adhærebant, sententia, cum ipso candidè & apertè profiterentur, panem esse verum & substantiale corpus Christi, ex potentia & virtute instituentis Christi, & divina majestate, sive indigni abutantur, sive digni utatur illo.

21. Ita

XXI. Ita semper hic articulus de cœna Domini tanti momenti fuit habitus, ut dissidentium in eo animi fraterni amoris vinculo conjungi non valuerint. Mirum enim nobis videtur, dicebat Lutherus ad oblatam fraterniratem Zvvinglii & Oecolampadii, qua conscientia pro fratribus nos habere possint, quos errare in doctrina statuant. Quomodo enim ferre possint, ut in cœtibus suis simul cum ipsorum dogmate, nostra etiam sententia doceatur & credatur, id quod permittendum omninò sit, nisi nos mutuò excommunicemus.

XXII. Hæc præmittenda videbantur, propter subdolam Pacificatorum nostrorum assertionem, quasi controversia de cœna Domini concordiam Ecclesiarum non scindat. Jam verò alia quæstio est: Undè & ex quo fundamento præcipuum hoc fidei Christianæ dogma, de vera & reali corporis ac sanguinis Christi præsentiâ in sacrosanctâ cœnâ, dijudicari debeat.

Fundamentum controversiæ de cœna sunt verba institutionis.

XXIII. Hîc verò nullum aliud fundamentum hujus dogmatis agnoscimus, quam Ipsa verba Testamenti, seu primæ institutionis; quæ quatuor testes omni exceptione majores descripserunt Matth. 26. v. 26. & seq. Marc. 14. v. 22. & seq., Luc. 22. v. 19. & seq. Paulus 1. Cor. 11. v. 24.

MATTHÆUS.

λάβετε, φάγετε, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου,
Accipite, comedite, hoc est corpus meum.
πίνετε ἐξ αὐτοῦ πάντες. τοῦτο γάρ ἐστι τὸ αἷμά μου, τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν.
Bibite ex hoc omnes, Hic est enim sanguis meus, novi testamenti, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum.

MARCUS.

λάβετε, φάγετε, τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου.
Accipite, comedite, hoc est corpus meum.
τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου τὸ τῆς καινῆς διαθήκης, τὸ περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον.
Hic est sanguis meus novi testamenti, qui pro multis effunditur.

LUCAS.

τοῦτό ἐστι τὸ σῶμά μου, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν διδόμενον, τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν.
Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, hoc facite in mei recordationem.
τοῦτο τὸ ποτήριον, ἡ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον.
Hoc poculum novum Testam. in sanguine meo, qui pro vobis effunditur.

PAULUS

PAULUS.

λάβετε, φάγετε, τοῦτό μου ἐστὶ τὸ σῶμα, τὸ ὑπὲρ ὑμῶν κλώμενον. τοῦτο ποιεῖτε εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. τοῦτο τὸ ποτήριον ἡ καινὴ διαθήκη ἐστὶν, ἐν τῷ ἐμῷ αἵματι· τοῦτο ποιεῖτε, ὁσάκις ἂν πίνητε, εἰς τὴν ἐμὴν ἀνάμνησιν. *Accipite, edite, Hoc meum est corpus, quod pro vobis frangitur. Hoc facite in mei commemorationem. Hoc poculum novum testamentum est in meo sanguine, hoc facite quotiescunq; biberitis in mei commemorationem.*

XXIV. Hæc est sedes hujus materiæ, ex qua sola solidè & perfectè vera & nativa verborum Testamenti interpretatio peti potest: ideò toties à diversis autoribus & diverso tempore ea verba repeti curavit Christus; ne aliunde verum & genuinum horum verborum sensum depromeremus, sive id ex ratione, sive ex aliis scripturæ locis fiat.

XXV. Nam verba Institutionis complectuntur mysterium ab omni sensu ac ratione hominum absconditum, solo verbo DEI patefactum, cui omnia absurda, quæ in hoc mysterio sibi fingit ratio cedere debent: Scriptura enim non est ἰδίας ἐπιλύσεως 2. Pet. 1, vers. 20.

XXVI. Neq; etiam alia Scripturarum loca, quæ de cœna Domini non loquuntur huc accersere necesse est: Christus enim in verbis Testamenti sui novam planè actionem instituit, quam ante illam noctem in qua tradebatur, nunquam usurpavit, eamq; verbis satis claris, & perspicuis proposuit, ut impiæ sit temeritatis, neglecta hac propria sede, peregrinas consulere Scripturas.

XXVII. Quod si enim in aliis dogmatibus, quæ omnibus temporibus in Scriptura tradita sunt, non concedimus Adversario, ut sedem materiæ ex aliis Scripturæ locis, juxta præconceptam suam opinionem, interpretetur, sed alias potius Scripturas ad analogiam ejus loci, in quo sedem suam habet, referendas esse judicamus; quantò magis Sacramentarii intra cancellos verborum institutionis compescendi sunt, in quibus nova planè & prius inaudita describitur actio, ne præconcepta opinio ex peregrinis locis in ipsam sedem materiæ illata videatur?

XXIIX. Nam, quod præclarè monuit Hilarius: *optimus ille lector est, qui intelligentiam dictorum expectat ex dictis potius quam imponat, & retulerit magis, quam attulerit, neque cogat hoc videri dictis contineri, quod ante lectionem præsumserit intelligendum.*

lib. 1. de Trin. pag. 7.

29. Con-

XXIX. Contrà hanc nostram sententiam de vero fundamento verborum Institutionis habent Sacramentarii nonnulla, quibus partim animi sui impotentiam, partim calumniandi studium, partim etiam tergiversationē suam nimis apertè produt.

Sacramentariorum impietas & κυβεία circa verba Testamenti Christi.

XXX. Primùm enim dici non potest, quàm contemtim habeant, quàm impudenter, & tantùm non scurriliter verba Institutionis exibilent. *Bucerus* nominat verbula aliquot murmurata super panem: *Burenius* Consul Bremensis vocat tria impotentia verba, Hoc est corpus. *Calvinus* assertionem τȣ̃ ῥητȣ̃ nominat stultam pervicaciam hostiliter litigantē de verbis Christi, hoc est corpus meum, & assertores verborum testamenti Christi vocat morosos & præfractos literæ exactores. *Beza* eandem assertionem vocat umbram asini. *Petrus Martyr* dogma de præsentia Christi in cœna vocat æquè absurdum ac inutile, pro quo tuendo nil quidquam habeamus, nisi Christi τὸ ῥητὸν: hoc est corpus meū. Neostadienses deniq; clamitāt, nos nihil sonare ampliùs, quàm verba, verba, verba Christi.

1. Buc. super cap. 6. Johan. pag. 147. b. Bur. in coll. Brem. de cœna Domini cum D. Morlino & D. Heshus. ann. 60. Calvin. Inst. lib. 7. c. 19. §. 20. Beza in Creophag. pag. 25. Martyr. in dial. p. 127. Neostad. in admon. pag. 121.

XXXI. Quos Sarcasmos & rictus Satanæ Autori horum verborum Jesu Christo vindicandos relinquimus: nos cum Christo desipere malumus, quàm cum Calvinianis

sapere:

sapere: nam quod stultum est DEI, sapientius est hominibus 1. Cor. 1. v. 25. Et, si D. Paulus pro ῥητῷ verborum Testamenti DEI cum Abrahamo facti ad unicam usq; syllabam pugnavit (non dicit quasi in seminibus, quasi multis, sed in semine tuo quasi in uno, quod est Christus Gal. 3. v. 16.) quantò magis nostrum est, in verbis Testamenti ultimi firmiter inhærere: non enim verba sunt vanissimi homulli, sed Magni illius Prophetæ, qui cœlitus audiri jussus est veracissimi omnipotentissimiq; filii DEI, quæ ne istis ἐμπέκταις aliquando sint futura fulmina, probè sibi caveant. Nam si quis verba illius Prophetæ non audierit, ego ultor ex istâ, inquit Domin9 Deut. 18, 19.

2. Beuml. in falcone deplumato pag. 63. Orth. consens. p. 163. Sad. de Sacram. manduc. p. 148. 149.

XXXII. Deinde oggerunt: verba institutionis non posse fundamentum esse doctrinæ de reali præsentia corporis Christi in SS. cœna: & nos planè frustra verborum autoritate niti, indeq; hoc probare conari, quod ex ipsis verbis in quæstione seu controversia est: quam ob causam vulgaris cavillatio vocatur in cacodoxo consensu, cum â nostris dicitur, de singulis Sacramentis ex suæ institutionis verbo & promissione judicandum esse, & Sadeel litigiosam ignorantiam vocat, dicere, Sacramen-

mentum cœnæ non esse exponendum ex natura aliorum Sacramentorum.

XXXIII. Atqui verò hac ratione ex nullo Scripturæ loco firmum hujus articuli fundamentum peti posset. Nullus enim est, qui non â præpostero rationis judicio in controversiam, imò in sensum prorsus alienum rapi queat. Et si argutatio ista valet, cur Sacramentarii caput 6. Johannis, fundamentum hujus controversiæ ponūt? nā & illud utrinq; controversū esse constat.

XXXIV. De verbis ipsis sanè nulla controversia est, nisi fortè dubitare velis, an verba Cœnæ à tribus Evangelistis & Apostolo Paulo recitata, sint verba Institutionis: sed de germano eorundem sensu: qui utrum, posthabita autoritate Christi, dignitate Testamenti, & claritate ipsorum verborum, aliunde quam ex propria illa sede hujus Sacramenti, absq; impietate peti queat, ipsi viderint: nos contrarium deinde docebimus, unde cuilibet liquidò patebit, de verborum Testamenti sensu germano, & quæ hinc dependet, præsentia corporis Christi, ex ipso Testamento rectè arq; ordine disputari.

XXXV. Tertio loco occurrunt inter Sacramentarios, qui rationis judicium in hoc 3. *Strigel in Epistola ad Rambec. ū.*

hoc mysterio non omninò excludendum esse judicant, ex quibus *Victorinus Strigelius* suadebat, in certamine de cœna Domini sinistro oculo inspiciendum esse ad verba Christi, dextro in naturas Christi: *Calvinus lib. 4. instit. cap. 17 §. 20.* verborum Christi reverentiam prætextum vocat non satis justum, cur omnes rationes respuamus, quas ipsi objiciunt: & communis Calvinianorum coccysmus est, rationem humanam ne quidem in rebus divinis simpliciter exuendam, aut abjiciendam esse: qua in re multi sunt, *Ursinus tract. de cœna p. 171. Neostadienses in admonit. pag. 115. 116. & novitius ubiquitarius censor. pag. 13.*

XXXVI. Ubi sanè scire debebant, non de ratione exuendâ vel abjiciendâ, sed captivanda sermonem esse. Multa enim sibi fingit absurda, quia mysterium ex suis principiis intelligere non potest, qualia sunt, unum corpus non posse esse pluribus in locis simul: vera & reali corporis Christi præsentia abnegari veram corporis naturam & essentiam: corpus ore manducatum masticari, & in ventrem dejici, ut Neostadiensis considerator argutatur: quæ omnia pio homini tanti non sunt, ut veritatem verborum Christi in dubium vocare, aut in eum, qui verbis Christi contrarius est, sen-

sum

sum detorquere possint. Pertinent enim ad βεβήλους κενοφωνίας, καὶ ἀντιθέσεις τῆς ψευδωνύμου γνώσεως, quas Paulus Timotheum suum fugere jubet. 1. Tim. 6. vers. 20.

XXXVII. Aliàs libenter concedimus, non brutum quendam sensum ad verbum Dei afferendum esse: Scrutari enim jubemur scripturas. Neq; τὸ ῥητὸν in verbis cœnæ simpliciter sine ulla interpretatione urgendū est: sed talem interpretationē quærendam esse negamus, quæ â propria & nativa singulorum verborum significatione discedat, rem cœlestē, seu corpus & sanguinem domini â Sacramento cœnæ removeat, & promissionem Christi illis ipsis verbis expressam, aut planè tollat aut evacuet, eò quod cōtra sensum rationis esse judicetur.

XXXIIX. Rationem itaq; excludimus in hoc mysterio, 1. quatenus sensualem tantùm petit demonstrationem, qualem cupiebat Bullingerus, qui corpus nunquam apparere scripsit, in, sub, vel cum pane, & nos nihil videre in manibus ministri, quàm panem, nullum verò corpus. 2. quatenus sibi ipsi absurda, & contradictiones fingit. Nam, ut præclarè scribit præclari nominis Theologus: Ex nostro ingenio fas non est definire, quid pro contradictione in Theo- Bulling. de cœna Domini. Hunnius de Trinit. pag. 48.

Augustinus lib. 3. de doctrina Christ. cap. 10.

Theologia sit habendum, quid secus: alias everterentur omnia mysteria regni DEI. Quod si animum præoccupavit alicujus erroris opinio, quidquid aliter asserverit Scriptura, figuratum homines arbitrantur, ne contradictio fieri videatur.

XXXIX. Admittimus autem rationis illuminatæ ministerium in hoc mysterio, quatenus voces & termini explicandi sunt, ubi & simplicis terminorum notitia requiritur ex linguarum fontibus, & terminorum compositio, in cognitione phrasium, & deniq; διάνοια seu discursus mentis in dijudicatione & collatione σωειρείας in textu, antecedentium & consequentium: in quibus omnibus rationis ministerio carere non possumus: & intra hos concellos si se contineat, suam quoque in mysteriorum cognitione laudem meretur; ita enim neq; bruteſcere, neque affectato magisterio insoleſcere potest.

XL. Quartò: calumnia Sacramentariorum non postrema est, qua nobis objiciunt, Lutherum & discipulos in hoc articulo non adquieſcere in verbis institutionis, sed realem corporis Christi præsentiam in Cœna absq; commento Ubiquitatis, (ita vocant Majestatem omnipræsentiæ carnis Christi) defendere non posse, quin & ubi-

qui-

quitatem propter præsentiam corporis Christi in cœna excogitatam esse, qua de re vide *Sadeelem Refutatione Posnan. assertion. p.585. Cacodoxum consensum cap.6. p.270. novum Ubiquitatis Censorem p.25.*

XLI. Contrarium ostendunt scripta Lutheri polemica, in quibus contra Sacramentarios de negotio Eucharistico ex solis verbis institutionis disputat: in Catechismo majore verba institutionis vocat fundamentum nostrum, defensionem & arma nostra adversus omnes errores & fallacias, quæ aut allatæ sunt, aut unquam afferri in hoc negotio poterunt, & *tom.8. Jen. f.340.b.* scribit, nullam aliam rationem corporis Christi in cœna præsentis quærendam esse, quam verba Christi instituentis. Quam sententiam discipulos quoq; Lutheri tenere constat ex formula Concord. art.7. p.713.

XLII. Postquam autem Zvvingliana factio multa opposuit ex articulo de persona Christi, de ascensione ad cœlos, de sessione ad dextram patris &c. quasi præsentia corporis Christi in Cœna tolleret naturam corporis in cœlo: tunc sanè & Lutherus & Lutheri discipuli coacti fuerunt ostendere, dogma hoc cum articulis illis nequaquam pugnare, nec naturam veri corporis tollere.

Ut enim Christus corpore suo in cœna adesse possit, id habet ex unione cum omnipræsente λόγῳ.

XLIII. Atq; sic ex articulo de persona Christi ἀναστδατικῶς pugnarunt pro præsentia corporis Christi in cœna, ex articulo de cœna καταστδατικῶς: ex illo, quod *possit*, ex hoc, quod *velit* adesse: Unde liquet, verba institutionis sufficere homini fideli, qui potentiam Christi in dubium vocare non auder.

5. XLIV. Denique, ne sola verba institutionis pro fundamento hujus controversiæ cogantur admittere, obtendunt caput Sextum Johannis, ubi etiam de manducatione corporis Christi agitur. Sed quàm malè caput illud ad negotium Eucharisticum trahatur, passim ubiq; ex ipso contextu ostenditur. Unicum hoc notare jam sufficiat: quod de diversissima manducatione utrobiq; sermo sit. Apud Johannem de spirituali, quæ fit fide, & quidem semper ad salutem, juxta illud v. 54. qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & talis manducatio etiam extra cœnam fieri potest. Verba Institutionis agunt de Sacramentali manducatione, quæ non nisi in cœna fit, neq; semper ad salutem, sed interdum

dum ad judicium, juxta illud 1. Cor. 11. v. 29. Qui manducat & bibit indignè, judicium sibi manducat, & bibit &c.

XLV. Remotis his obstaculis, relinquitur, præsentiam carnis Christi in cœna ex verbis Testamenti Christi sufficienter probari posse ac debere: de quorum vera ac genuina sententia nunc dispiciendū restat.

XLVI. Hic verò status controversiæ inter nos & adversarios Sacramentarios est: *Num verba Testamenti simpliciter & κατὰ τὸ ἐγκὸν intelligenda sint ita ut verba eum habeant sensum, quem monstrat litera, quæ verum & naturale Christi corpus in Sacrosancta cœna adesse & manducantibus distribui, ostendit: an verò secundùm διάνοιαν ita ut statuatur, corpus Christi tanto abesse intervallo à S. cœna, quanto cœlum abest ab ima terra.* τὸ ἐγκὸν nostræ Ecclesiæ agnoscunt: τὴν διάνοιαν Sacramentarii introduxerunt. *Status controversiæ de verbis Testamenti.*

XLVII. Ut διάνοιαν suam tueri possint Sacramentarii, nullam omninò vocem depravationibus suis intactam relinquunt. *Carolostadius* pronomen τοῦτο *Hoc*, dixit esse δεικτικὸν corporis, quasi Christus verso ad se digito dixerit, Hoc est corpus meum, id est: hic assidet corpus meum: atq; sic excludebat ex hac propositione panem. Alii contra, *Vide Mu-*

sculum' in locis f. 352.

tra, particulam Hoc intelligebant tantùm de pane, excluso corpore.

XLIIX. Utrinq; mutilum fit Sacramentum, deficiente altera parte essentiali: apud Carolostadium, parte Elementari, pane: apud cæteros parte cœlesti, corpore Dominico. Constat autem, unumquodq; Sacramentum duas habere partes substantiales, terrenam & cœlestem.

XLIX. *Zvvinglius* verbum *Est* exponit per *significat*: & hanc pretiosam margaritam se in Batavi cujusdam Epistola excusa reperisse ait. Et licet ex Sacramentariis nonnulli agnoverint hanc interpretationem locum habere non posse, cùm in verbis Testamenti donum detur, non signum declaretur: hodiernis tamen Sacramentariis glossa Zvvinglii omnium optimè placet, ut eò facilius ex propositione Sacramentali tropicam seu metonymicam faciant: ubi tamen metonymia neq; in subjecto sit, neq; in prædicato, neq; in copula; sed in attributionis modo: quod contra omnium troporum naturam est, fatentibus nonnullis Sacramentariorum Logicis. Vide *Keckerman. lib. 3. system. Theol. cap 8.*

L. Deniq; per *corpus Oecolampadius* intelligit figuram corporis: *Zvvinglius in expos. fidei*, Sacramentum corporis: *Calvinus* contra

contra Westphalum, vigorem corporis: *Musculus* in locis, symbolicum corpus, hoc est, panem, qui est symbolum corporis: *Bullingerus* memoriam corporis Christi. *Johannes Campanus*, referente Luthero in minore confessione, creaturam Dei, quasi dixerit Christus, hic panis est corpus meū, hoc est, corpus naturale, seu creatura mea: *Zanchius* ipsum Christum & beneficia ejus *in miscell. p. 150.*

LI. Hinc tot tamq; variæ enatæ sunt interpretationes verborum Christi, *Hoc est corpus meum*, quot & quam varia sunt ipsorum doctorum capita; quæ tamen in eo omnes conspirant, quod verum & substantiale corpus domini à cœna quàm longissimè abesse docent. Quibus omnibus opponimus nostrum ῥητὸν quod in singulis vocibus constanter retinemus & urgemus. *Vera explicatio verborum Testamenti.*

LII. Nam per pronomen HOC intelligimus idipsum quod Christus suis discipulis porrigebat, quod accipere ac manducare jubebat: nimirum non solum panem, non solum corpus: sed panem & corpus uno complexu, ita ut corpus primariò notetur, hujus enim communicationem instituebat dominus: panis verò minus principaliter, nimirum ut ὄργανον & medium, cum quo corpus communicabatur. *HOC*

LIII. Neq; verò huic interpretationi adversatur id, quod Lutherus in propositione Sacramentali loco subjecti ponit Panem, in colloquio Marpurgensi: Non enim panem duntaxat intelligit, absq; corpore: sed panem cum corpore Sacramentaliter unitum. Voluit autem expressè panem nominare in subjecto, partim contra figmentū Transubstantiationis Papisticæ, partim contra Φλυαρίας Caroloſtadii, qui panem omninò omittebat.

LIV. Aliàs phrasis hæc non est Scripturæ: sed quando Scriptura mutat subjectum, & pro HOC ponit PANEM, statim etiam mutat prædicatum; non enim dicit, panis est corpus; sed panis est κοινωνία corporis 1. Cor. 10. hoc est cum pane, seu mediante pane, corpus Domini nobis communicatur. Sic in altera parte, quando Lucas & Paulus pro HOC ponunt POCULUM, aliud apponunt prædicatum: hoc poculum novum testamentum est in meo sanguine.

EST. LV. Deinde verbum substantivum EST exponimus ὑπαρξικῶς, pro eo, quod revera existit; non autem σημαντικῶς, pro eo, quod significat. Nam significationes & umbræ veteris Testamenti præterierunt;

runt: corpus autem est in Christo ipso Col. 2. Heb 10. Et si Christus per significationes cum discipulis agere voluisset, non fuisset opus Sacramento novo: longè melius hoc præstare potuisset agnus Paschalis.

LVI. Deniq; per CORPUS intelligimus, verum, naturale, & essentiale Christi corpus; ideo dicit MEUM CORPUS, nimirum discernens illud à figuris & umbris Veteris Testamenti: & quidem illud CORPUS quod pro nobis in mortem fuit traditum, constans naturalibus suis proprietatibus & partibus essentialibus, ita ut figmentum sit merè Calvinianum, quod nobis de corpore non corpore, de corpore phantastico & Utopico objiciunt. *CORPUS MEUM.*

LVII. Sensus igitur verborum Institutionis genuinus hic est: Hoc quod cum pane, seu mediante pane vobis manducandum exhibeo, revera est verum & naturale meum corpus, quod ex utero beatæ matris assumsi, & pro vobis in mortem traditurus sum: hoc quod cum vino, seu mediante vino vobis bibendum præbeo, revera est verus & naturalis meus sanguis, quem pro vobis in passione mea effundere volui: quem sensum & non alium, propria, nativa & Scripturæ usitata significatio istorum verborum reddit.

LIIX. Pro hoc ἐηπῷ gravissimè pugnavit B. Lutherus, in iis imprimis libris, quos contra Sacramentarios expresse scripsit, ut in libro cōtra cœlestes Prophetas, in minore & majore cōfessione, in stercomate, & sermone de Sacramento cœnæ, ut & passimalibi. Et quanquam iis, qui τὸ ἐηπὸν defendunt, probatio non incumbit, quia innituntur verbis Christi simpliciter uti sonant, & uti ab ipso Christo posita sunt, quæ fidei simplicitas meritò nemini deberet esse fraudi: attamen multa adducit & præclara pro τῷ ἐηπῷ fundamenta, quæ breviter & summariè ex Lutheri scriptis annotabimus.

Argumenta Lutheri pro τῷ ἐηπῷ verborum Testamenti.

LIX. 1. Principiò sæpe urget Lutherus personam Instituentem hoc Sacramentum; quæ sanè non fuit hominum aliquis, sed Filius D. E I, veritas & omnipotentia ipsa, quem Pater æternus nobis audiendum proposuit. Is sanè novit, quomodo ipsi loquendum fuerit: ejus itaq; linguam corrigere, aut absurditatis arguere, extremæ temeritatis ac summæ impietatis est.

LX. 2. In libro περὶ τοῦ ἐηποῦ provocat ad perspicuitatem verborum, quæ in simplici suo sensu accepta neq; cum aliquo articulo fidei pugnant, neq; extremâ aliqua necessitate urgente in figuratum sensum detorquenda sunt.

61. Di-

LXI. Dicunt quidem, pugnare præsentiam corporis Christi in cœna cum adscensione ejus in cœlum, & cum veritate corporis naturalis: sed nulla hic pugna est: si modum præsentiæ corporis Christi attendas. Adest in cœna verè & realiteri, sed illocaliter: Adscendit autem in cœlos localiter. Inter hæc duo autem esse pugnam, aut illocalem invisibilemq; corporis Christi præsentiam veritatem corporis evertere, tum demum obtinebunt, quando evicerint, localitatem & visibilitatem de essentiali parte corporis naturalis esse. Et quomodo adscensio Christi in cœlos pugnare potuit cum præsentia corporis Christi in prima cœna? tum enim nondum erat facta.

LXII. 3. Evincit τὸ ῥητὸν verborum cœnæ geminus ille προσδιορισμὸς, qui utrobiq; additur, hoc est corpus meum, *quod pro vobis traditur*: hic est sanguis meus, *qui pro vobis effunditur*: Jam verò non figura aut signum, aut phantasma corporis Christi pro nobis in mortem traditum, sed ipsum naturale & essentiale Christi corpus. Ergò verum, naturale & essentiale Christi corpus intelligendum est.

LXIII. 4. Si τὸ ῥητὸν locum habere

non posset: Sequeretur manifesta absurditas, impingens in analogiam fidei. Nam si particula HOC more Carolostadiano, non de pane, sed de corpore tantùm accipienda esset, sequeretur transubstantiatio Papistica; si de solo pane, non etiam de corpore, Wiclephitarum error sequeretur, & falsum esset, quod adjicitur, *quod pro vobis traditur*: non enim panis pro nobis fuit traditus. Si corpus more Oecolampadiano, de Phantasmate aut figura corporis, sequeretur Marcionitarum hæresis, tribuentium Christo Phantasma seu spectrum corporis: si copula *Est* more Zwvingliano exponeretur per significat, sequeretur, idem esse, rem & signum rei: eodem enim modo sese habent res & signum rei; item esse & significare. Et quocunq; demum modo nativa significatio verbi E S T mutatur, hæresin infert, & ex esse facit non esse.

LXIV. §. Accedit, quod reliqua Sacramenta omnia propriis verbis constant, quod ex inductione Sacramentorum Veteris & Novi Testamenti facilè ostendi potest: nulla itaq; ratio est, cur in hoc Sacramento à nativa verborum significatione sit discedendum. Si enim Veteris Testamenti Sacramenta tropum non admittunt, cum tamen figuræ & significationes ad Testamen-

stamentum vetus propriè pertineant; extremæ sanè temeritatis esset, tropum fingere in Sacramento cœnæ, quod verba non simplicis Sacramenti, sed Testamenti continet.

LXV. 6. Et hinc peculiare argumentum petitur, quod verba cœnæ non sunt verba vulgaris concionis, ad populum habitæ, in quibus Christum interdum figuratè locutum fuisse constat: sed sunt verba dispositiva Testamenti, quæ Dominus Jesus in ea nocte, qua traditus est, magna cum asseveratione, magna itidem cum devotione, reverentiáq; protulit in disputationibus autem Testamentariis etiam atq; etiam caveri solet, ne verba non satis perspicua proponantur, quæ hæredibus litigandi materiam præbeant,

LXVI. 7. Præterea facit ad probandum institutum nostrum constans Evangelistarū & Apostoli Pauli consensus in recitatione principalium verborum Institutionis, de quibus maximè inter nos & Calvinianos est controversia. Nullibi enim reperitur, Carolostadianum τὸ τοῦτο, nullibi Zvvinglianū Significat, nullibi Oecolampadiana figura symbolumq; corporis, nullibi pro corpore Calviniana efficacia corporis: sed hæ glossæ omnes ex consensu Evangelistarum solidissimè evertuntur.

67. Quod

LXVII. Quod si enim Carolostadius τὸ τοῦτο referat ad demonstrationem corporis mensæ accumbentis, refragatur Marcus, qui in descriptione alterius partis asserit, Christum illud τοῦτο etiam de sanguine suo usurpasse, quem sanè digito monstrare non potuit. Quod si Zvvinglius suum *significat* urgeat, reclamant Evangelistæ, unà cum Apostolo, qui unanimiter dicunt, id quod porrigebatur, non significare, sed esse corpus sanguinemq; dominicum. Sic & Oecolampadiana figura & Calviniana efficacia evertitur per τὸ προσδιδόμενον illum, *quod pro vobis traditur: quod pro vobis effunditur*: id enim de figura aut efficacia corporis aut sanguinis dici non potest.

LXIIX. Non verò diffitemur, Lucam atq; Paulum in altera parte Sacramenti à cæteris Evangelistis nonnihil videri discrepare. Nam cùm Matthæus & Marcus scribunt τοῦτό ἐστι τὸ αἷμά μου τῆς καινῆς διαθήκης: isti scribunt, τοῦτο τὸ ποτήριον ἐστὶ καινὴ διαθήκη ἐν τῷ αἵματί μου. Sed videntur saltem discrepare, revera nihil discrepant; sed illa verborum transpositione τὸ ἔργον firmissimè stabiliunt.

LXIX. Nam primùm, poculum quidem nominatur, sed non nudum vasculū, sed

sed τῆς τὸ ποτήριον, hoc poculum, poculum nimirum vino repletum, & in usu suo Sacramentali consideratum: & quidem poculum in sanguine Christi Novum Testamentum dicitur; ita ut per Synecdochen grammaticam continens monstretur, & tamen totum complexum intelligatur. Synecdoche autem grammatica non protinus infert tropum Rhetoricum, nec de literali verborum intellectu quidquam aufert.

LXX. Nam poculum illud in officio suo Sacramentali, (extra quod in negotio Eucharistico nunquam consideratur) dum à Christo exhibetur, & à discipulis bibitur, revera est Novum Testamentum: eò quod respectu nostri Novum Testamentum fit & confirmatur, quando ex poculo illo Sacramentali sanguinem Christi bibimus, sicut ex parte Dei fit & confirmatur, quando in cruce sanguis Christi effunditur.

LXXI. Deinde, verborum transpositio apud Lucam & Paulum confirmat solidè nostrum ἐστὶν. Nam ne Sacramentatiorum significat, aut corpus symbolicum, sanguisq; figuratus locum habeat: ecce, vacant poculum illud Novum Testamentum IN SANGUINE CHRISTI.

Non

Non vocant significationem novi testamenti, aliàs sanguis Christi non differret â sanguine agni Paschalis & sacrificiorum cæterorum, quæ habebant significationem sanguinis Christi.

LXXII. Vocat insuper D. Lucas poculum τὸ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνόμενον: non autem poculum aut vinum poculi, sed sanguis Christi fuit pro nobis effusus, unde colligitur poculum non significare duntaxat sanguinem Christi, sed unâ cum vino revera exhibere: quod adeò verum est, ut Beza in annotationibus aliter refutare non potuerit, quin Spiritus sancti linguam corrigeret, eiq; non citra insignem impietatem manifestum σολοικοφανὲς tribueret, quasi dicere debuisset, τῷ ὑπὲρ ὑμῶν ἐκχυνομένῳ ut ad sanguinem, non ad poculum Sacramentale referatur. Scilicet; aude aliquid brevibus Gyaris & carcere dignum, Si vis esse aliquid.

LXXIII. Nihil autem obstat τῷ ξηλῷ quod Lucas & Paulus Phrasin mutant, vocantes Poculum illud Novum Testamentum In sanguine Christi, cùm Matthæus & Marcus hoc, quod porrigebatur, vocarent sanguinem Christi. Nam Matthæus & Marcus loquuntur idiotismo Græcorum, Lucas & Paulus Hebræorum: Hebraismus enim

enim ille in scripturis veteris Testamenti frequens est, ut Genes. 32. in baculo meo transivi Jordanem, hoc est cum baculo Psal. 65. introito in domum tuam in holocaustis hoc est cum holocaustis. Hujusmodi Hebraismi plures in Paulinis scriptis reperiuntur: Lucam autem suum Evangelium a Paulo habere, veteres testantur. Vide *Tertull. lib 4. contra Marcionem.*

LXXIV. Certum igitur est, verba: Institutionis tropum non admittere: fieri enim non potuisset, quin ab aliquo Evangelistarum illud annotatum fuisset: vel saltem ab ipso Christo, cum in tertio cœlo verba illa ad Paulum repetiit. Hoc enim esset contra Christi consuetudinem, qui, si quid obscurius aut figuratè discipulis suis proposuit, alibi planius exposuit: juxta generalem illam commonefactionem: Non est occultum, quod non manifestabitur, nec absconditum quod non cognoscatur Luc. 8. v. 17.

LXXV. Prætereo alia multa, quæ pro τῶ ῥητῶ Verborum Testamenti in medium possent afferri: ut quod indignè manducantes dicuntur rei fieri non panis aut vini, sed corporis ac sanguinis Christi 1. Cor. 11. quod ex verbis ambiguis, figuratis, & obscuris nullus constitui possit fidei

Chri-

Christianæ articulus: quod verba juxta ῥητὸν accepta unam, eamq; planam & perspicuam gignunt sententiam, διάνοιαι verò Calvinianorum multivariam, ut supra vidimus; quodq; consensus orthodoxæ antiquitatis â nostris stat partibus: quæ rationis nostræ discursum fingendis absurdis ad Christi veritatem & omnipotentiam, verborum perspicuitate, & Apostolicum consensum subinde remittit.

LXXVI. Sed duo habent hoc in loco Adversarii, quæ nostræ sententiæ objiciunt. 1. est quod dicunt, nos â τῷ ῥητῷ recedere, quando affirmamus, Christi corpus sub, in, cum pane adesse & exhiberi. 2. Lutherum in hac sententia non semper fuisse sibi constantem.

De particulis, In, Cum, Sub.

LXXVII. Trivialis utraq; cavillatio est: ad quarum priorem sciendum est: Phrases illas duas, *Hoc est corpus meum*: & *in, sub vel cum pane est corpus Domini*: non esse contrarias, sed unam explicare alteram. Utraq; enim notat arctissimam unionem panis & corporis: & posterior ostendit, mediante pane verè distribui ac una manducatione sumi corpus Domini, absq; ulla inclusione locali corporis in pane: sicut Apostolus Paulus scribit, *Christum* esse *Deum*

Rom. 9.

Rom. 9. v. 5. DEUM esse in CHRISTO. 2. Cor. 5. ubi neq; contrarietas Phrasium est, sed mutua declaratio, neq; inclusio unius naturæ in alteram, sed utriusq; vera & realis unio notatur.

LXXIIX. Cumque sancti patres etiam, qui aliàs ῥητὸν in verbis Cœnæ sedulò urgent, iisdem Phrasibus utantur, (ut quando Augustinus scribit, nos accipere in pane, quod pependit in cruce; nos sub vini specie & sapore sanguinem CHRISTI potare: & Ambrosius, sub utraq; specie totum sumi Christum,) cumque in Augustana Confessione, ejusdem Apologia & Concordia Wittenbergensi, à quibus scriptis sacramentarii quoque alieni esse non videri volunt, reperiantur; Ecclesiis nostris hoc cavillo molesti amplius esse meritò cessare debebant.

LXXIX. Posterius cavillum insignem habet adjunctam calumniam, qua ex Luthero nostro Prothea, aut Polypum quempiam, cuivis saxo adhærentem, quantum in ipsis est, fingere satagunt. Quatuor enim sententias de Cœna Dominica B. Luthero tribuunt, ut apparet inter cætera inprimis ex novitiâ Ubiquitatis censurâ pag. 20.

Sacramentarii ex D. Luthero Vertumnũ faciunt.

LXXX. Primùm ajunt, ipsum à partibus Sacramentariorum stetisse, non præsentiam, sed significationem tantùm corporis absentis in cœna credidisse, idque probare conatur censor ubiquitatis 1. ex tom. 1. German. Jen. fol. 321. serm. de Novo Testamento, ubi Lutherus Sacramentum vocat signum externum, quod tamen res spirituales HABEAT & significet: 2. ex tom. 2. pag. 31. b. serm. de fraternitate, ubi Sacramentum à corpore Christi distinguit. 3. ex homil. super Epistolam Dominicæ septuagesimæ, ubi Sacramenta vocat signa, per quæ detur fides & spiritus. 4. ex tom. 1. Jen. Ger. f. 202. serm. de Sacrament. ubi sacramentum vocat externum quid & visibile. 5. ex ser. super Joh. c. 6. ubi scribit Lutherus, panem super altari tantum esse signum, Christum intus manducari, non autem in os dari. 6. in Serm. super 1. Cor. 10. ubi docet, Christum spiritualiter edi ac bibi, id est, edendo & bibendo externè, intus fidem exerceri internè. 7. ex commentar. cap. 6. Esa. ubi scribit corpus Domini, & panem Domini pro eodem accipi figurâ sermonis. 8. ex tom. 2. lat. Jen. f. 311. ubi scribit, non Sacramentum, sed fidem Sacramen-

cramenti justificare: 9. ex lib. de abrogat. missæ. ut circumcisio fuit signaculum pacti, ita panem esse pignus promissionis.

LXXXI. Ad quæ loca omnia ut aliquid respondeatur, primum in genere notanda est ambiguitas vocabulorum, Sacramenti, signi, signaculi, Figuræ sermonis, spiritualis itidem manducationis: quę vocabula rectè explicata, totum hoc negotium reddent expeditius: & Lutherum à calumnia ista liberabunt: idque fieri tantò majoris operæ pretium est, quia nonnulli ex Pontificiis etiam eodem unguę sese scabunt, & Calvinistas ex Lutherodidicisse scriptitant, Sacramenta nihil aliud esse, quam visibilia signa, quæ ad fidem inserviant & alliciant, nec quidquam prodesse, nisi jam ante panem de cœlo descendentem interius comederis &c.

Vide Tribon. Cassium in pseudo jubil. §. 24. p. 589. seqq.

LXXXII. Igitur *Sacramentum* interdum significat totam actionem sacram., constantem duabus rebus, cœlesti & terrena: & sic Lutherus hanc vocem accipit, quando scribit non Sacramentum, sed fidē justificare: nam Sacramenta non ex opere operato conferunt justificationis gratiam; sed infidelibus cedunt ad judicium.

1. Cor. 11: Interdum alteram duntaxat partem elementarem, non quod ea totam Sacramenti substantiam absolvat, sed respectu rei invisibilis seu cœlestis, cujus signa visibilia sunt externa illa Elementa. Et hoc posteriore usu vocabuli, qui Sanctis Patribus non fuit infrequens, D. Lutherus noster Sacramentum vocat externum quid & visibile; hoc etiam sensu Sacramentum à corpore Christi distinguit, & quidem non ratione Sacramentalis præsentiæ, sed ratione naturæ & essentiæ. Alia enim est natura panis, alia corporis: alia vini, alia sanguinis, quas diversissimas naturas per Transsubstantiationem confundi conqueritur.

LXXXIII. Quando Sacramenta vocat signa externa, non intelligit signa tantùm significantia, sed exhibitiva: ideo *in Ser. de præparatione ad mortem tom. 1. Jen. f. 181.* vocat quasi-visibilia signa divinæ sententiæ: *& in sermone de Sacram. tom. 1. fol. 204. b.* ita scribit: duas illas species (panis & vini) non vacuas instituit, sed veram & naturalem suam carnem in pane, verum & naturalem suum sanguinem in vino dedit, ut omninò integrum Sacramentum atque signum daret: & *in ser. de*

Novo

Novo Testamento signum externum Sacramenti res spirituales non tantùm significare, sed & HABERE scribit. Nihil igitur Lutheri signum commercii habet cum σημασίᾳ Zwingliana.

LXXXIV. *Signaculi* vox ad integram Sacramenti substantiam pertinet, qua obsignatur fructus Sacramenti: atque ita Lutherus rectè sacram Cœnam vocavit pignus promissionis, sicut circumcisio est signaculum pacti: nunquam autem B. Lutherus signaculum vocavit partem duntaxat externam & visibilem, ut Calviniani nugantur.

LXXXV. Per *Figuram Sermonis* intellexit B. Lutherus non Sacramentariorum metonymiam, ut falsò sibi imaginatur Ubiquitatis Censor, sed Synecdochen Scripturæ usitatam, qua totum aliquod nominatur, & pars ejus, præsertim principalis, intelligitur, quemadmodum semetipsum explicat Lutherus in Confess. majore: ubi vocat synecdochen grammaticam, quæ figura dictionis est, ubi neque subjectum, neque prædicatum à sua significatione dimovetur, sicut ibidem exemplis ostendit. Sic igitur pro eodem sumitur corpus & panis, dicente

Luthero, pro eodem nimirum unito Sacramentaliter; & quidem figura sermonis, hoc est, per synecdochen, quia panis porrigitur, & corpus simul unitum, præcipuè intelligitur.

LXXXVI. *Spiritualis manducatio* sumitur interdum pro manducatione mystica & cœlesti, quo pacto corpus Domini quoque vocatur cibus spiritualis, quia alit ad vitam spiritualem. Usitatè autem accipitur pro manducatione fidei. Et hoc pacto verè scribit Lutherus, corpus ac sanguinem edi spiritualiter, hoc est, vel ut cibum mysticum & cœlestem, vel etiam spiritualiter per fidem, si manducatio debet esse salutaris; quæ tamen vel corporis Christi præsentiam vel manducationem oris nequaquam excludit.

LXXXVII. Ex his ergò constat, Lutherum nostrum nihil omninò haberi commercii cum ἀπιστίᾳ Calvinistica, quam tot scriptis ex professo refutavit. Quia verò loca ista Lutheri Censor iste Lampadius ex libro Embdensium de cœna transscripsit: videat Lector speciale responsum ad locos istos ferè singulos in solidâ Refutatione istius libelli, *cap. 6. p. 159 seqq.*

LXXXVIII. Secunda opinio, quam Sacra-

Sacramentarii Luthero tribuunt, est Transsubstantiatio Papistica, quam canonisatam ab ipso fuisse in majore confessione, impudenter scriptitant, eò quod ibi commendat Lutherus Berengarii confessionem, Nicolai Papæ autoritate editam, in qua dicit Berengarius, se dentibus atterere corpus Christi.

LXXXIX. Ubi 1. sciendum est, nos non negare, B. Lutherum primis annis ex infelicitate istius seculi, transsubstantiationi faviſſe, & quidem anno adhuc 19. in serm. de fratern. ubi scribit, sicut panis in verum & naturale corpus Christi; vinum in verum & naturalem Christi sanguinem convertitur, ita & nos in spirituale Christi corpus, id est, in communionem Christi & omnium sanctorum converti: ita, ut mirum sit, quod ex illo sermone audent Sacramentarii Lutherum in suum trahere collegium. *Tom. 1. Jen. fol. 205. a.*

XC. Sed ex commendatione palinodiæ Berengarianæ, licet à Papa imperatæ, nemo Transsubstantiationis crimen ipsi impingere potest. Nam quod Berengarius dicit, se atterere dentibus suis verum corpus CHRISTI, hoc Lutherus non ad ipsum corpus in se, (quasi ex pane corpus

Christi factum sit) sed ratione unionis Sacramentalis, refert. Christi enim corpus atteri dicitur, propter panem sibi Sacramentaliter unitum, sicuti Spiritus Sanctus descendere dicitur, quando columba descendit, cum qua unitus est.

Tom. 3. Jen. germ. fol. 487.

XCI. Ita enim habent verba Lutheri in majore confessione: *Qui hunc panem edit, corpus Christi edit: qui hunc panem dentibus aut lingua atterit, corpus Christi dentibus aut lingua atterit. Et tamen verum semper est, neminem videre corpus Christi, palpare, edere vel dentibus atterere, sicuti alias carnes visibiliter videmus & atterimus: Nam quod pani accidit, recte ad 3. ordine corpori Christi attribuitur, propter Sacramentalem unionem.*

XCII. Et sic patres etiam locuti fuerunt, quos tamen Transsubstantiationem non docuisse constat. *Chrysost. homil. 27. in Epist. 1. ad Corinth. Hoc facitu,* inquit contra ebriosos, *cum ad mensam Domini accumbitis, illa ipsa die, qua dignus habitus es carnem ejus lingua attingere. Et homil. 3. ad Ephes. Quomodo comparebit ante tribunal Christi, qui labris immundis ausit corpus ipsius tangere:* & homil. 80. ad populum Antiochenum scribit: *Linguam cruentari admirabili sanguine Christi.*

93. Ter-

XCIII. Tertiò scribunt, Lutherum deinceps docuisse veram corporis Christi in Cœna præsentiam, quam rejecta Ubiquitate ex solis verbis institutionis petendam esse judicavit. De Ubiquitate enim seu existentia in omni loco disputari non debere; aliam esse rem in hoc negotio. Tandem autem adversariorum instantia coactum ipsum Ubiquitatem etiam, seu corporis Christi omnipræsentiam tanquam tabulam ex naufragio arripuisse.

XCIV. Verùm supra dictum fuit, qua occasione Lutherus ex articulo de omnipræsentia carnis Christi experit probare præsentiam ejusdem in Sacrosancta Cœna, nimirum adversariorum Zwinglianorum incredulitate & impudentia compulsus, quod Censori libenter largimur: non tamen propterea sententiam mutavit, si, cogentibus Adversariis, ex alio promptuario defensionis tela petiit: quarta igitur opinio per calumniam Luthero afficta est.

XCV. Præter has quatuor opiniones, quas nuperrimus Bremensis censor habet, palinodiam quoq; satis impudenter affinxerunt Luthero Heidelbergenses, Embdenses, & alii, quasi paulò antè

obitum sententiam de reali præsentia Corporis Christi in Cœnæ revocarit, in privato colloquio cum Domino Philippo: sed quia ad hanc impudentiam satis solidè & nervosè responsum est in refutatione scripti Embdensis, & in scripto D. Morlini (qui Beatum Lutherum per annos aliquot & novit & audivit) contra triviale & epidemiũ Theologorum mendacium anno 1565. edito quod extat in historia August. Confess. edit. lat. p. 622. seqq. nos jam concludimus, B. Lutherum in ista sua sententia, quam ex verbis institutionis de vera & reali præsentia Christi in cœna hausit, ab anno usq; 22. usq; ad ultimum vitæ halitum constanter perseverasse: quod sanæ doctrinæ depositum sartum rectumq; conservare, & ad posteros pro viribus propagare, Ecclesiæ Christi interest.

De Unione Sacramentali.

XCVI. Cùm ergo certum & indubitatum sit ex his, quæ hactenus dicta fuerunt, non tantùm panem aut vinum, sed & verum & substantiale corpus CHRISTI in Sacramento Cœnæ adesse: quod ne quidem Sacramentarii negare possunt, si integritatem Sacramenti (quod ex duobus constat, re terrena & cœlesti) retinere cupiunt: proximum nunc est, ut inquiramus,

ramus, quomodo panis cum corpore, vinum cum sanguine uniatur, ut unum Sacramentale τοδέτι inde fiat.

XCVII. Hoc caput, (inquit *Zanchius* in dissid. de cœna) potius ab hominibus inventum est, quam propositum in scriptura à Spiritu sancto. Neque enim in Scripturis ulla aperta mentio est de unione Corporis CHRISTI cum Symbolis; vel de præsentia corporis CHRISTI in cœna: Quamobrem potuisset hæc quæstio sine ullo Ecclesiæ detrimento omitti. *Miscellan. pag. 551. a.*

XCIIX. Sed non absq; impietate ista proferuntur. Numquid enim humanum est inventum, quod Paulus scribit, panem Eucharisticũ esse κοινωνίαν corporis Christi? certè ubi κοινωνία est, ibi præsupponitur ἕνωσις: ea enim quæ nullo prorsus modo sunt conjuncta, nullo quoq; prorsus modo communicationem admittunt: Non igitur absque detrimento Ecclesiæ quæstio de unione Sacramentali omitti potest, nisi corpus & sanguinem Domini à Sacrosancta Cœna prorsus excludere, & vacua Symbola, hoc est, pro nucleo putamina in Sacramento relinquere volueris, quod ne quidem Sacramentarii facere videri volunt. *1. Cor. 10.*

XCIX. De unione igitur Symbolorum cum carne & sanguine Christi quæstio necessaria est: ubi sciendum, removendum esse ab hoc negotio omnes unionis modos, quos videmus iis in rebus, quas vel ars vel natura conjunxit. Sacramenta enim neque ab arte humana, neque ab ullis naturæ legibus, sed à sola DEI ordinatione dependent.

C. Omissis itaq; cæteris Unionum modis, quibus duo fiunt unum, vel inclusione, vel personâ, vel numero, vel contactu, vel operatione & efficacia, de quibus nulla hîc est quæstio, sequitur hinc excludere nos: 1. Unionem essentialem, quasi ex pane & corpore, ex vino & sanguine una fiat essentia, unde Pontificiorum nata est Transsubstantiatio: hanc enim constanter rejicimus: 2. unionem, *Vide Ursin. Isagoge ad controv. Euchar. propos. 2.* κρετικὴν seu relativam, quam fingunt Sacramentarii, in qua nulla fit realis copulatio symbolorum cum re cœlesti, sed nuda relatio, hoc est, mystica corporis & sanguinis CHRISTI per panem & vinum significatio, & repræsentatio: ubi nomen duntaxat signati tribuatur signo, absq; ulla rei conjunctione.

CI. Hæc omnia hîc excluduntur meritò

ritò 1. Quia vel ex arte hominum, vel ex legibus naturæ dependent: quæ ex hoc mysterio exulare diximus: 2. quia integritatem Sacramenti tollunt; auferendo ex Sacramento vel partem terrenam, ut fit in Unione Essentiali Papistica, ubi panis in corpus, vinum in sanguinem, (ut cum barbaris illis loquamur) transsubstantiatur; vel partem cœlestem, ut fit in unione χερικῇ seu relativa Sacramentariorum, ubi corpus à pane, sanguis à vino tanto intervallo sequestratur, quanto distat supremum cœlum ab infimâ terrâ.

CII. Proinde statuimus, credimus & confitemur, Unionem panis & corporis, vini & sanguinis esse, *mysticam & Sacramentalem*, quæ facit, ut res terrena cum cœlesti revera unum fiat in mysterio, ita ut pani realiter adsit corpus CHRISTI, vino realiter adsit sanguis CHRISTI, unumque cum altero, cum Symbolo pars cœlestis verè & realiter exhibeatur ac percipiatur.

CIII. Jam verò qualis est Unio, talis est & prædicatio, nimirum prædicatio non propria συμφυσικῶς, quia res Sacramentales non uniuntur Physicè: non figu- *De prædicatione Sacramentali.*

figurata, quia non uniuntur relativè: sed Sacramentalis atque mystica, quæ ad genus prædicationum inusitatarum refertur, quia res diversissimæ, modo ineffabili & planè mystico uniuntur, cujus unionis, extra Sacramenta, non est simile exemplum in naturâ.

CIV. Formulæ tamen loquendi occurrunt passim in Scriptura & communi usu, ubi duæ res in unum coëuntes complexum, non singulæ seorsim, sed ambæ junctim una dictione notantur, ut cum Johannes vidit Spiritum sanctum in specie columbæ descendentem, rectè dicebatur: hoc quod vides, est Spiritus S. cum sacerdos, ostenso vase fictili, diceret, hæ sunt aquæ amarissimæ: cum ministri ostensis hydriis dicerent, hoc est vinum: cum Elisæus diceret de flammeis equitibus; hi sunt angeli Dei. Sic mater monstratis cunis dicit, hoc est infans, & tabellarius ostenso marsupio, ait, hoc est pecunia centum florenorum: in quibus formulis loquendi res principalis & ab externis sensibus remota exprimitur, & minus principalior, tanquam medium & organon exhibitionis, connotatur: quam prædicandi rationem Lutherus Synecdochicam

In Confess. majore pag. 222.

chicam vocavit, ut paulò antè notavimus.

CV. Non autem existimandum est, prædicationem inusitatam atque Sacramentalem tollere τὸ ῥητὸν verborum Testamenti. Nam τὸ ῥητὸν respicit singula vocabula seorsim considerata: prædicatio verò integram propositionem, in quâ duo disparata admirando mysterio conjunguntur. Quinimò hæc prædicandi ratio τὸ ῥητὸν stabilit & confirmat: quia inusitata prædicatio tum demum locum habet, quando singuli in propositione termini propriè & absq; ullo tropo accipiuntur: quamprimum tropum admiseris, inusitata prædicatio expirat, & in figuratâ transit.

CVI. Ut igitur de prædicationibus Sacramentalibus judicium nostrum rectè informetur: duæ regulæ diligenter sunt observandæ: *1. In propositione Sacramentali omnes voces proprium suum simplicemque sensum retinent. 2. Omnes figuratæ locutiones reduci possunt ad regulares.* Ex quibus regulis sequitur, figuratum & Sacramentale se invicem excludere: ac proinde somnium esse Calvinisticum, quando propositiones Eucharisticas figuratas vocant Sacramentales. *Regulæ de prædicationibus Sacramentalibus.*

107. Ex

De manducatione Sacramentali.

CVII. Ex his quæ de Unione & prædicatione Sacramentali dicta sunt, dependet etiam *modus manducationis*. Nam, ut illa ἀῤῥητος & inexplicabilis, ita & hic verbis exponi non potest, sed usitatè mysticus & Sacramentalis appellatur, quia nuspiam, nisi in hoc Sacramento locum obtinet.

CIIX. Si autem de Organo perceptionis quæstio est, Oralis manducatio dicitur, quia ore corporis integrum Sacramentum percipitur, ita ut manducato pane, verum & essentiale Christi corpus edatur; & hausto vino, verus & essentialis Christi sanguis hauriatur; hoc tamen observato diversitatis respectu, quod panis & vinum primò & immediatè manducantur & hauriuntur: Corpus verò & sanguis mediatè & consequenter, quia mediante pane & vino exhibentur & percipiuntur.

CIX. Hoc pacto etiam in vocabulis Edendi & Bibendi τὸ ῥητὸν observatur: Manent enim in propria sua significatione, licèt dicatur, respectu corporis & sanguinis Christi, illud imperserutabiliter & ineffabiliter fieri: aliud enim est res propriè sumpta, aliud modus rei: ut cum dico,

dico, Maria portavit Filium Dei in utero suo, ibi vocabulum portandi propriam suam significationem retinet, & tamen respectu Filii Dei fit illud imperscrutabiliter & præter rerum seriem.

CX. Hinc sunt præclara illa verba Leonis *ser. 6.* de jejun. *Sic sacræ mensæ communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis & sanguinis Domini ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod corde creditur: & August.* Epist. 118. *placuit Spiritui Sancto, ut in honorem tanti Sacramenti in os Christiani prius Dominicum corpus intret, quam cæteri cibi.* Et Tertull. de resurrect. carnis: *Caro corpore & sanguine Christi vescitur, ut & anima à DEO saginetur.*

CXI. Neminem autem hîc offendat absurdum rationis humanæ judicium de hoc mysterio, quæ ex orali manducatione corporis Christi non nisi Capernaiticam lanienam facere potest, quæ in dilaceratione & deglutitione corporis Christi consistit, quam nos ex animo detestari protestamur: cogitemus potius, quid institutio Christi, quid unio Sacramentalis duarum essentialium partium in hoc Sacramento, quid denique finis & intentio hujus institutionis requirat.

CXII. Christus sanè in Verbis Testamenti Edere nos jubet panem & corpus suum, non ore panem, fide corpus, sed uno eodemq; organo utrumque. Unio Sacramentalis utrumq; præsentissimè conjungit, ita ut absq; divulsione unionis diversa organa perceptionis excogitari non possint. Intentio Christi instituentis hæc erat, ut hoc Sacramentali alimento pasceretur non solùm anima, sed & corpus, hoc est, totus Christianus, quam ob causam Irenæus corporibus nostris ex perceptione cœnæ Dominicæ spem facit resurrectionis ad vitam *lib. 4. cap. 34.* non itaq; ὄργανον corporale in hoc Sacramento excludi potest.

CXIII. Prætereo multa, quæ peculiarem tractationem requirunt: hæc pauca piis mentibus sufficiunt, ad elidenda absurda rationis & captivandam rationem sub obsequium fidei, Non enim esset mysterium, si rationi abblandiretur: nec satis dignè Sacramentum hoc expendit, qui posthabito verbo & mandato Domini speculationibus suis indulget.

CXIV. Semper autem cogitemus, quando de Sacramentali manducatione loquimur, de substantia Sacramenti adhuc

huc quæstionem esse, non de fructu, de οὐσίᾳ corporis Christi, non de ἐνεργείᾳ, ἐνέργειᾳ enim non ore, sed fide, non ab omnibus, sed à fidelibus, non tantum in Sacramento, sed & extra Sacramentum, non Sacramentaliter, sed spiritualiter, percipitur: quo sensu vulgatum illud Augustini accipiendum est: *Quid paras dentes? Crede & manducasti*, de manducatione nimirum spirituali seu fidei.

CXV. Sed de istis quæstionibus obiter: quarum sufficiens explicatio passim ubique reperitur. Nos hactenus quantum DEUS dedit pro verbis Testamenti Christi diximus: quæ qui obscuritatis arguet aut improprietatis, verendum est, ne læsæ majestatis divinæ reus agatur: qui verò simplici fide ea retinuerit, veritati feret patrocinium: In quâ veritate, serva nos, Domine Jesu: Sermo tuus est veritas.

DISPUTATIO XI.

DE BAPTISMO.

Præside WOLFGANGO FRANZIO D.
Respondit M. HENRICUS-JULIUS STRUBIUS *Wolferbytanus.*

15. Decemb. 1609.

I.

Definitio baptismi in Nos. Test.

BAptismum in Ecclesia CHRISTI vocamus illud Sacramentum, seu illam actionem divinitus institutam, in qua Aquæ organo interveniente seu adhibito, hominem peccatorem in nomine Patris, Filii & Spiritus S. juxta ordinationem Christi, tinctum vel lotum ipse Spiritus sanctus sanguine Christi ad remissionem peccatorum lavat, corpori Christi inserit, & ad vitam æternam regenerat; sicque homo in fœdus DEI recipitur, *Matth. 21, 25. & 28, 18. Joh. 3, 5. Actor. 2, 41. 1. Petr. 3, 21. Apoc. 1, 5.*

II. Id quod *B. Lutherus* breviore compendio proponit, quum ait, quòd *Baptismus non sit simpliciter aqua; sed quæ sit divino mandato inclusa & verbo DEI comprehensa* Matth. 28, 19. & Marc. 16, 15.

I. De

I. De origine Baptismi in N. Test.

III. *Fundamentum* institutionis divinæ Baptismi continetur *Lucæ 1, 2, 3.* ubi commemoratur, quòd *factum fuerit verbum Domini ad Johannem*, Zachariæ filium, & quòd (statim scilicet post illud dictum verbum) *venerit is in omnem regionem Jordanis*, prædicans Baptismum Pœnitentiæ in remissionem peccatorum.

Johannes Baptista incipit baptizare ex jussu divino ante baptismum Christi, & ante initium ministerii Christi.

IV. Hoc ipsum clariùs & breviùs recensetur *Joh. 1, 33.* à Johanne Baptista ad turbam, his verbis: *Qui misit me baptizare* (ut baptizarem) *in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem, & manentem super eum, hic est, qui baptizat in Spiritu sancto.*

V. Hinc Baptismus aquæ *Matth. 21, 25. & Marci 11, 30.* è cœlo; hinc *Luc. 7, 30. Consilium Dei* indigitatur.

VI. Primus igitur Johannes Baptista singulari divino mandato excitatus & jussus, prædicavit Baptismum aquæ, in remissionem peccatorum, & baptizavit. *Matth. 3, 1. & seqq. Marci 1, 1. & seqq. Luc. 1. v. 1. & seqq. Joh. 1, 33. & 3, 23.*

VII. Non longè post Joh. Baptistam ipse *Christus*, non tanquam vulgatus aliquis legatus & famulus Patris cœlestis, qualis

Christus baptizatus etiam incipit ordinare

Baptismum ex SS. Trinitatis jussu, statim in initio sui ministerii.

qualis erat Moses & Johannes Baptista; sed *tanquam filius* in domo sua *Hebr. 3, 5, 6.* & ipse quoque inter alias officii sibi à Patre demandati partes hanc baptizandi operam ordinavit.

IIX. Christum autem itidem Patris sui cœlestis auctoritate & jussu Baptismū ordinasse, luculenter nobis testatum præbet Johannes Baptista *Johan. 3, 24. & seqq.* Ibi enim Judæi quærebant ex discipulis Johannis, quidnam sibi hoc velit: cùm *Johannes Baptista* nuper cœpisset baptisare ad abluenda peccata, quod nunc etiam *Jesus Nazarenus*, qui tamen non erat ex censu & ex numero discipulorum Johannis, illud ipsum cum aliis discipulis alibi faciendum ordinaret. Metuebant nimirum, ne plures novæ religiones, & plures sectæ, seu plura Sacramenta, adeoq; plures & varii Baptismi exorirentur.

IX. Hanc quæstionem de Baptismo per Christum ordinato è vestigio solvit & explicat ipsis Johannes Baptista, in hunc modum, quòd docet Christi Baptismum etiam esse de cœlo. *Non potest* (inquit) *homo accipere quicquam, nisi fuerit ei datum è cœlo.*

X. Ideò autem hæc responsio ad Baptismum

ptismum à CHRISTO ordinatum etiam specialiter est accommodanda, quia de illo Baptismo Christi specialiter in proximè antecedentibus fuerat quæsitum.

XI. Etsi verò uterq; Baptismus fuit è cœlo, *Baptismus Johannis* Matth. 21. v. 25. Marc. 11. 3. & *Baptismus Christi* Johan. 3. 27; tamen ut omnibus erroribus, qui inter Judæos de Johannis & Christi Baptismo forsan exoriri possent, omnis omninò ansa præcideretur, pergit ibidem Johannes Baptista, adeoque splendidissima oratione personam suam à personâ Christi discriminat. *Discrimen inter baptismum Johannis & Christi, sumtum à personis.*

XII. Nimirum ostendit, hunc Jesum Nazarenum esse verè promissum illum Messiam seu Christum, sponsum Ecclesiæ, desursum venisse, de cœlo venisse, sua omnia, quæ habet, accepisse data de cœlo, testari hoc quod vidit & audivit in cœlis, accepisse Spiritum non ad mensuram, omnia habere in manibus suis, se v. & aliũ quemvis *ministrum* nõ esse, nisi amicum Sponsi, scilicet, qui tanquã paranymphi, adducunt sponsam ratione officii, per dispensationẽ verbi & Sacramentorũ: &, ut alibi sese explicat, se (& ita aliũ quemvis ministrũ) baptizare aqua, *Christum* autem

baptizare Spiritu sancto, utpote fortiorem sese, & alio quovis, cui ipse & alius quivis viam præparet *Matth. 3, 11. Johan. 1, 33.*

Christus ipse non baptizabit, nisi per ministerium discipulorum suorum.

XIII. Accepit igitur Jesus etiam mandatum à Patre de ordinando Baptismo, aquæ *Joh. 3, 27.* & postquam (nimirum ex Johanne, tanquam teste, hanc ad rem divinitus deputato) jam omnibus satis constabat, quòd ipse esset Messias seu Christus, tunc quoque magna auctoritate Baptismum illum ordinavit, h. e. perficiendum discipulis suis commendavit, ut habetur expresè *Joh. 3, 22: Venit JESUS & discipuli ejus in Judæam terram, & illic demorabatur cum ejus & baptizabat.*

XIV. *Quanquam JESUS ipse non baptizaret, sed discipuli ejus, Johan. 4, 1;* tamen ipse baptizare dicitur, *Johan. 3, 22.* quia jam ad interitum vergente ministerio Johannis, & fermè absoluto testimonio ejusdem de Christo, Christus ipse suum ministerium urget, & in ministerii sui initio Baptismum ordinat, & discipulis commendat & mandat.

XV. Illud à CHRISTO statim sub auspicia prima ministerii sui fieri cepisse, cuivis manifestum evadere potest, ex serie histo-

historiarum apud Johannem Evangelistam, siquidem *capite 3.* describitur ista Christi ordinatio, de Baptismo aquæ perficiendo, & tum temporis nondum missus fuerat Johannes in carcerem, quæ circumstantia non frustra exprimitur *Johan. 3, 24.* Paulò autem pòst, Johannem in carcerem fuisse conjectum ex *Lucæ 3. vers. 19.* patet.

Christus post resurrectionem de novo ordinat, seu firmat baptismum.

XVI. Post resurrectionem suam ex mortuis ablegaturus Christus discipulos εἰς τὸν κόσμον ἅπαντα, *in mundum universum*, solenniter repetit ordinationem Baptismi Aquæ, & quanquam antea nullos à Baptismo suo excluſos voluit, sive ex semine Abrahæ, sive aliunde descendissent illi, ita tunc baptizare jubet πάντα τὰ ἔθνη *omnes gentes* Matth. 28. Marc. 16. apertis, plenis & omnibus portis cœli per hoc quoq; Sacramentum.

Baptismus Johannis & Christi in quibus conveniant.

XVII. Quemadmodum verò Johannes Baptista, præcursor Christi, mandato divino, ita discipuli mandatis Christi sedulò paruerunt, & baptizarunt, & quidem æquali effectu, Johannes Baptismo *pœnitentiæ*, dicens, ut in eum, qui venturus esset post ipsum, crederent, hoc est, in Jesum, ut clarissimè scribitur *Act. 19, 4.* in *remissionem peccatorum*, ut expressè ad-

dunt *Marcus cap. 1. v. 4. Lucas c. 3. v. 3.*: hoc est, ut *Matth. cap. 3.* explicat, ut effugerent venturam iram Dei: *Apostoli* Christi itidem baptizabant *resipiscentes* in nomine JESU CHRISTI, in *remissionem peccatorum* Act. 2, 38.

Aliud discrimen inter Baptismum Johannis & Christi.

XIIX. Licèt autem Johannes Baptista *in venturum*; Philippus Apostolus *Act. 8, 35.* in *evangelizatum seu exhibitum*, ut & Petrus in *crucifixum & excitatum Actor. 10. v. 47.* tamen, ut ex hactenus narratis patuit, omnes in unum Christum direxerunt Baptismum, unde *Actor. 1, 22.* Christus dicitur incepisse munus suum, à Baptismate Johannis, quô etiam haud obscurè alludit textus alius *Actor. 10, 37.* item *Actor. 13. v. 24.*

Quando ceperit novum Testamentum, sic dictum vulgò?

XIX. Unde etiam tandem Apostolus Paulus *Ephes. 4.* validè concludit, quòd sicut unum est corpus; & unus Spiritus, unus Dominus, & una fides; ita unusquoque sit Baptismus, nimirum in tota Ecclesia, sive ante, sive post Christum baptizatum, item sive ante, sive post ascensionem Christi.

XX. Utique enim ante & post illos terminos Ecclesia fuit unum corpus, habet unum Spiritum, habet unum Dominum,

minum, habet unam fidem, ergò necessariò etiam unum Baptisma, unum scilicet inter alia in effectu.

Cur Baptismus Johannis & Christi in effectu conveniat.

XXI. Si Johannes Baptista prædicavit Baptismum pœnitentiæ, & baptizavit in eum, qui venturus erat, crederent, & baptizavit in remissionem peccatorum, an Baptismum istum omni Spiritu Sancto vacuũ fuisse perhibebis? Minimè.

XXII. Quod autem Johannes Baptista docet, se *aqua* Baptizare; Christum verò baptizaturum *Spiritu & igne*, Matth. 3, 11. Marc. 1, 8. Joh. 1, 33. illud primò de extraordinariis visibilibus donis & miraculis super Apostolos collatis in specie ignis *Act. 2, 3.* ipso die Pentecostes intelligendum esse, idem Baptista testatur, quia apud Matthæum expressè addit, *Christum baptizaturum Spiritu & igne.*

XXIII. Huc pertinet simile Joh. 7, 38, 39: *Qui credit in me, sicut dicit Scriptura, flumina de ventre ejus fluent, aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum. Nondum enim erat Spiritus S. quia JESUS nondum fuerat glorificatus.*

XXIV. Et cùm plenissimè declaratus sit Filius Dei in virtute secundum Spiritum San-

Sanctificationis tandem ex resurrectione sua *Rom. 1, 4.* utique post illam declarationem effudit visibiliter Spiritum S. & hoc pacto propriè & planè κατ' ἐξοχὴν. Apostolos & alios *baptizavit Spiritu sancto & igne*, & tunc aquæ vitæ flumina ex Apostolis & aliis super Ecclesiam effluxerunt.

XXV. Confirmat illud & Petrus *Act. 11.* Dum enim commemorat, quomodo in Cornelium, talia miraculosa dona descenderint (quæ extant *Act. 10, 44, 45, 46.* nimirum notitia peregrinarum linguarum) priusquam aquâ baptizaretur, ibi addit vers. 16. *Recordatus autem sum verbi Domini, sicut dicebat; Johannes quidem baptizavit aqua, vos autem baptizabimini Spiritu sancto.*

XXVI. Deinde ex loco illo Matthæi, *Christus baptizat Spiritu*, hoc apertè quoque colligitur, Christum per Spiritum Sanctum regenerare baptizatos.

XXVII. Cui consentit, quod *Johannis 3.* dicitur: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest introire in regnum Dei.*

XXIIX. Hîc enim *Spiritum* de donis externis intelligi non posse, ex illo patet, siquidem multi baptizati, multi inprimis mira-

miraculorum dono clari; tamen in æternum interierunt, *Matth. 7. vers. 22.* qui scilicet in extremo die exclamabunt, *Nonne in nomine tuo prophetavimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus.*

Usus testimoniorum divinorum, quæ hucusque allata sunt, de origine Baptismi adversus hæreticos.

XXIX. Atque hæc de Baptismi institutione & confirmatione in medium copiosius prolata, iccircò accuratè nosse proderit simpliciores, ne ab hodiernis *Anabaptistis*, & horum sociis hodiernis *Antitrinitariis* plerisq; in eam sese opinionem deferri patiantur, quasi ea, quæ de Baptismo in nostris Ecclesiis traduntur, nitantur humanis traditionibus, & sint inventa Papistica.

XXX. Idq; ut profundiùs imperitioribus inculcare queant illi, audacter quosdam, verbi caussa *Franciscum Davidis*, & *Georgium Blandratam* in refutatione scripti Georgii Majoris fol. N. 4. fingere animadvertimus, *verba Matthæi illa, Baptizantes eos in nomine Patris, Filii, & Spiritus sancti, ideo esse supposititi-* *Objectio 1.*

posititia, & ex margine in contextum per Trinitarios, seu Athanasianos perveniſſe, quod nullibi uſi fuerint in Apoſtoli in baptizationibus.

XXXI. Quod tamen commentum adeò impudens & atrox viſum fuit reliquis Antitrinitariis ipſis, ut penitùs ei nunciũ remiſerint omnes hodierni, & potiùs de nova ejuſdem interpretatione cogitare cœperint, ſicut paſſim in libris eorum cernere licet. Et annon enim hoc pacto ſuſpecta reddi poſſent quævis alia oracula divina, quæ quibusvis hæreticis obſtare viderentur: idq; non eſſet, Solem; ſed ipſum Deum ex mundo tollere.

Objectio 2.

XXXII. Objicitur nobis etiam *Johannes Reuchlinus*, qui *lib. 3. cap. 16. de verbo mirifico* ex Hieronymo ad Hedibiam Gallicam, demonſtrare nititur, totum locum *ultimi capitis in Evangeliſta Marco à verſ. 8. uſq; ad finem*, & ita quoque cumprimis illa verba: *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit; Qui verò non crediderit, condemnabitur*, in Græcis codicibus non haberi.

XXXIII Sed & Baptiſmus ſatis in aliis locis eſt fundatus, & ipſe Hieronymus non auſus fuit referre, quòd in nullis, ſed tantùm, quòd in raris feratur Evangeliis. Sed quæ eſſet urgens cauſa dubitandi

tandi, cùm nihil diversum contineat Epilogus ille, à reliqua Scriptura Novi Testamenti, cumque aliis in codicibus Græcis eundem perpetuò deprehenderint & illi ipsi & alii patres. Unde hac in parte auctoritas Hieronymi nihil contra nos facit. Quid? quod quæri posset, num non supposititia sint hæc ipsa Hieronymi verba?

XXXIV. Deinde hæc de Baptismi ordinatione & confirmatione in medium allata solidè convellunt istas propositiones *Bellarmini*, quæ extant & defenduntur ab ipso *lib. 1. cap. 5. De Sacramento Baptismi.* *Objectio 3.*

XXXV. Propositionum Bellarmini *Prima* est hæc: *Baptismus ante passionem Domini institutus est* (scilicet, ut in explicatione ipse subjungit) *de quo dubium esse potest, an ille Baptismus fuerit Sacramentum illud, quod nunc habemus, & de quo fit mentio Matthæi ult. an verò fuerit præparatio quædam ad Baptismi Sacramentum posteà instituendum.*

Secunda Propositio est hæc: *Baptismus Christi institutus est, quando Dominus ipse in Jordane à Johanne baptizatus est.*

Tertia Propositio: *Baptismus Christi non fuit necessarius, necessitate medii aut præcepti ante Christi mortem.*

Quæ-

Quarta Baptismus Christi cœpit esse necessarius necessitate medii & præcepti à die Pentecostes.

XXXVI. Omnium harum erranearum Propositionum & assertionum falsarum unica causa est, quòd decernit Bellarminus præteritis vel dissimulatis, aut non satis expensis iis, 1. quæ de Baptismo Christi & discipulorum ante mortem Christi dicuntur, quòd à Deo fuerit immediatè mandatus, quasi verò non æqualiter profuerit animæ, quòd etiam ipse Christus ex decreto totius Trinitatis inchoavit Baptisma ante mortem suam per Apostolos.

Objectio 4. XXXVII. Denique hæc ipsa de Baptismi ordinatione & confirmatione in medium prolata solidè itidem destruunt alias propositiones *Bellarmini*, quæ ab ipso defenduntur in eodem *libro cap. 19. & 20. & 21. & 23.*

XXXIIX. Propositio I. est: *Baptismus Johannis non fuit Sacramentum idem cum Baptismo Christi. II. Baptismus Johannis non habuit eandem vim & efficaciam, quam habet Baptismus Christi. III. Post Baptismum Johannis necessariò percipiendus erat Baptismus Christi.*

XXXIX. Has propositiones audaciùs propu-

propugnare conatus fuit, etiam propter *primum Canonem Concilii Tridentini sessione 7. de Baptismo* hunc: *Si quis dixerit, Baptismum Johannis habuisse eandem vim cum Baptismo Christi, anathema sit.*

XL. At ex allatis sanè constat, idem fuisse ministerium Johannis & Apostolorum, nisi quòd in circumstantiis passuri & passi Christi variatur: & quòd utriq; fuerunt ministri aquæ, Christus apud utrosque fuit dator S. sancti.

XLI. Valdè igitur absonum est, & à pueris refelli potest illud quoque, quòd Bellarminus contendit, *Baptismum Johannis in genere quidem fuisse inspiratum Johanni; sed ritum in particulari* (in aqua) *in quo baptizandum esset, auctorem habuisse non Deum, sed Johannem*: & *Johannem nec in nomine Christi, nec in nomine SS Trinitatis baptizâsse.*

XLII. Johannis Baptistæ vitam historicam si quis pensiculatiùs contemplatus fuerit, deprehendet 1. eum divinitùs fuisse missum, ad prædicandum & baptizandum simul. 2. eum simul & prædicâsse & baptizâsse. 3. eum prædicâsse de Trinitate, de Christo, de passione Christi, de remissione peccatorum, de pœnitentiâ, de fide, de præmiis & pœnis æternis.

XLIII. De *primo* testantur illa: *Joh. 1. Hic venit ut testimonium perhiberet de lumine.* Item ibidem: *Qui misit me baptizare.* Luc. 1. *ad dandam scientiam salutis plebi ejus.*

De *secundo* testantur illa *Matth. 3*: *Venit Johannes prædicans.*

De *tertio* patet ex prolixa ejus concione descripta *Joh. 3.*

LXIV. Nequaquam igitur dubitabimus, Johannem in nomine SS. Trinitatis baptizasse ipsum quoque, cùm in concionibus suis ad populum SS. Trinitatis mentionem injiciat, *Johan. 3. 34. 35. Deus* (Pater) *non dedit Filio Spiritum ad mensuram.* Cujus etiam in Christi Baptismo *revelationem* habuit ad ripam Jordanis *Matth. 3.* ad quem Jordanem hoc in negocio ita remittimus Bellarminum, sicut ad eundem Arianos suos olim ablegâsse solitum fuisse ex historiis accepimus Athanasium.

De XII. viris Act. 19. XLV. Quod attinet ad *duodecim viros* in Actis Apostolorum *c. 19.* quos Bellarminus duplici Baptismate, aquæ baptizatos fuisse scribit, uno Johannis; altero Christi: illud ex serie contextûs & ex scopo totius loci evidentissimè refutatur.

XLVI. Baptizari enim necesse fuit illos viros illo Baptismo, quem nondum scivo-

sciverant. Sciverant autem, jam antea Spiritum sanctum, quatenus est persona, revelata Johanni in Jordane visibili quadam formâ, quæ revelatio tunc omnibus innotuerat ubique locorum, & quatenus operatur in mentibus piorum sanctos motus sub veteri Testamento fuit notissima. Nondum sciverant Spiritum S. illum, hoc est, dona miraculosa in bonos & malos promiscuè plurimos, & cumulatissimè, secundum Propheriam Joëlis κατὰ τὸ ῥητὸν intellectam, effundi cæpisse statim à die Pentecostes.

XLVII. Baptizati igitur in nomine Domini Jesu Christi, ET (*id est*) quum imposuisset manus Apostolus illis, venit Spiritus sanctus super eos, ET (*id est*) loquebantur linguis & prophetabant.

XLIIX. Plus millies autem usitatum est Scripturæ, per sequentia lumen addere præcedentibus. *Coloss. 2. Videte ne quis vos decipiat per Philosophiam*, ET (id est) *inanem traditionem hominum, secundùm elementa mundi*, ET (id est) *non secundùm Christum.*

II. *De Baptismi in N. T. re terrenâ & cœlesti.*

Aqua in Baptismo res terrena, in Scripturis specialiter expressa.

XLIX. Res substantiales Baptismi sunt duæ, altera terrestris, altera cœlestis.

L. Et *Terrestris* est *Aqua*, sicut Johannes Baptista dicit, se missum (scilicet à Deo) *ut baptizaret aqua* Johan. 1, 6, 33. unde à Johanne Baptista baptizabantur *in flumine Jordane*, qui exibant ad eum ex Hierosolymâ, & ex omni Judæâ, & ex circumjacente Jordani regione, *Matth.* 3, 5, 6. & quidem propè Bethabaram, *Johan.* 1, 28. item in Ænon propè Salim. *Johan.* 3, 23. de quo loco Ænon addit Scriptura in hoc ipso capite, *Quia aquæ multæ erant illic*, & veniebant, & baptizabantur.

LI. Venit quoque Jesus à Galilæa ad *Jordanem*, ut baptizaretur ab eo, & baptizatus confestim *ascendit de aquâ* Matth. 3, 16. Marc. 1, 10.

LII. Et in Actis Apostolicis, quando Eunuchus Reginæ Candaces, & Philippus veniunt ad quandam *aquam*, descenderunt uterque in *aquam*, ut baptizaretur Philippus, tandemq; rursus *ascendunt de aquâ* Act. 8, 36. & seqq.

LIII. Petrus quoque post concionem coram Cornelio & tota ejusdem familiâ habitam, exclamat: *Nunquid aquam quis prohibere potest, ut non baptizentur hi, qui Spiritum S. acceperunt, sicut & nos?* Act. 10, 47.

54. Post-

LIV. Postquam autem Scriptura initiò satis clarè indicavit, Baptismum peragendum esse in aquâ, iccirco brevitatis studio pro more suo postea *aquæ* mentionem omittit, & cupit subintelligi sub Baptismi & baptizandi nomenclationibus, verbi causa, quum refert, Petrum post suam concionem, die Pentecostes habitam, exclamâsse: Pœnitentiam agite, & *baptizetur* unusquisque vestrûm in nomine Jesu Christi, in remissionem peccatorum vestrorum, & addit, quòd ii, qui sermonem ejus receperunt, *baptizati sint*, & appositæ in die illo animæ (vel capita) circiter tria millia, Act. 2, 38, 41. hîc utiq; per *aquam* peractum fuisse baptismum, erit concedendum.

Aquares terrena in Baptismo in multis scripturæ dictis necessario subintelligenda.

LV. Idem *aquæ* vocabulum *subintelligendum* veniet necessariò, in scripturis, ut quòd de Samaritanis narrat, quum Philippo Evangelizanti de regno Dei & nomine Jesu Christi credidissent, quòd *baptizati* fuerint viri & mulieres. Act. 8, 12. & quòd Simon ipse magus *baptizatus* fuerit. Act. 8, 13. & quòd Saulus, quum visum recepit, surgens *baptizatus* fuerit. Act. 9, 18. & quòd Lydia purpuraria civitatis Thyatirenorum fuerit *baptizata* & tota domus

ejus. Actor. 16, 15. quòd custos carceris fuerit *baptizatus* & omnis domus ejus continuò, ibid. 33. & quòd multi Corinthiorum audientes crediderint & *baptizati* fuerint. Act. 18, 8.

LVI. Et de Paulo ipso, repetente suam conversionem, quòd his verbis ab Anania fuerit compellatus: Quid moraris? exsurge & *baptizare*, & ablue peccata tua, invocato nomine Domini: & de Corinthiis, non nisi paucis à Paulo *baptizatis*, cùm Christus miserit Paulum, non ad baptizandum; sed ad Evangelizandum *1. Cor. 1, 13. & seqq.*

LVII. Eadem vox *Aqua*, utique ex omni necessitate debet subintelligi in his quoque locis sacræ Scripturæ, exempli causa; in his sequentibus: Multi Pharisæorum & Sadducæorum veniunt ad *Baptismum* Matth. 3. vers. 7. *Baptizantes* eos in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti Matth. 28. &, Qui crediderit, & *baptizatus* fuerit, salvus erit, Marc. 16. &: Quicunque *baptizati* sumus in Christo Jesu, in mortem ipsius *baptizati* sumus Colos. 2, 12. Consepulti igitur sumus cum Christo per *Baptismum*. Rom. 6, 3, 4. Quicunque in Christo *baptizati* estis, Christum induistis,

ipsis, Gal. 3, 27. & quum dicitur: Unus Dominus, una fides, unus *Baptismus*, unus Deus & Pater omnium. Ephes. 4, 5. Item: Salvos nos facit *Baptisma* per resurrectionem Jesu Christi 1. Pet. 3, 21.

LIX. Quando verò Scriptura *Tropicum Baptismum* nobis proponit, ibi etiam circumstantias addit, ex quibus tropum singuli Christiani primo contuitu possunt animadvertere, exempli causa, de Christo distributuro dona miraculosa in die Pentecostes, ait: *Ipse vos baptizabit in Spiritu sancto & igne.* Matth. 3, 11. Luc. 3, 16. Ex quo tamen loco apparet, similiter intelligenda esse tropicè verba illa, in quibus omittitur vox ignis: *Baptizabit vos Spiritu sancto*, quæ extant apud Marc. 1, 8. & Joh. 1, 16. *Quando sub nomenclatione Baptismi non sit subintelligenda Aqua.*

LIX. Etsi enim hîc *ignis* vox omittitur, tamen quia de eadem ratione & historia omnes quatuor Evangelistæ agunt, nisi quòd duo contractiùs eloquuntur, quod reliqui duo fusiùs proposuerunt, pro more Scripturis usitatissimo & perpetuo, utiq; subintelligi debet *ignis*.

LX. Eadem vox & vis *ignis* subintelligenda est in Actis cap. 1. v. 5: Johannes baptizavit aqua; vos autem bapti-

zabimini *Spiritu sancto*, non post multos dies: item alter Actor. 11, 16: Recordatus sum verbi Domini, sicut dicebat, Johannes quidem baptizavit aqua, vos autem *baptizabimini Spiritu sancto*, & Actor. 19, 4, 5, 6: Johannes baptizavit Baptismo pœnitentiæ populum, dicens, in eum, qui venturus esset post ipsum ut crederent, hoc est, in JESUM. His verò additis, *baptizati sunt* in nomine Domini Jesu, & quum imposuisset Paulus manus, *venit Spiritus sanctus*, & loquebantur linguis, & prophetabant. Omnia enim hæc loca agunt de donis miraculosis.

LXI. Ac, quod ad hunc postremum textum spectat, siquidem verba ostendunt ad oculum, quòd desumtus sit ex formula illa: *Johannes vos baptizavit aquâ, ille verò, qui venturus est, baptizabit vos Spiritu sancto*: Deinde cùm conclusio expressè habeat illud, quòd Spiritum S. susceperint, id est, prophetârint duodecim viri, absq; omni dubio tropicè intelligi necesse est *vers. 5.* intermedium: *His auditis baptizati sunt, in nomine Domini Jesu Christi.* In nomine Domini Jesu baptizabantur *igne* seu accipiebant Spiritum S. vel dona Spiritus sancti miraculosa, sicut in nomine

Jesu

Jesu Christi & per nomẽ Jesu Christi fiebãt sanitates & signa, & prodigia, *Act. 3, 6. & 4, 30.*

LXII. Ad proprium igitur & Tropicum Baptismum respiciens autor Epistolæ ad *Hebræos cap. 6, 2*: plurali numero utitur, & inter rudimenta recenset *Baptismatum* doctrinas, sicut verè rudimenta Christianismi erant & sunt, 1. articulus de Baptismo aquæ, quatenus est Sacramentum novi Testamenti, & 2. articulus de Christo, sedente ad dextram Patris, & baptizante ignibus, seu distribuente dona varia linguarum, interpretationis &c.

Alius tropicus Baptismus in Scriptura.

LXIII. Adhuc unius Tropici Baptismi, mentionem facit Scriptura, quum Marci. 10, 38, 39. Christus dicit, se *baptizari Baptismo*, & filios Zebedæi etiam baptizandos Baptismo, quo ipse baptizatur; Sed quis sit ille Baptismus, tum ex Matth. 20, 22, 23. & ex eodem loco Marci satis patet, quum Christus ποτήριον, *poculum & Baptismum* pro uno & eodem accipit: Potestis bibere calicem, quem ego bibo, aut Baptismo, quo ego baptizor, baptizari, scilicet passio Christi, (de qua itidem dicit Christus Matth. 26, 39. sub exordium passionis: Transeat à me *calix* iste, ποτήριον τοῦτο) est ille *Baptismus*.

Usus testimoniorum divinorum, quòd Baptismus fieri debeat per aquam, adversus hæreticos.

Antitrinitarii aquæ baptismum penitus ex orbe terrarum cupiunt remotum.

LXIV. Atque hæc de altera exteriore vel parte substantiali Baptismi, ideò paulò etiam accuratiùs ex Scripturis asserere libuit, propter Anabaptisticos hodiernorum *Antitrinitariorum* furores, quorum ideam cernere licet in *Germanicâ Institutione Ostorodi*.

LXV. Etsi enim historicæ certitudinis evidentiâ convictus largitur, *Apostolos baptizâsse in aquis*; tamen negat audacissimè, Christum *mandâsse* Apostolis, ut baptizarent in aquis.

LXVI. Addit igitur, Apostolus ex (generali) instinctu Spiritus sancti, quem habuerunt, incepisse quidem baptizare in aquis; sed tamen *ex sacris non posse demonstrari, Christum ordinâsse Baptismum aquæ*, atq; pugnat *Baptismum, Matth. 28. & Marc. 16.* esse accipiendum, non de baptismo aquæ; sed de *Baptismo doctrinæ*, ut baptizare sit idem, quod docere, cùm in verbis Christi non fiat mentio aquæ.

LXVII. De qua non tam audaci, quàm omninò stolidâ contorsione verborum, Chri-

Christi, non opus est pluribus, cùm ex antecedente prolixiore declaratione, quæ non ex solis vocabulis textum; sed ex textu vocabula simul ponderavit per invictam regulam collationis antecedentium & consequentium, facili & sine negotio refutari queat.

LXIIX. Nec est, quòd aliquis impudentiam illam admiretur in illis, quia jamdudum adversus aquæ Baptismum ex Ecclesiâ, imò ex orbe terrarum penitus proscribendum jurârunt & conjurârunt, nuncque allaborant & allaborabunt deinceps vel unicè.

LXIX. Pariter ex his æstimare licet, quanti sit faciendum hoc *consilium Theodori Bezæ* in Epistolis, Epist. 2. ad Thomam Tilium: *Desit* (inquit ille) *aqua & tamen Baptismus alicujus differri cum ædificatione non possit, nec debeat; ego certè, quovis alio liquore non minùs ritè quàm aqua baptizârim.* Hæc ille.

Bezæ protervia, qui vult baptizare cum quovis liquore.

LXX. Verùm quia Christus ipse elegit tale externum elementum, non verò balnea vini, lactis, oleorum destillatorũ, idcircò non licet regulam ab ipso definitam & præfixam in hac materia transilire. Et an non potest ubivis locorum faciliori occa-

occasione, vera, simplex & naturalis aqua præ aliis omnibus liquoribus, comparari, sive non alterata, sive quandoq; leviter & accidentaliter alterata.

LXXI. Malè denique ex siniſtro intellectu verborum istorum (*Christus baptizat Spiritu & igne*) ita nominati *Abyssini* vel Æthiopes baptizatos suos igne quoque inurunt.

Cœlestis res in Baptismo quænam sit.

LXXII. Alteram rem *cœlestem*, in Baptismo quod attinet, omnes tum veteres Patres, tum recentes Augustanæ Confessioni invaritatæ ex animo sincero faventes Theologi confitentur, quia in nomine totius Trinitatis Baptizari jubentur omnes gentes Matth. 28. omninò *tum aqua concurrere rem aliquam cœlestem ac divinam*, licèt in specialissimâ ejusdem determinatione exprimendâ non omnes inter se conveniant.

LXXIII. Quidam enim *verbum* constituunt cœlestem Baptismi rem, propter illud *Eph. 5. mundans Ecclesiam lavacro aquæ in verbo.*

LXXIV. Quidam *Spiritum sanctum* vocant

vocat rem cœlestem Baptismi, propter illud Joh. 3, 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu*, item 1. Cor. 12, 13. *In uno Spiritu omnes nos in unum baptizati sumus*: Item 2. Cor. 1, 22. *Qui unxit nos & signavit nos & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.*

LXXV. Quidam *sanguinem Christi* in Baptismo rem cœlestem faciunt propter illud Apocal. 1, 5. *Pax à Jesu Christo, qui lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo*, cui consonat illud, 1. Johan. 1, 8. *Sanguis Jesu Christi Filii Dei emundat nos ab omni peccato*: item 1. Pet. 1, 2.

LXXVI. Quidam denique *Spiritum sanctum & sanguinem Christi conjunctim* pro re cœlesti in Baptismo accipiunt, quod, licèt non conjunctim exhibeat utrumq; in uno loco; tamen ex diversis locis, jam modò indicatis, utrumque colligendum jubere videatur scriptura, utpote quæ etiam in aliis non tam Catechetorum, quàm Historicorum methodo assueverit, & exempli causâ, non in uno aliquo capite Biblico omnia de Deo scitu necessaria, exhibeat; sed in uno loco omnipotentiam Dei, ex alio æternitatem, & iterum ex alio omniscientiam ejusdem singulariter spectandam exponat.

77. Nec

LXXVII. Nec est in ulla harum sententiarum impietatis aliquid, sed & nulli ex Theologis supra indigitatis omnibus negant, quin potius declarationibus suis recidunt in communem hanc sententiam, in Baptismo cum aquâ concurrere divinam vim Spiritus sancti, ad abluendos homines per meritum & efficaciam sanguinis Christi ab omnibus peccatis.

LXXIIX. Legatur *Augustinus tractatu 15. & 80. super Johannem, item in libro de catechismo cap. 3. Hieronymus in caput 4. Esaiæ, Cyprianus ad Pompejum in medio, item in sermone de Baptismo, item de resurrectione Christi in medio, Ambrosius in libro de his, qui mysterijs initiantur. Lutherus tom. 7. latin. Witeberg. in homilijs de Baptismo, ut & in majore Catechismo.*

LXXIX. Porrò ex his patet, ad Sacramenti Baptismi plenam & perfectam absolutionem non sufficere aquam vel aspersionem aquæ sine re cœlesti conjunctissima & in eodem actu singulariter præsentissima, nec, vice inversa per rem cœlestem sine aquâ vel aquæ aspersione Baptismo propriè & specialissimè nuncupato essentiam præberi, quorum illud in aspersionibus Leviticis fiebat, hoc in auscultatione

tione & meditatione verbi divini quotidiè contingit; Sed per aquam vel aquæ aspersionem, deinde per vim spiritualem & rem cœlestem integritatem suam perfectissimam Baptismo constare, idque in usu.

LXXX. In *usu* enim res terrena & cœlestis illa unione Sacramentali ad unam Sacramenti substantiam concurrunt, utique non Physicè, nec naturaliter, nec terreno modo, sed mysticè, realiter tamen verissimeq;, ita ut aqua sit organum, seu medium externum, quo organo gratiam suam confert Deus.

LXXXI. Quanquam verò potuerit Deus gratiam suam, ablutionem peccatorum in sanguine Christi & regenerationem, sine aquâ præstare hominibus, eamque in verbo auscultato sine aquâ efficiat quotidie, unde simplici & absolutâ necessitate non requirebatur aqua: tamen, quia placuit nobis, qui corporales sumus, per corporalia elementa mundi distribuere spiritualia sua dona, utique Baptismum non tanquam ordinationem Dei magnificare & loco maximi clinodii habere, non nisi extremæ & furiosæ impietatis esset futurum.

82. Por-

Aqua est organum Spiritus S. in Baptismo.

LXXXII. Porrò, quòd *aqua sit verè organum & medium*, quo vult conferre hominibus ablutionem peccatorum & regenerationem Dominus, ex *Joh. 3, 7.* deducetur Sole meridiano clariùs, quum inquit: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest intrare in regnum Dei.*

Solida ratio, quod Joh. 3. aqua non possit tropicè intelligi.

LXXXIII. Prius autem paulò penitius recordandum venit hoc loco illud, quod *Matth. 3, 5, 6, 7.* narratur, quando ad Baptismum, à Johanne inchoatum, Hierosolyma, & omnis Judæa, & omnis regio circa Jordanem exivit, ut baptizarentur à Johanne, quòd eo tempore non omnes; sed tantùm *multi* quoque *Pharisæorum & Sadducæorum* venerint. Repetitur hoc ipsum à Luca, postquam Johannes in carcerem ab Herode fuerat conjectus, *Luc. 7, 29, 30.* cùm enim ibidem de Johanne multa ad populum Christus proclamâsset egregia, omnis populus audiens, & Publicani glorificârunt DEUM, baptizati Baptismo Johannis; *Pharisæi autem & Legisperiti Consilium Dei spreverunt in semetipsos, non baptizati ab eo*, &c.

LXXXV. Ex numero autem Pharisæorum, qui æquiores sese præbebant Christo, erat *Nicodemus*. Cumq; scandalum sibi-

sibiipsis fingerent reliqui, ex introducto baptizationis ritu novo, quem conferebat in remissionem peccatorum Johannes, contra consuetudinem & usum reliquarum purgationum legalium, noctu adit Salvatorem, ipse, petens sibi eximi scrupulum, utique *de Baptismo*, quem è cœlo esse, & virtutem divinam habere negabant Principes Sacerdotum, & Scribæ, & Seniores *Luc. 7, 30. & seqq.*

LXXXV. Hic est ipsissimus & solus nativus sensus ac scopus quæstionis Nicodemææ, quòd cupit privatim erudiri, an possit tanta vis esse ritus nuperrimè à Johanne inchoati, unde invictè concludimus, responsionem quoq; Christi, quam Nicodemo dedit, ad illum ipsum scopum, & non ad alium ullũ tropicum collineare, hoc est, verba illa; *Nisi quis renatus fuerit ex aquâ & Spiritu, non potest intrare in regnum Dei*, propriè & strictè accipienda esse de *Baptismo aquæ* deque Baptismi virtute, nec extra contextûs seriem violentissimè ruptam & perversam allegoricè exponi posse.

LXXXVI. Cùm igitur hoc oraculum aquæ Baptismi & Spiritui simul tribuat, quòd per ea regenerentur homines, ite-

rum adamantina consequentiâ infertur, aquam, elementum illud ad omnia quidem cœlestia & spiritualia ex se, & per se, & in se efficienda omnibus modis brutissimum; tamen ex ordinatione in usu Baptismi esse medium seu instrumentum, quo ablutionem à peccatis in vi & merito sanguinis Domini nostri Jesu Christi conferre & operari placuit Sacrosanctæ Trinitati.

LXXXVII. Idem confirmatum etiam postea redditur aliis locis, ut quando ad *Tit. cap. 3, 5.* memoratur λοῦτρον παλιγγενεσίας, quod non est aliud, nisi Baptismus ipse noster. Retinuit enim Apostolus gentium, Magistri sui ὑποτύπωσιν τῶν ὑγιαινόντων λόγων in hoc articulo, sicut etiam ibi, quando *Ephes 5, 25.* scribit, *Christum mundare Ecclesiam lavacro aquæ.* Sic ipsum antea erudiverat Ananias quoque Act. 22, 16: *Surge, baptizare, &* (post hanc surrectionem) *ablue peccata tua.*

LXXXIIX. Etsi enim sicut gladius *Luc. 5. v. 35.* ita aqua pertingere nequit ad ipsam animam; Tamen Spiritus per aquam virtutem suam exerit in animam & corpus.

LXXXIX. Pessimè igitur Ecclesiam Chri-

Christi hoc seculo turbavit *Johannes Calvinus*, quando locum illum *Joh. 3.* docuit in alienissimum detorquere sensum, quū scripsit super illum ipsum locum hæc verba: *Quantum ad hunc locum attinet, nullo modo adducor, ut Christum de Baptismo verba facere credam: hoc enim fuisset intempestivum. Tenendum enim semper est memoriâ consilium Christi, nempe quod Nicodemum hortari voluit ad vitæ novitatem, quia Evangelii capax non erat, donec alius homo esse inciperet.* Hæc iste. *Calvini stropha adversùs dictum Christi Joh. 3. nisi quis &c.*

XC. Quasi verò hoc ipsum Nicodemo futurum fuisset tam magnum & admirabile absurdum, ☞ prædicare, ☞ audire, & ☞ agere pœnitentiam.

XCI. Sicut enim sub ipsissimis densissimis tenebris Papatûs pœnitentiam communem, alios prædicantes, Paparum nullus unquam afflixit, modò Hierarchiam & dominationem Pontificiam censoriâ suâ virgulâ non stringerent: Ita tempore prædicationis Johannis & Christi notum erat omnibus & persuasum, agendam esse pœnitentiam.

XCII. *Matthæi* enim 3. quum videret ad Baptismum venire Pharisæos, sobolem illam tunc Diaboli & progeniem viperarum, pœnitentem, pœnitentiam seriam

& intimam iisdem suasit & inculcavit Johannes Baptista; *Facite ergo* (inquit) *fructum dignum pœnitentiâ, & ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham, &c.*

XCIII. Neque unquam hanc concionem impugnârunt, vel absurdam judicârunt sive Pharisæi, sive alii improbi. *Baptismum, Baptismum* autem hostes CHRISTI hi, & doctrinam illam, quòd sit ipse Messias baptizans Spiritu sancto, &c. quantum potuerunt suspicione absurditatis & falsitatis premere & impedire, allaborarunt unicè.

XCIV. Quàm procul igitur distat cœlum à terrâ, tam aberrat Calvinus à vero scopo hujus loci in suis glossis, & tam aliena est, à veritate ejus contorta explicatio, quum *Spiritum & aquam* pro eodem ponit.

XCV. Cûm verò omnium dictorum Scripturæ declarationes debeant inniti fundamento cuidam etiam ex aliis Scripturis depromto & ex contextûs fonte excerpto, audiamus, quonam suam ἐφευρεσιν fulcire velit Calvinus: *Frequens* (inquit) *ac tritus loquendi mos est in Scripturâ, quum de Spiritu fit mentio, ad exprimendam ejus vim Aquæ vel ignis nomen adjungi. Jam*

aliquo-

aliquoties habuimus, Christum esse, qui baptizat Spiritu Sancto & igni.

XCVI. Hæc ille. Verùm habemus etiam, quomodo hoc completum fuerit die Pentecostes in linguis igneis.

XCVII. Et *Johan. 7.* agi de donis miraculosis in Doctores & alios pios conferendis tam apertè convincit *versus 39.* ut omninò mirari habeamus protervam confidentiam Calvini, qui ex miraculoso, speciali, singulari, extraordinario audet metiri regulam generalem, & ordinariam *Joh. 3.*

XCIIX. Inconcussum ergo manet, quòd Nicodemus non simpliciter de pœnitentiâ agendâ quæsiverit; sed quòd interrogârit CHRISTUM de novo ritu Baptismi introducto, & per consequens manet ἀδιάλυτον, quòd CHRISTUS de Baptismo aquæ responderit, in illo regenerari hominem per S. S. mediante aqua.

XCIX. Calvini turbas renovavit *Beza*, qui in colloquio Mompelgartensi disputavit, *Aquam & sanguinem Christi esse propriè essentiales partes Baptismi, ut signum & signatum*, ita nimirum, ut Sacramentali signo aquæ annexa dicenda sit certa & vera promissio tam verè & reipsa præbendæ & fi-

Beza omnia de signo & signato in Baptismo.

deli menti recipiendæ, rei significatæ, puta ipsius Christi cum suis beneficiis, quàm verè signa in sensus corporeos incurrunt.

C. Ideò autem hæc astruit, adversus nostram doctrinam de Baptismo, quòd ipsi ex Ecclesiarum nostrarum Confessionibus videatur consequi, *aquam illam in ipsummet Spiritum sanctum transsubstantiari.* Immò addit, quòd absurdissimè dicatur *Spiritus sanctus pars esse ipsius Baptismi. Quis enim* (pergit) *unquam præter Manichæos, aut alios ejusmodi insanos homines, Deum ascivit in ullam ULLIUS REI CREATÆ partem?* Hæc ille.

CI. Verùm, quod ad *significationem* seu repræsentationem attinet, jamdudum ipsi Bezæ solidè à nostratibus fuit responsum, quòd *certo & sano sensu aquam Baptismo possit dici signum sanguinis* CHRISTI, & quòd aspersio aquæ seu immersio in aquam possit perhiberi significatio vel repræsentatio vel signum mortificationis Spiritualis, & ipsius regenerationis, nimirum *hoc modo*, si illa sicut à Scriptura in usu conjunguntur, (aqua & sanguis CHRISTI) inter se conferantur, non autem eo modo, quo apud Bezam *Baptismi*

ptismi voce propriè externa & corporea immersio in aquam significatur, ubi res terrena adsit aqua, sed res cœlestis, per se omnibus modis absens tantùm & nudè repræsentetur.

CIII. Hinc enim ortum suum habuit *Bezæ distinctio in Baptismum externum & internum.*

CII. Consubstantiationem aut transubstantiationem in Baptismo nullam admittimus; sed nec ex adverso nudam hanc figuram, solam metaphoram, simplicem significationem aquæ ascribi patimur, propter oracula sacrarum Scripturarum supernùs citata. Neq; Spiritum sanctum Manichæâ stultitiâ constituimus Baptismi partem, terreno modo commixtam aquæ, sicut ex speciebus diversis componitur medicamentum, sed rem etiam cœlestem inde facimus, quæ aquæ organo utitur ad tantas res expediendas.

CIV. *Forma* Baptismi in hoc consistit, quòd hoc medio ablutionis vel mersionis hominis adulti vel infantis in aquam, sactæ per alium hominem, secundùm ordinationem divinam, cum pronunciatione ipsorum verborum Institutionis Christi, sacrosancta Trinitas cōpellata, & invoca- *Forma Baptismi quænam.*

ta, utitur ad ablutū vel immersum in merito sanguinis Christi mundandum & virtute Spiritus S. ad vitam æternam regenerandum: h. e. forma consistit in ipsa tota actione Baptismi.

De MINISTRO Baptismi.

CV. Requiritur igitur primò *minister*, ut solet esse quilibet Ecclesiæ *ordinarius*, sicut ipse CHRISTUS quærit sibi Baptistam *Matth. 3.* Ut enim nemo seipsum gignere; ita nec regenerare potest.

CVI. Et verum conferet minister Baptismum 1. etiamsi fuerit in aliis articulis *hæreticus*, sicut Pontificiorum Baptismum pro vero agnoscimus, sicut CHRISTUS Pharisæorum ministerium legitimum agnoscit, etsi in multis doctrinæ capitibus & ceremoniis peccabant *Matth. 23, 2, 3.*

CVII. Et bellè *August.* tract. 5. super Johan. *Aliud est baptizare per ministerium, aliud baptizare per potestatem. Baptisma enim tale est, qualis est ille, in cujus potestate datur, non qualis est ille, per cujus ministerium datur.*

CIIX. Et circa finem: *Quos baptizavit Judas, Christus baptizavit, sic ergo, quos baptizavit ebriosus, quos baptizavit homicida, quos baptizavit adulter, si baptisma Christi erat,*

CHRI-

CHRISTUS *baptizavit. Non timeo adulterum, non ebriosum, non homicidam, quia columbam attendo, per quam mihi dicitur: Hic est, qui baptizat.* Hæc iste.

CIX. In specie de *ebriosis* ministris (ut in multis repentinis casibus sæpe mens multorum & pes officium vix facere potest) quærit Gabriel, *An iste ratione utens, posßit baptizare*; & responsum hoc præbet, quòd nec virtus Sacramentalis, nec ejus ministerium impediatur per culpam vel peccatum ministri. Si tamen adeo inebriatus esset, ut assistentes laici sensum verborum capere non possent, & ipse postea dubitaret, quid dixerit, sentit eum non baptizâsse. *De ebriosi Baptista.*

CX. Verus insuper est Baptismus, etiamsi fuerit minister *in ipso articulo de SS. Trinitate* hæreticus (& tanquam Ethnicus) sed clandestinus, quia Sacramentum non est istius hæretici, verùm totius Ecclesiæ, cujus Ecclesiæ preces in actu Baptismi invocatus Pater, Filius, & Spiritus sanctus exaudit, ex analogiâ *Matth. 18. v. 19.* Id quod etiam multò magis accommodabitur ad ministrum probis moribus, aut vitæ integritate non pollentem, quia *Matth. 7.* CHRISTUS utebatur in *An Arianus conferat verum Baptismum?*

expellendis dæmonibus etiam impiorum ministerio.

CXI. *Non verum* Baptismum confert minister *Arianus* tum, si apertè hæresin illam tuetur, & habet auditores, sibi vel conniventes, ubi hæresin docere, & connivere coram DEO æquè punienda judicantur *Rom. 5, 32;* vel apertè ὁμοψήφους.

CXII. Ab hoc, & his enim secundûm externum sonum verborum nominatur quidem *Pater, Filius & Spiritus Sanctus*: sed non invocantur, imô blasphemantur tres personæ Trinitatis, ideoq; hæ preces non exaudiuntur, ex analogiâ illius apud *Joh. 9, 30: Peccatores Deus non exaudit.*

Quinam rebaptizandi sint.

CXIII. Itaque *ab hæreticis baptizatum rebaptizandum esse* Cypriano *non concedimus*, nisi talem, qui ab *Arianis* fuit lotus vel immersus, quique Arianismo favit ipse, quia Ariani non possunt verum Baptismum conferre ea ratione, de qua jammodò fuit dictum.

Λαϊκοπαπτισμὸς.

CXIV. Hactenus de ordinario ministro: In casu tamen necessitatis etiam *Laicum quemcunque*, cujuscunque sexûs, ideò permittimus baptizare, privatim, absente ministro verbi, quia causas mo-

men-

menti sufficientis nondum vidimus, quibus jure damnari possit factum Zephoræ uxoris Moysis; *Exodi cap. 4. vers. 25.*

CXV. Quum enim, ut ex contextum circumstantiis liquet, antea filium octavo die præ metu dolorum circumcidere passa non fuisset mater, & jam in itinere Dominus Patrem propter hanc causam ita terreret, quasi interemturus eum, unde æger factus ipse Sacramentum conferre non poterat, ibi subitò mater Zephora vices supplet mariti.

CXVI. Igitur & λαϊκοβαπτισμὸς ritè usurpatus cum adhibita unà aquâ super infantem integrè ex utero egressum & audita pronunciatione verborũ institutionis omninò verus est, nec hoc pacto baptizati rebaptizari debent; sed sufficerit, ut Baptismus ille posteà per ordinarium ministrum usitatis lectionibus & precibus approbetur.

CXVII. Si verò Laici ipsi postea dubitent, quid egerint & dixerint in illa trepidatione festinationeq;, sine morâ ordinarius Minister infantem solenniter baptizabit.

CXIIX. Requiritur secundò *baptizandus*, qui est cujuscunq; sexûs, tàm infans quàm adultus. *DE BAPTIZANDO.*

CXIX. De *sexu* constat ex Actis Apostolicis 8, 12. & illo Galat. 3, 27, 28. *Quicunque in Christo baptizati estis; Christum induistis. Non est Judæus neq; Græcus, non est servus, neq; liber,* non est masculus, neq; FEMINA, *omnes vos unum estis in Christo Jesu.*

CXX. De *adultis* itidem res est extra omnem controversiam, nisi quòd extra & contra voluntatem suam non sunt baptizandi adulti: ut nec vivis & reluctantibus parentibus *liberi extra Ecclesiam reperti.*

βεβαπτισμὸς. CXXI. Quod ad *infantes* attinet, de illis, utrum baptizandi, an non baptizandi sint, ex verbis institutionis Baptismi confirmatæ *Matth. 28.* dispiciendum erit.

CXXII. Sic enim de aliis veteris & novi Testamenti Sacramentis & istorum Sacramentorum specialibus præcipuis circumstantiis, non nisi ex uniuscujusque prima institutione citra omnem errorem judicari potest.

Circumcisio. CXXIII. Exempli gratia, *Genesis 17, 12.* de Sacramento Circumcisionis institutio divina hoc præcipit: *Omnis masculus octo dies natus circumcidetur.* Excluditur igitur omni jure divino sexus alter, excluditur infans trium, quatuor, quinq; dierum, &c.

124. Si-

CXXIV. Similiter *Exod. 12.* agni Paschalis divina institutio hoc præcipit, ut in singulis familiis seu domibus assetur agnus Paschalis & comedatur, ab accinctis, calceatis, tenentibus baculos in manibus, & in fine capitis excluditur ab hoc esu omnis *alienigena, advena, & servus nondum circumcisus.* *Esus agni Paschalis.*

CXXV. Admittitur igitur omni jure divino ad esum agni Paschalis quilibet Judæus, & quilibet circumcisus, alienigena & advena & servus sive adultus sive puer, quicunque carnibus stando vesci potuit, admittitur item omnis fœmina, quia non excluditur, nisi incircumcisus advena, &c.

CXXVI. Ita quoq; *Matth. 26.* in Cœnâ bibere jubentur *omnes*, qui, ut *1. Cor. 11, 26.* habetur, *mortem Domini annunciare possunt.* *Cœna Domini.*

CXXVII. Admittuntur ergò omni jure divino viri, mulieres, adulti & juniores, quotquot hanc conditionem implere possunt; excluduntur reliqui omnes, qui hanc non possunt præstare.

CXXIIX. Quæ cùm ita sint, etiam jure divino in Baptismo, aquis immergere, vel perfundere decet viros, fœminas, adultos, *Baptismus.*

tos, infantes, cùm hi omnes possint aquis immergi vel perfundi. CHRISTUS enim jubet baptizare *omnes gentes* Matth. 28. hoc est, omnes quotquot aquâ tingi & mergi possunt, illo ritu dignari.

CXXIX. Habemus igitur in hoc dicto inclusum fundamentum seu mandatum βρεφοβαπτισμᾶ seu παιδοβαπτισμᾶ, solidissimum & invictum.

Object. 1. CXXX. *Exempla baptizatorum infantum* si quis unà cum Anabaptistis & cum hodiernis Antitrinitariis petierit sibi demonstrari, ab hoc nos petemus nobis monstrari mandata & exempla baptizatorum Apostolorum, exempla fœminarum & adolescentulorum, qui ad sacram synaxin accesserunt. Quid opus est exempla requirere, ubi mandata generalia prostant?

Object. 2. CXXXI. Unum est, quod quidam Anabaptistæ urgent, baptizandos tantum esse illos, *qui possunt doceri*: siquidem institutio Baptismi confirmata à Christo, videtur illud ipsum velle, quæ in hunc modum se habet: *Docete omnes gentes, baptizantes eos, &c.* Matth. 28.

CXXXII. Quibus geminam reponimus responsionem. Sicuti enim Abraham prius docetur, postea circumciditur, Isaac

vero

verò ratione inversa priùs circumciditur, postea docetur: Ita tunc maximæ parti adultorum priùs prædicandum erat Evangelium, postea ipsi & domestici eorum baptizandi.

CXXXIII. Præterea, ipsorum Antitrinitariorum quidam, ut Osiorodus in institutione Germanica, τὸ μαθητεύσατε apud Matthæum exponunt, pro *discipulate* vel *discipulos facite*, hoc est, CHRISTO JESU inserite tanquam corpori membra, tanquam magistro adducite discipulos. Quomodo? *Baptizantes eos, & docentes eos servare mandata, &c.*

CXXXIV. Potuerunt igitur & possunt hodie, secundùm propriam Antitrinitariorum mentem & expositionem dicti *Matth. 28.* Christo inseri & hoc pacto *discipulari* tum infantes, tum adulti.

CXXXV. Alia argumenta à nostratibus copiosè declarata pro paedobaptismo commemorare, nimis esset futurum prolixum.

CXXXVI. Requiritur tertiò *pronunciatio verborum institutionis*, in quibus propter mandatum DEI de invocanda S. Trinitate in Baptismo, & propter promissionem invocati isti in Baptismo factam, nunc

DE PRONUNCIATIONE verborum Baptismi.

nunc *in actione Baptismi invocatur Sacrosancta Trinitas, PATER, FILIUS & SPIRITUS SANCTUS*, ut huic suæ ordinationi adesse velit, & ea peragat, quæ promisit, se in eadem peragere velle, quando secundùm eam institutionem ipsa celebratur.

CXXXVII. Nec est ullum dubium, Apostolos hac ipsa formâ strictissimè usos fuisse, & baptizâsse *in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti*, nisi hujus mandati Christi speciales insignes & nefarios contemtores reos peragere velis, unde nec hodiè nostris hominibus ab ea formulâ recedendum est.

CXXXVIII. Quòd verò *Act. 2, 38.* scriptum legimus, die Pentecostes ter mille capita fuisse baptizata *in nomine Jesu Christi*, illud eo sensu scriptum esse constat, quem ex tota ibidem præcedente concione Petri haud difficulter quilibet eruere & colligere poterit.

CXXXIX. *Quæstio* enim hæc agitabatur Hierosolymis, *an Christus verè resurrexisset ex mortuis, viveret & dominaretur Ecclesiæ, & an. Baptismus ab eo ordinatus esset observandus?*

CXL. Ad hanc quæstionem expediendam tota concio Petri dirigitur, in qua demon-

monstratur ex illo miraculo cœlitùs demissi eodem die Spiritus Sancti, Christum, qui mandavit baptismum, non mansisse in sepulchro, ut Pharisæi contendebant; sed resurrexisse, vivere & dominari Ecclesiæ, ideoq; ritus constitutos observandos, nimirum Baptismum.

CXLI. Non igitur his verbis ostendere voluerunt Baptismi formulam, sed tantùm mandatum & ordinationem à Christo scilicet factam.

De aliis additis ad verba institutionis.

CXLII. Etsi verò ad perfectam veri Baptismi integritatem, requiritur invocatio Sacrosanctæ Trinitatis, & hæc omitti verba aut mutari nullo modo debent.

CXLIII. Tamen vetustas, ut Sacrosanctam hanc actionem conspectiorem & illustriorem præstaret, hæcq; verborum, dispositivorum pondera & momenta simplicioribus magis explicata præberet, peccati originis internam venenositatem depingeret, efficaciam meriti Christi & Baptismi inculcaret, ac intentionem astantium excitatiorem redderet, etiam alias lectiones & precationes linguæ popularis idiomate consueto adjunxit.

CXLIV. Olim etiam multi externi ritus & gestus, qui in oculos hominum in-

currerent, ex primitivæ Ecclesiæ miraculosis quibusdam sanationibus retineri, multi novi excogitari solebant, quos Pontificii scenicis & histrionicis pluribus gesticulationibus aliis auxerunt, quosq; magna ex parte, tanquam non mandatos divinitùs, nec usurpatos ab Apostolis & Apostolicis viris B. Lutherus dimittendos esse censuit, siquidem etiam nihil ad Substantiam Baptismi & integritatis necessitatem conducunt.

CXLV. Ac liberum est ac permissum omninò Ecclesiæ, quæ ædificationi, disciplinæ ac ordini prodesse vel obesse quolibet loco judicabit, citra impium scandalum, vel retinere vel omittere, vel quovis modo alio mutare, tanquam res meræ adiaphoras.

DE BAPTIZATIONIS actu.

CXLVI. Requiritur quartò *baptizatio*, vel, quod perinde est, perfusio vel immersio in aquam, sive una, sive terna, quia itidem perinde est, tanquam externum medium, quo Spiritus Sanctus utitur ad hominem totum in sanguine Christi, abluendum ad remissionem peccatorum, regenerationem & vitam æternam.

CXLVII. Hanc regenerationem etiam (ut obiter quasi moneamus) ex ipsius ritus

cir-

circumstantiis plebi explicare docet *Chrysostomus in Johann. cap. 3. hom. 24.* hisce verbis: *Primum divina in hoc consummantur judicia, sepultura, mortificatio, resurrectio, vita, & hæc simul omnia. In aqua enim, tanquam in sepulcro, caput immergentibus vetus homo sepelitur, emergentibus novus resurgit inde, ut facilè nobis est immergi & emersos respirare; ita Deo veterem sepelire hominem, & novum induere.* Hæc ille. *Chrysostomus.*

CXLIIX. Similia habet *Basilius in concione de Spiritu Sancto cap. 15.* hæc: *Nam velut aquæ insepeliuntur corpora eorum, qui baptizantur. Itaque depositionem operum carnis figuratè significat Baptismus, juxta Apostolum dicentem: Circumcisi estis circumcisione per manum non fiente in exuendo corpus carnis, in Circumcisione Christi, consepulti ipsi in Baptismate, & est velut purgatio animæ à sordibus &c.* *Basilius.*

CXLIX. Idem ibidem: *Baptismatis pactum mortis & vitæ figuram habet, mortis quidem, imaginem aqua implente, vitæ verò arrhabonem Spiritu exhibente.* Hæc ille. *Basilius.*

CL. Idem ibidem: *Cùm duo scopi in Baptismo propositi sint, abolere videlicet corpus peccati, ut ne amplius vitæ*

fructum ferat, & vivere Spiritu, & fructum habere in sanctificatione, aqua equidem mortis imaginem exhibet, velut in sepulcro corpus excipiens, Spiritus autem vivificam vim immittit, à morte peccati, ad vitam ab initio animas nostras renovans. Hoc igitur est ex supernis natum esse, ex aqua & Spiritu, nimirum dum mortificatio perficitur in aqua, & vitam nostram operatur Spiritus Sanctus. Hæc omnia Basilius. Sed de operatione SS. Trinitatis in actione Baptismi ex sequentibus plura cognoscentur.

Basilius.

IV. De efficacitate Baptismi.

CLI. EFFECTUM igitur Baptismi est, quòd regenerat, hoc est, baptizatum abluit & emundat à peccatis, & simul fide donat, vel (in adultis) auget, ut remissionem peccatorum propter Christum vel nunc in solo Baptismo primùm, ut in infantibus, vel in verbo, anteà juxta illud *1. Pet. 2. 23.* quàm Sacramentaliter etiam nunc in Baptismo oblatam, ut in adultis apprehendant, sibi applicent, sicq; in fœdus Dei recipiantur, inque filios Dei adoptentur.

CLII. Distinguere, non separare & lacerare licet vim divinam ab *aquâ* in actu Bapti-

Baptismi, ne vel aquæ soli hæc tribuas, neque tamen aquam organum esse negare, ausis, per quod tanta beneficia homini donantur: Siquidem aqua virtute Spiritus Sancti, & virtus Spiritus Sancti per aquam illam, divinam illam operationem efficit.

CLIII. Quando enim homo aquis perfunditur vel immergitur, idq; semel vel sæpiùs, prout placet Ecclesiæ, cui Deus hac de re speciale mandatum non dedit, ibi illicò aqua non hoc agit, ut abluat corpus, teste Petro *1. Pet. 3.* sed accedente re cœlesti & corpus & animam, tanquam utraq; peccatis contaminata, à peccatis emundat, regeneratq; seu renovat.

CLIV. Fiunt ista ordine tali, quali per Verbum nos Deus regenerat, siquidem *1. Petri 1, 23.* per Verbum tanquam per semen immortale vel incorruptibile renasci etiam dicimur.

CLV. Quemadmodum igitur simul & semel per Verbum prædicatum nobis 1. omnia beneficia divina offeruntur, 2. & quoq; fides in verbum Dei excitatur, quâ fide interveniente homo salutem sibi applicat, ita quoq; mediante Baptismo in illo ipso actu Deus offert meritum sanguinis Christi, & fidem excitat innitentem super

meritum sanguinis Christi; & per illius fidei interventum salutem æternam applicat, obsignatq;.

CLVI. Fiunt hæc omnia in Baptismo, non ex aliquo opere operato, neq; ex sensu idololatrico, quasi per sese aqua externa tantum operari posset; sed ita, quia placuit Deo non nisi per hæc terrena vascula ordinaria, suos cœlestes nobis distribuere thesauros, ita tamen, ut sese non alligârit strictâ rigiditate ad ea ipsa media, cùm non dubitemus, piorum hominum precibus Deo maturè oblatos & in utero tandem extinctos infantes sine Baptismo; tamen in æternum salvari, sicut in deserto nemo propter intermissam annis 40. circumcisionem damnatus fuit.

CLVII. Fiunt insuper hæc omnia in omnibus infantibus in continenti in ipso actu Baptismi, nec differuntur in ullis usq; ad ætatem aliquam discretionis plusvè minùsve seram, multò minùs in aliquibus non electis, seu reprobatis nunquam conferuntur.

CLIIX. Fiunt denique hæc omnia in ipsis quoq; adultis, quibus omninò verus & integer offertur secundùm substantiam baptismus.

159. Quan-

CLIX. Quanquam verò adultis omnibus verus secundùm substantiam Baptismus offertur, tamen adulti plurimi non percipiunt virtutem mundationis & regenerationis ex Spiritu Sancto & sanguine Christi, idq; vel propter latentem hypocrisin & incredulitatem, vel propter alia maxima peccata. Nihilominus tamen Baptismus tanquam ordinatio Dei ipsis fieri incipit postea salutaris, quamprimum hypocrisin & alia peccata exuunt.

CLX. Neq; enim illa intentio divina solummodò est momentanea & certarum horarum, quibus Baptismus peragitur; verùm sese perpetuat, ut Baptismi subsequenti pia recordatione & applicatione in vita & in morte adversus commissa delicta sese consolari & ad gratiam Dei recurrere possit homo cum maximo fructu, sicuti perpetuum est fœdus conjugiale inter maritum & uxorem, licèt quandoq; dissocientur. Redeunt enim ad sese sine novi fœderis institutione, tantùm ex prioris fœderis virtute durante.

CLXI. Fundamentum hisce nostris assertionibus de tantis effectibus Baptismi prorsus immotum præbent oracula Christi, quæ extant hinc inde numero plurima ponderéq; gravissima.

CLXII. Marc. 16, 16: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.* Johan. 3, 5: *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest intrare in regnum Dei,* Act. 2, 38. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisq; vestrûm in remissionem peccatorum vestrorum.* Act. 22, 16. *Exurge & baptizare, & ablue peccata tua.* 1. Cor. 6, 11: *Abluti estis, sanctificati estis, justificati estis.* Gal. 3, 72.: *Quicunq; in Christo baptizati estis, Christum induistis.* Ephes. 5, 26: *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in Verbo.* Tit. 3, 5: *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundùm suam misericordiam salvos nos fecit per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti.* 1. Petri 31, 2: *Baptismus nos servat.*

CLXIII. Ecce igitur, Baptismus ex ore Spiritûs sancti salvat, regenerat, abluit peccata, remittit peccata, induit Christum, sanctificat & mundat Ecclesiam, salvos facit, renovat, servat.

CLXIV. Necessarius igitur est Baptismus ad salutem, non tantùm quia hæc omnia, *renasci, mundari à peccatis, ablui à peccatis, indui Christo,* sunt necessaria omnibus, quotquot æternæ vitæ hæreditatem sibi obtingere exoptant, verùm etiam, quia

Chri-

Christus expressè hoc nobis unum & primum proposuit necessarium salutis consequendæ organum, quum inquit; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu, non potest intrare in regnum Dei.*

V. Bezæ *opiniones de effectu Baptismi.*

CLXV. Ex his firmamentis de effectu Baptismi apparet, quàm sit inanis, quàm jejuna & simul impia doctrina *Bezæ*, cujus summam in *Colloquio Mompelgartensi* audacter ita effutiit, ut omnibus pateat, ab eo omnem vim Baptismo adimi, & evacuari illam, quam Baptismo Deus ipse ascribit.

CLXVI. De *infantibus* enim baptizatis hanc habet sententiam, quam propriis ejusdem verbis ascribimus ex *parte posteriore responsionis* ad acta Colloquii Mompelgartensis, editione prima fol. 89. num. 1: *De hoc inter D. Andream & me controvertitur, quòd ille quidem singulis, sine cujusquam exceptione infantibus rite baptizatis necessariò conferri fidem & Baptismi gratiam magnis clamoribus affirmat: Ego vero nullis sacræ scripturæ testimoniis, neq; rationibus ullis, quæ ex principiis Theologicis deducantur, istud concludi posse asservero, atq; adeo contrarium certis argumentis statuendum esse contendo.* Hactenus verba Bezæ.

CLXVII. Causam hujus suæ assertionis colligere licet ex iis, quæ ex suâ phantasiâ de fato absoluto *ibidem mox fol. 92.* ponit verbis istis: *Infantum parentes jubemus (quantum quidem, relicto Deo arcano ipsius judicio, existimare de ipsorum liberis licet, etiam ante Baptismum forte mortuis, ac, multo magis si baptizati fuerint) PRÆSUMERE suos liberos in Dei gratiam esse receptos, tùm ut in Ecclesia natos, tum baptizatos.* Hactenus Beza.

CLXVIII. De *adultis* baptizatis quid sentiat, apparet ex *eodem libr. fol 62.* ubi ad Pauli testimonium ex *Gal 3, 27. Quicunque in Christum baptizati estis, Christum induistis,* hæc verba scribit: *Hæc autem Pauli verba, cùm dubium non sit, ad eos ipsos, quibus scribebat, propriè pertinere, id est, adultos, qui fuerunt maxima ex parte à Pseudoapostolis fascinati, de singulis adultis baptizatis intelligi, nemo non videt, nisi nulla prorsus rationis specie, non posse.* Hæc ibi.

Beza. CLXIX. Causam hujus assertionis itidem ex jam nominato myrotheciо suo non obscuram ponit eam *pag. 104. ejusdem libri*, quum dicit lin 15: *Gratiam Baptismi quibusvis in Baptismo ritè administrato, præberi, sed à solis electis recipi.* Hæc ibi.

170. At

CLXX. At cùm hæc doctrina Bezæ de Prædestinatione, genuino sensui omnium sacræ Scripturæ oraculorum è diametro, & quidem exactè contradicat, quæ nos hoc in negocio non ad arcana Dei judicia confugere; sed ex verbo de Sacramentis deq; salute nostra nostrorumq; infantum statuere jubet.

CLXXI. Cùmq; deinde vel millies hactenus à plurimis doctissimis viris, non tantùm ex Ecclesiis Lutheranis; sed etiam ex Ecclesiis ipsis Calvinianis eidem Ethnicæ & Turcicæ opinioni de prædestinatione nuncium publicè miserint, non operæ singularis pretium fuerit, hos errores de Baptismi effectu magnam partem ex prædestinatione Calviniana deductos operosiùs convellere.

CLXXII. Concusso enim jamdudum nihili fundamento isto, sponte corruunt ea ipsa, quæ superæfidicavit contra fidem infantum Beza, & vice versa, salva manent omnia, quæ ex Verbo Dei de effectis Baptismi breviter hactenus diximus.

CLXXIII. Porrò illud examinandum restat, cur Beza rideat à nobis ad *fidem infantum* stabiliendam adduci, etiam exemplũ in utero delitescentis Johannis Baptistæ

& præ-

& præ gaudio exultantis, quando Elizabetham salutabat Maria mater Messiæ.

CLXXIV. Sed benè sese res omnis, & in vado quidem habet. Utut enim rideat hoc exemplum quasi per omnia singulare & miraculosum; tamen primùm ex eo concedere hoc cogitur, Deum singulari modo quodam etiam in infantibus operari posse.

Pro fide infantum.

CLXXV. Deindè verò non unicum hujus rei exemplum nobis ob oculos gravissimis de causis Scriptura proposuit; sed plura intueri & ponderari jussit.

CLXXVI. Annon enim Esau & Jacobus adhuc in utero matris delitescentes infantuli inter se conflictantur, sicut patet ex gravissima & sanctissima historiâ *Geneseos cap.25.*

CLXXVII. Si neget Beza, illos infantulos adhuc in utero latentes ex instinctu Spiritus Sancti inter se, non secundùm communem cursum naturæ, collisos fuisse, vim manifestam inferet toti textui plusquam illustrissimo.

CLXXIIX. Taceo, quòd ad analogiam *1.Cor.12*: in ipsa creatione unicuiq; Deus quotidiè vires & qualitates ingenii ac animæ infundit, Heroicas quandoq; & admirabiles inclinationes, ad hanc aut aliam

disci-

disciplinam, quæ sese in progressu demum ætatis exerunt, quarum etiam rationes sufficientes alias dare nemo potest vel ex astris vel ex alia naturâ.

CLXXIX. Quæ igitur hæc est impietas DEO mandanti Pædobaptismum, a DEO promittenti suam gratiam in Baptismo; tamen credere nolle, quòd idem infantibus gratiam conferre possit in Baptismo, ita ut SPIRITUS SANCTUS in eis sit efficax, & ita efficax, ut per motus & inclinationes in iis suo modo excitatas CHRISTUM & remissionem peccatorum accipere possint, modo inquam nobis nec satis cognito nec explicabili.

CLXXX. Eum enim motum à Spiritu sancto excitatum in Baptismo vocamus fidem infantũ, quæ non oritur ex auditu & meditatione verbi, ut in adultis, nec adultorum fidei in circumstantiis omnibus est æqualis & par, & tamen ita appellatur; idque ad imitationem ipsius scripturæ parvulis fidem tribuentis, siquidem juxta Christum *Marc. 10.* nequaquam intrabit in regnum DEI, quisquis regnum DEI non perceperit velut parvulus.

CLXXXI. Ecce *parvuli* accipiunt regnum DEI, ergo etiam suo modo credunt, hoc est,

hoc est, non sine motu aliquo Spiritus sancti salvantur, & quidem tales parvuli, quales ibi describuntur, nimirum qui ab aliis Christo apportabantur & quos Christus in ulnas accipiebat, *Marc. 10, 13, 14, 15, 16.*

CLXXXII. Sufficit hoc ad quæstionem de infantum fide dictum, quòd DEUS in Baptismo infantum velit operari remissionem peccatorum, regenerationem, eos inserere Christo, &c. quæ sine fidei præsentiâ contingere nequeunt. Nec opus est ullis exemplis vel testimoniis aliis, ubi scriptum extet, credidisse infantes.

CLXXXIII. Non dubium est, de his ipsis sæpiùs cogitâsse Bezam, adeò, ut quo pacto ad ea responderet, non satis videre potuerit. Ecce enim pondera diligenter, quæ ille in *actis Colloquii Mompelgartensis parte post fol. 123.* hac de re invitus proferre fuerit coactus.

CLXXXIV. Verba ejus sunt hæc de
Beza. infantibus, sicut proximè antecedentia & consequentia testantur: *Ad corruptionem autem innatam quod attinet, donari quoque infantes, occulto nobis opere Spiritus sancti, ea mentis renovatione, qua fruuntur sanctorum Spiritus in vitâ æterna diem illum expectantes, in quo demum erit omnia in suis omnibus.*

Addidi

Addidi verò, & addo creari istud opus in infantibus sua quadam mensurâ, nobis inscrutabili, certissimè tamen, quoniam alioqui, si toti in carne manerent, placere DEO *non possunt.* Hæc ille.

CLXXXV. Item paulò post: *Et quæ illis dixi in ipso exortu vitæ donari, fateor Baptismo quoque sanciri, tum quoniam frustra non sunt olim justi circumcidi fidelium infantes* (successit autem circumcisioni Baptismus) *tum quod inutiles certè non sunt offerentium & Ecclesiæ preces.* Hæc ibi. Beza.

CLXXXVI. Cùm igitur eò usque pervenire potuerit Beza, mirabitur aliquis, cur non ulteriùs processerit, & unà nobiscum plenè & apertè fateatur & profiteatur fidem infantum, de qua nostræ Ecclesiæ ex verbo Dei moderatè & piè docent.

CLXXXVII. Verùm, quòd altiùs assurgere non potuit, unico prædestinationis fato Calviniano impeditus fuit, propter quàm non omnibus infantibus baptizatis gratiam Baptismi contingere docet. *Non quisquis* (inquit) *in Ecclesiâ nascitur, necessario est ex electorum & servandorum numero, in quibus solis efficax est tum in prædicato verbo, tum in administratione Sacramentorum salutis promissio.* Hæc iste.

Ponti-

Pontificiorum error de effectu Baptismi.

CLXXXIIX. Et hactenus in defectu peccantem vidimus *Bezam:* in excessu exorbitant nimium quantum *Pontificii*, qui apud *Bellarmin. lib.12. cap.1. de Baptismo* tres ponunt effectus Baptismi: 1. *Quod tollat ac deleat verè omnem culpam & pœnam.* 2. *Quòd conferat ex opere operato gratiam & dona divina, quibus verè & formaliter justificetur homo.* 3. *Quòd imprimat indelebilem characterem, ob quam reiterari non possit.*

CLXXXIX. Posterioribus duobus dimissis, utpote quos nunquam ex Scripturâ ritè probare poterunt, de primo paucis videbimus. Refutantur autem Pontificii vel ab unica in omnibus residua concupiscentiâ, de qua Apostolus *Gal.5. Caro concupiscit adversus spiritum, & spiritus adversus carnem*: Qua de re Bellarmino *Augustini* censuram recitabimus, ne opus sit prolixiore opera.

Augustinus CXC. Sic enim de parvulis *August.* lib. de peccator. merit.1. cap.39. *In parvulis certè gratia Dei per Baptismum ejus, qui venit in similitudine carnis peccati, id agitur, ut evacuetur caro peccati. Evacuatur autem non, ut in*

ipsa

ipsa vivente carne concupiscentia inserta & innata repente absumatur & non sit; sed ne obsit mortuo, quæ inerat nato. Hæc ille.

CXCI. *Idem* de adultis ibidem: *Nam nec grandibus hoc præstatur in Baptismo, nisi forte miraculo ineffabili omnipotentissimi creatoris, ut lex peccati; quæ inest in membris, repugnans legi mentis, penitus extinguatur & non sit; sed ut quicquid mali ab homine factum, dictum, cogitatum est, eidem concupiscentiæ subjecta menti serviret, totum aboleatur, ac velut factum non fuerit, aboleatur.* Hæc idem.

CXCII. Audiatur idem *August.* in Joh. tract. 41. *Ex parte libertas* (inquit ibi) *ex parte servitus. Nondum tota, nondum pura, nondum plena libertas, quia nondum plena æternitas. Habemus enim ex parte infirmitatem, ex parte accepimus libertatem. Quicquid peccatum est à nobis, antea deletum est in Baptismo. Nunquid quia deleta est tota iniquitas, nulla remansit infirmitas? Si non remansisset, sine peccato hîc viveremus. Quis autem audeat hæc dicere nisi superbus? nisi misericordiæ liberatoris indignus? nisi qui seipsum vult decipere, & in quo veritas non est? Ergo ex eo, quod remansit aliquid infirmitatis, audeo dicere: Ex qua parte servimus DEO, liberi sumus; ex qua parte servimus legi, peccati adhuc servi sumus.* Hæc omnia Augustinus.

CXCIII. Allegari possent plura loca ex *Augustino*, ubi eandem mentem suam seu Confessionem suam reponit. *De pecc. mer. l. 2. cap. 7.* hæc habet verba: *Non enim ex qua horâ quisque baptizatur, omnis vetus infirmitas ejus absumitur: sed renovatio incipit à remissione omnium peccatorum.* Idem cap. 27. *Attendere & meminisse debemus, tantummodo peccatorum omnium plenam perfectamq; remissionem Baptismo fieri, hominis verò ipsius qualitatem non totam continuò immutari.*

CXCIV. Item cap. 28. *Lex peccati non sic manet in membris eorum, qui ex aquâ & Spiritu renati sunt, tanquam non sit facta ejus remissio, ubi omninò plena & perfecta sit remissio peccatorum, & omnibus inimicitiis interfectis, quibus separabamur à Deo, sed manet in vetustate carnis, tanquam separatum & peremtum, si non illicitis consensionibus quodammodo revivisçat, & in regnum proprium damnationemq; revocetur.* Hæc iterùm Augustinus, qui per omnia Pontificiis contradicit, & nostris Ecclesiis favet, quod in baptismo tantùm reatus peccati tollatur, non verò ipsum peccatum.

Apologia Augustanæ Confessionis.

CXCV. Allegavit, durantibus magnis comitiis Augustanis annis 1530. non quidem hæc Augustini formalia, sed hanc men-

mentem Augustini *Philippus Melanchthon (Peccatum remittitur, non ut non sit, sed ut non imputetur)* in Apologia Augustanæ Confessionis, propter Theologos Pontificios, qui in Augustissimo illo ipso durante conventu Augustano in sua responsione ad oblatam Augustanam Confessionem (quæ extat in historia comitiorum Augustæ, 1530. celebratorũ, edita à Cœlestino tom. 3.) flagellaverant nominatim hanc D. Lutheri doctrinam *de peccato remanente in puero post Baptismum.*

CXCVI. Verũm, hanc allegationem & hoc factũ postea anno 1540. in Colloquio Wormatiensi perstrinxit *Eccius* propter causas, quas ex *tomo 4. operũ Phil. fol. 651.* cognoscet lector & quidẽ ex his Eccii sequẽtibus verbis: *Nullibi dixit Augustinus (de quo me refero ad tam S. Patrẽ) peccatũ remanere in puero baptizato post baptismũ. Nam quod solet citari, peccatũ deleri in Baptismo non ut non sit, sed ut nõ imputetur: Hoc Augustinus non habet. Nam concupiscentiæ meminit, quæ remittitur, non ut non sit, sed ut non imputetur:* Hæc Eccius.

Eccius objicit Philippo pravam citationem Augustiniani dicti, peccatum remittitur, non, ut non sit, sed ut non imputetur.

CXCVII. Respondit autem in eodem Colloquio *Philippus* Eccio his verbis *(tom. dicto fol. 657.) Reliqua est particula de citato loco, peccatum remittitur, non ut non sit, sed ut non imputetur. Quod ad me at-*

Philippus fatetur Eccio, se male citasse Augustinum & pollicetur emendationem.

tinet, agnosco, male citatum esse, sed hæc SENTENTIA sæpe in Augustino tradita est. Alibi inquit: *non ut non sit, sed ut non regnet, & mutâssem ipse multo ante, si editionibus adfuissem.* Hactenus Philippus.

CXCIIX. Verum enimverò, ut solidè respondeamus pro Apologiâ Augustanæ Confessionis, & pro illa Philippica allegatione, si quis, si quis inquam, sententiam istius dicti, *peccatum in Baptismo remittitur, non ut non sit; sed ut non imputetur*; in citatis paulò suprà ex Augustino testimoniis, non videt, is utiq; nihil videt.

CXCIX. Si enim remanet infirmitas post Baptismum, si in parvulis (seu pueruli) per Baptismum caro peccati ita evacuatur, non ut concupiscentia repentè absumatur, & NON SIT; sed ne OBSIT; si in Baptismo non hoc præstatur, ut lex PECCATI, quæ ineſt membris, penitùs extinguatur & NON SIT; sed ut quicquid mali ab homine factum, dictum, cogitatum VELUT factum non fuerit habeatur, quæ omnia sunt Augustini, verba; utique rectè dixit *Lutherus*, quod Augustinus docuerit, in puero manere peccatum: utique rectè etiam *Apologia* Augustanæ Confessionis scripsit,

quòd

quòd ad eundem modum loquatur & Augustinus, qui ait: *Peccatum in Baptismo remittitur, non ut non sit, sed ut non reputetur.*

CC. Ac Quemadmodum Salvatorem nostrum nemo arguet ex ipsis Pontificiis, quòd *Luc. 19, 45.* ex veteri Scripturâ citat hanc sententiam: *Domus mea, domus Orationis est; Vos autem feciſtis eam ſpeluncam latronum,* cujus summa non in uno veteris scripturæ loco extat, nec iisdem verbis; sed prior pars *Esa. 56, 7.* posterior *Jer. 7, 11.* traditur: imò, quæ sententiola salvatoris nec apud *Matth. & Luc.* æqualiter legitur: Ita quoque nullo modo culpari possunt Augustinianorum testimoniorum, istæ contractæ epitomæ, alioqui in aliis etiam admodum licitæ & ipsis novi T. Scriptoribus usitatæ?

Responsio, cur Eccio non præstiterit promissionem de malacitatione corrigenda facta Philippo.

CCI. Quòd verò Philippus Eccio promissam mutationem, quam Bellarmi. nus admodum urget, non præstitit, sed animum mutavit, in eo magnam laudem ille meretur. Fertilissimam enim messem præbuisset Pontificiis apud plebem calumniandi Ecclesias nostras, quòd in ipsis Comitiis Augustanis 1530. falsa patrum allegatione Cæsarem & omnes Imperii Ordines circumvenire sategissent,

utpote quam postea convicti mutare coacti fuissent & reapse mutassent.

CCII. Utinam Philippus in ipsis etiam Augustanæ Confessionis singulis litterulis & syllabis strictè rigideq; custodiendis & invariabiliter servandis vel superstitiosam Ecclesiæ navasset operam. Minus omninò futurum fuisset schismatum inter protestantes, minus quoq; materiarum habuissent Pontificii Ecclesias Lutheranas inconstantiæ perpetuæ accusandi.

Gratianus quo pacto patres citaverit.

CCIII. Quoties autem per annos 300. accusandus esset Pontificii juris compilator *Gratianus*, qui similem consuetudinem in excerpendis Patrum plurimis auctoritatibus & testimoniis sibi usurpavit, qui nimirum non ipsa prorsus auctorum verba affert; sed arbitratu suo mutat, addit, imminuit, summatim complectitur, quod etiam *Burchardus* & *Ivo* faciunt, quum citant hoc modo ex dictis Augustini, ex dictis Hieronymi: *inquit præfatio super corpus juris Canonici emendatum & notis illustratum ac Gregorii XIII. Pontificis Max. jussu editum, cum Bulla Romæ scripta die prima Julii, anni 1580.* Pessimum igitur est, in altero damnare, quod in altero ferre potes.

CCIV. Porrò, quemadmodum Pontifi-

tificii ipsi mutare gravi consilio sub ipso Papismo ausi non fuerunt v. 9. c. 27. Matthæi, ubi pro *Zacharia* in contextum irrepsit *Jeremias*, ita rectissimè & prudenter fecit liber Concordiæ anno Christi 1580. publicatus, quòd pro more & candore historico citra omnem mutationem ad evitandas omnis generis calumnias Pontificias Apologiæ Confessionis ad art. 3. Augustanæ Confessionis verba recensere & ita retinere voluit sicut eadem à majoribus accepit historicè.

Formulæ Concordiæ in Apologiæ Confessionis Augustanæ nec probam à Ph. M. citationem factam mutare voluit.

CCV. Atq; ex his pauculis jam tandem vel rustici Pontificii æstiment, quo loco habere debeant *Bellarmini* istam tonantem censuram, quæ hisce verbis ab eo profertur *l. 1. c. 13. de Baptismo*: *Ubi notandum est insigne mendacium*: *Sic enim Philippus*: *Augustinus ait*: *Peccatum in Baptismo remittitur, non ut non sit; sed ut non imputetur.* Atque hoc idem dixerat Lutherus in assert. 2. art. & Johannes Rossensis convincit eum mendacii, ostendens, *Augustinum* hoc non dicere. Editus est autem liber Rossensis Anno 1523. & tamen Philippus anno 1530. iterùm idem mendacium protulit. Præterea testatur Cochleus in discussione art. 2. Confess. Augustanæ, ipsum Philippum ab Eccio convictum & confessum esse, locum

Bellarmino accusat Formulam Concordiæ, quod retinuerit probam citationem ex Augustino bolens & sciens.

Augustini malè esse citatum; Et tamen idem mendacium toties detectum & confutatum, iterùm scripserant in libro Concordiæ latino p. 59. edito anno 1580. & semper repetunt, cum Apologiam illam imprimunt. Hæc ille.

Ulenbergius Pontificius.

CCVI. Repetit eandem tragicam accusationem *Casparus Ulenbergius* in libro latino pernicioſissimo, & ad plebem seducendam appositissimo, anno 1589. scripto, continente *22. causas*, cur ad Catholicos redeundum sit, relictis Evangelicorum erroribus. Causâ enim 14. conatur ostendere, quòd Evangelici sint deserendi, quia Catholicos & suos ipsorum majores multis calumniis & mendaciis graviter onerent, & quòd docti inter Evangelicos etiam admoniti, tamen contra conscientiam & Deum in scriptis calumnias non omittant.

CCVII. Sed simplicioribus etiam satis constare poterit, hujus accusationis vanitas ex iis, quæ paulò antè sunt dicta.

Hem! Infantes in Baptismo jurant Papæ.

CCIIX. Cogitet Bellarminus, quomodo apud Deum excusare velit illud, quod nuper *Tortus*, Bellarmino à sacellis, absq; dubio ex jussu Bellarmini scripsit ad Regem Angliæ, hisce verbis: *In ortu supernaturali, quem habemus ex Baptismo, intelligi debet*

debet juramentum tacitum & congenitum, ad obediendum Principi spirituali, qui est Christi vicarius. Hæc ille: quæ in Apologiâ pro juramento fidelitatis ab ipso auctore regè Jacobo denuò edita recensentur ex pagina 51. putidissimi Torti, circa finem dictæ apologiæ.

CCIX. Deum oramus, ut veritatem hujus quoq; articuli adversus omnes veteres & recentes hæreses, omnis generis portas infernales potenter & clemēter posteritati nostræ salvā conservare dignetur.

DISPUTATIO XII.

DE ECCLESIA CHRISTI IN HIS TERRIS MILITANTE.

Præside WOLFGANGO FRANZIO D. *Respondit pro Doctoratu* M. ÆGIDIUS STRAUCHIUS, *Wittebergensis, Ecclesiæ Ossatiensis Pastor ac Superintendens.*

16. Febr. 1610.

I. Quid Ecclesiæ *Christi in his terris* militantis, *nomine intelligatur?*

I.

ECclesias Messiæ in his terris particulares, vocamus usitatè visibiles cœtus il-

los hominum, qui suis quique locis & temporibus, per sinceram Verbi divini prædicationem, & per legitimam Sacramentorum divinorum administrationem, ad Deum, & ad caput & ducem universæ Ecclesiæ militantis & triumphantis, hoc est, ad Mediatorem, Jesum Christum, honorandum, publicè colliguntur: quas omnes & singulas, quovis tempore per totum orbem dispersas conjunctim acceptas, *Ecclesiam* Messiæ vel Christi in his terris *militantem*, *universalem* indigitamus.

Ecclesiæ particulares constituunt suo complexu universalē militantem.

II. Hocq; tenore accipiuntur, quæ passim occurrunt in veteribus Scripturis, Psal. 26, 12. *In Ecclesiis benedicam Domino.* Psal. 68, 27. *In Ecclesiis benedicite Deo Domino, de fontibus Israel.* Et Num. 20, 4. de totâ *Israëlitica Ecclesiâ*, prout in deserto tunc simul & semel collecta, degebat: *Cur eduxisti Ecclesiam Domini in solitudinem?*

III. Huc illa ex novis Scripturis, Rom. 16, 4. *Quibus non solùm ego gratias ago; sed & cunctæ Ecclesiæ gentium.* Gal. 1, 2, 22. *Paulus Apostolus Ecclesiis Galatiæ.* Et: *Eram autem ignotus facie Ecclesiis Judææ, quæ erant in Christo.* Et de tota Messiæ Ecclesiâ, tunc temporis in mundo agente 1. Corinth. 12, 28: *Quosdam posuit DEUS in Ecclesia primùm*

Apo-

Apostolos, secundò Prophetas, tertiò Doctores, &c.

II. Ecclesiam Messiæ militantem, diverso & sano respectu esse visibilem *&* invisibilem.

IV. VISIBILES autem cognominamus illos jam indicatos singulos & universos militantes cœtus, quia prædicationis & auscultationis Verbi divini, ut etiam dispensationis & usurpationis Sacramentorum divinorum exercitia Ecclesiastica illa externis sensibus nostris percipimus, Ecclesiamq; Messiæ à profanorum & paganorum conciliabulis hoc pacto simul discriminamus, ut infra fusiùs enucleabitur.

V. Habent in hisce visibilibus cœtibus sibi communem usum concionum Verbi divini & Sacramentorum divinorum, tàm impii quàm pii, quia nimirum utriq; inter sese in his terris, in congressibus Ecclesiasticis commixti conversantur, & tranquillè conversari conspiciuntur. *Visibilis Ecclesia complectitur bonos & malos simul junctos.*

VI. Confirmatur illud ex historiæ veteris compendio evidentissimè, in *1. Cor. 10, 1.* ubi Apostolo hæc habet verba: *Patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt,*

runt, & omnes in Mose baptizati sunt, in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritualem manducaverunt, & omnes eundem potum Spiritualem biberunt; sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo; quidam prostrati sunt in deserto.

VII. Ipsum istud de suo suæ terrenæ cum hominibus peregrinationis & conversationis seculo, & de aliis omnibus usque ad extremum diem consecuturis mundi ætatibus, Salvator noster docere voluit præclaris suis parabolis atque similitudinibus, nimirum de *semine* cadente super quadruplices agros, de *zizaniis* enascentibus inter medium triticum, & non nisi tempore messis eradicandis, & tunc demum ad exurendum colligendis, de *sagenâ* in mare projecta & congregante bona & mala, *Matth. 13.* Item de *illo* reliquis convivis immixto, qui vestem nuptialem in nuptiis filii Regis non habebat, *Matth. 22.*

IIX. Ex istis suam in moralibus suis sententiam concinnuit Bernhardus, quum inquit: *Tria sunt loca, Cœlum, terra, infernus, & habent singula habitatores suos, Cœlum solos bonos, terra mixtos, infernus solos malos.* Hæc Bernh. tom. 1.

Bernhard.

9. Quan-

IX. Quanquam verò cum piis etiam ipsi impii in hac terrâ & in hac vitâ conjunctim inveniuntur, tamen potioris & dignioris, potiore habita ratione, toti visibili cœtui ex utrisq; illis composito, non nisi dignissimos & augustissimos indulget divina clementia titulos, nimirum *ovium Dei hæreditatis Domini, Ecclesiæ Dei, populi Dei, vineæ Domini, filiorum Dei, dilectorum Dei, vocatorum, sanctorum, sanctificatorum in Christo Jesu, sanctorum & fidelium in Christo Jesu, sanctorum & fidelium fratrum in Christo* Psal. 95, 7. Psal. 2, 8. Esa. 1, 3. & 3, 12. & 5, 1. Rom. 1, 7. Ephes. 1, 1. Philip. 1, 1. Coloss. 1. v. 2.

X. Ne longiùs abeamus, Corinthii speciatim vocantur *Ecclesiâ Dei, sanctificati in Christo Jesu, vocati sancti*: inter quos tamen reperiebatur incestuosus ille *1. Cor. 5, 1.* & inter quos multi audebant bibere, præter calicem Domini etiam poculum Dæmoniorum, *1. Cor. 10, 21.*

XI. Cùm autem soliùs divinæ omniscientiæ majestate, & nequaquam ullâ creatâ virtute possit interioris in homine ullo fidei integritas illibata notari & dignosci, juxta analogiam illius, quod extat 1. Sam. 16, 7. *Homo videt ea, quæ patent; Dominus autem intuetur cor*:

12. Cùm

XII. Cùm itidem illud, quod ex operibus externis, de fide magis minusvè fucatâ vel non fucatâ sumi & perhiberi solet, haudquaquam sit infallibile judicium, siquidem multi à foris apparent hominibus justi; qui tamen intus pleni sunt hypocrisi & iniquitate, *Matth. 23. 28.* Et Pseudoapostoli transfigurant se in Apostolos Christi, sicut Satanas transfigurat se in Angelum lucis, *2. Corinth. 11. v. 13, 14.*

XIII. Iccircò, hoc scilicet dicto & expresso respectu, quòd verè bonos, à verè malis, verè electos ab impiis & damnatis per externos sensus secernere non valemus, *Ecclesiam invisibilem* vocamus ipsos illos (in externo cœtu vocatorum & congregatorum omnium admixtos, nec NOBIS accuratè cognitos; sed quoad veram latentem fidem NOBIS latentes,) tantummodò verè bonos, & constanter in fide verâ perduraturos, adeoque hac ipsâ ratione ad vitam æternam prædestinatos.

Quid nominetur à Lutheranis Ecclesia invisibilis militans in terris,

XIV. Dum autem hoc asserimus, ibi nequaquam interim hoc volumus, quasi ipsi verè boni & electi inter reliquos Ecclesiæ totius socios sparsi, planè non pos-

possint venire, nec veniant in nostrum & in aliorum conspectum. Quippe bonos & malos inter se mixtos, oculis nostris quotidie pariter contuemur.

XV. Multò quoque minùs visibilem illam & invisibilem Ecclesiam, tanquam φθερικὰ τῶν ἀλλήλων ἐναντία, seu tanquam duas sibi maximè adversantes & toto cœlo, (quod ajunt) contrarias Ecclesias opponimus; sed *visibilem* certo suo modo dictam, & itidem suo usquequaque sano sensu *invisibilem* vocitatam Ecclesiam, pro diversis vel subalternis & subordinatis, & consequentibus censemus.

XVI. Nimirum illam NOBIS visibilem Ecclesiam, alteri NOBIS invisibili latiorem, & ita invisibilem visibili strictiorem, seu contractiorem constituimus, quia sub *visibili* bonos & malos pariter, sed sub *invisibili* electos solos comprehendi profitemur.

XVII. Deinde expressè protestamur, electos & bonos, (quatenus quoad internam veram infallibilem fidem sunt invisibiles,) nuspiam in hac vita, nisi in cœtu visibili quæri & inveniri posse, ita ut modò in amplissimâ visibili congregari-

gatione pauciores; modò in contractiori cœtu visibili plures, aut vice versa, extent.

XIIX. Denique hoc vel cumprimis volumus, quòd verè boni, intrinsecus pii, electi, & in bonitate usque ad finem vitæ perduraturi NOBIS non ita certò pateant, sicuti clarissimè patent oculis Domini, qui omnia & singula pectorum præcordia & postcordia solus introspicit perfectissimè.

Quomodo Pontificii oppugnent assertionem de Ecclesia invisibili.

XIX. HANC Ecclesiæ nostram distinctionem in Ecclesiam visibilem, & in Ecclesiam invisibilem Os illud omnium Pontificiorum; *Bellarminus lib. 3. cap. 11. & 12. de Ecclesia militante*, una cum reliquis Pontificiis ridet, & tanquam ineptam contemnit, & refutare conatur; sed frustra.

XX. Plurima enim cumulat quidem sacrarum Scripturarum testimonia, quæ ipsi fatemur, non nisi de visibili cœtu exponi posse.

XXI. Talia sunt: Num. 20, 4: *Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem?* 1. Reg. 5, 14. *Convertit rex faciem suam, & benedixit, omni Ecclesiæ Israël*: *Omnis enim Ecclesia Israël stabat.*

22. Item

XXII. Item Matth. 16, 18. *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Matth. 18, 17. *Dic Ecclesiæ, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Actor. 20, 28. *Attendite vobis & universo gregi, in quo vos Spiritus S. posuit Episcopos, regere Ecclesiam DEI.* Actor. 15, 3, 4. *Illi ergo deducti ab Ecclesiâ pertransibant Phœnicen & Samariam, narrantes conversionem gentium,* Act. 18, 22. *Ascendit Paulus & salutavit Ecclesiam.* Item quòd ex Act. 8. & 9. Paulus 1. Cor. 15, 9. Gal. 1, 13. Phil. 3, 6. confitetur, quòd *persecutus fuerit Ecclesiam.* 1. Tim. 3, 14, 15. *Hæc tibi scribo, fili Timothee, ut scias, quomodo oporteat te in domo Dei conversari, quæ est Ecclesia Dei vivi.*

XXIII. Allegat insuper similitudines ipsi Ecclesiæ in Scripturis ideò, ut argumentatur, assignatas, & desumtas à rebus maximè conspicuis, ut probent hoc unicum, tam non latere in mundo Ecclesiam posse, quàm non possunt abscondi res illæ, cum quibus comparatur Ecclesia.

XXIV. Confertur igitur, secundùm ipsum, Ecclesia *Soli,* Psal. 18, 5. *In sole posuit tabernaculum suum,* item *monti magno,* Esa. 2, 2. Dan. 2, 45. Mich. 4, 1. & 2. Matth. 5, 14. *Non potest civitas abscondi posita supra montem.*

Item alibi *areæ, reti, ovili, convivio*: quibus adjungit visibile signum, quod vetus Ecclesia in carne sua, per circumcisionem impressum gessit.

Bellarminus præter necessitatem prolixè pugnat, ubi nulla opus est pugna adversus Lutheranos.

XXV. Verùm enim verò, quid opus fuit, adversùs nostrarum Ecclesiarum Confessiones tam infrugiferam pugnam & inutile ducere certamen, adeoq; nos jam antea consentientes & de hoc negotio trito plus satis satisq; memores, tanto cum apparatu monere? Hisce enim omnibus album addere nostrum calculum, non renuimus, cùm vel pueris nostris & decantata, & maximoperè sint perspicua, & plebi quoq; ex concionibus nostris cognita tanquam ex speculo.

Ubi opus est responsione firma, ibi piscè magis mutus est Bellarmin.

XXVI. Ad hoc verò mente non peregrinâ judicandum accedere debuisset Bellarminus, *utrùm in illa visibili Ecclesia extantes electi* NOBIS OMNIBUS & SINGULIS *certò constent & pateant?* sicuti Sol supra horizontem elevatus omnibus certò patet, & à Luna facilimè internoscitur, &c. Hoc genuinum κρυπτόμυχον penitùs dissimulat ipse, & in altero non controverso inter nos tam pomposis argumentationibus, adversùs nostras Ecclesias pugnat.

XXVII. Ne hilum igitur unum sententi-

tentiæ nostræ detraxit Bellarminus, vel alius quicunque iis rationibus detrahet deinceps, sicq; salvus omninò stabit diversus ille inter visibilem & invisibilem Ecclesiam modus, sensus & respectus antea allegatus, quandiu inconcussum relinquitur, non omnes in cœtu vocatorum bonos esse, quamdiu denique hoc invictum manebit, unumquemque pro se quidem, sed tamen non pro aliis omnibus certum esse & firmum dare posse responsum, num inter vera & viva Ecclesiæ membra & inter verè electos computari debeat?

XXIIX. *Rom. 2, 28, 29.* Deus ipse per Spiritum Sanctum distinguit inter Judæum *in manifesto*, & inter Judæum *in occulto*, idque discrimen mutuatur ex *Psalm. 45, 14.* ubi *omnis gloria Filiæ Reginæ* dicitur esse *ab intus*.

XXIX. Illius (qui in abscondito vel in occulto est Judæus) laus non ex hominibus, sed ex Deo est, inquit ibidem in fine Apostolus. Cui consonat illud *2. Tim. 2, 19. Solidum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc: Novit* Dominus, *qui sint sui*, & Matt. 25, 32. Christus ipse hædos ab ovibus, per omnipotentē suâ omniscientiam solo

infallibiliter separat: idq; in ultimo die, coram toto genere humano faciet.

An ex externis bonis operibus electi exactè discerni à reprobis possint.

XXX. Libenter concedimus, quòd ex bonis operibus, tanquam ex fructibus & effectis possit æstimari arbor, & caussa ipsa, latens intrinsecus in homine, fides, sicut Apostolus *Jacobus cap. 2.* inquit: *Ostende mihi fidem tuam ex factis tuis*: id quod desumsit ex illo Christi, *Matth. 5, 16*: *Luceat lux vestra coram hominibus.*

XXXI. Sed ex adverso neminem non habebimus nobis suffragantem in hoc utroque, quòd nimirum multi pii sæpenumerò partim ingenita carnis imbecillitate corrupti, partim pravis aliorum exemplis incitati, partim denique victi à venenata Satanæ seductione gravissimè delinquant, & quòd æquè plurimi intus & in cute cordeq; impii, sæpenumerò tamen externa bonorum operum specimina edere soleant.

XXXII. Tantummodò igitur, communiter, probabiliter, συγχαστικῶς; non autem infallibiliter, indubitatò, & evidenter internam fidem ex operibus externis metiri licet.

XXXIII. Ac sine dubio videntur, tum hæ ipsæ, tum his similes aliæ meditationes

tiones etiam conscientiam *Bellarmini* pupugisse, id quod inde concludimus, quia vel invitus scribere cogitur ipse, quòd *Ecclesia visibilis multa habeat invisibilia, fidem, spem, charitatem*: & insuper addit: *quamvis hæc dona invisibilia sint necessaria in Ecclesia & in sola Ecclesia; quòd tamen non sint in omnibus ejus partibus, sicut* (inquit) *sensus est necessariò in animali & solo animali; & tamen non est in omnibus ejus partibus*, lib. 3. c. 15. *Multum est habere confitentem reum.*

XXXIV. Quin etiam capite jam allegato iterùm pronunciat, in symbolo non poni tantùm, *Credo Ecclesiam*; sed etiam *sanctam Ecclesiam, & sanctitatem Ecclesiæ sine dubio invisibilem esse*. Hæc ille.

III. *Verbi divini prædicationem & divinorum Sacramentorum dispensationem esse* Ecclesiæ *verè* visibilis genuinas notas.

XXXV. Ut veram Ecclesiam Messiæ in mundo citiùs & exactiùs agnoscere, atque à falsis quibuscunque congregationibus aliis faciliùs secernere valeamus, de maximè propriis, perpetuis & infallibilibus *notis* ejusdem nobis est prospiciendū.

XXXVI. Tales maximè proprias, constanter perpetuas, & omninò infallibiles notas undenam excipiemus, nisi ex ore illius, qui est ipsissima æterna veritas, & ex Scripturis ipsius sanctissimis?

XXXVII. *Duo* igitur in Verbis Dei illustrissima proponuntur nobis *signa*, quæ Ecclesiam veram visibilem quàm penitissimè nobis monstrabunt, nimirum: *Sincera Verbi divini prædicatio, & auscultatio*, (præsertim de fundamentalibus religionis Christianæ articulis,) *& legitima Sacramentorum divinorum administratio & usurpatio.*

XXXIIX. Assertionum harum veritas constabit ex oraculis divinis. Et quod ad primam notam attinet, Deut. 4, 2. *Non addetis ad Verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo*, &c. Deuter. 12, 32. *Quod præcipio tibi, hoc tantùm facito, nec addas quicquam, nec minuas.*

De prima nota Ecclesiæ sacra testimonia.

XXXIX. Et ut ansa resecetur omnibus cavillis, loquitur in utroque testimonio Deus, de toto cultu divino, de agnitione veri Dei, de legibus moralibus, inprimis de ceremonialibus, Messiæ personam & officia repræsentantibus.

XL. Id quod pro primo jam adducto testimonio hoc modo lucidissimè colligitur

tur ex contextibus: *Quæ est* (inquit) *alia gens sic inclyta, ut habeat cæremonias, justaq; judicia, & universam legem, quam ego proponam hodie ante oculos vestros?* Et paulò post: *Non vidistis aliquam similitudinem in die, in qua locutus est vobis Dominus, in Horeb, de medio ignis, ne forte decepti faciatis vobis sculptam similitudinem.*

XLI. Item, paulò antea; *Hæc est vestra sapientia & intellectus coram populis, ut audientes universi præcepta hæc, dicant: En populus sapiens & intelligens, gens magna. Nec est alia natio tam grandis, quæ habeat Deos appropinquantes sibi, sicut Deus noster adest cunctis obsecrationibus nostris.*

XLII. Eodem collineat scopus secundi testimonii ex *Deut. 12.* quemadmodum cohærentia *capitis 12. & 13. & seqq.* ad primum oculum indicabit cuivis eam expendenti.

XLIII. Quanquam verò juxta *Psal. 147. 20. Deus non fecit taliter omni nationi, & taliter non manifestat judicia sua omnibus aliis, sicut annunciavit verbum suum Jacob, justitias & judicia sua Israeli*; tamē per invictam rationē consequitur, tantùm illam esse verā visibilem Ecclesiam, quæ Israëli à Deo in veteribus Scripturis manifestata judicia, & Jacobo à

Deo in iisdem veteribus Scripturis, annunciatum Verbum sincerè in nativo, incorrupto q; sensu, tuetur: *Rom. 3, 21. & 16, 26. justitia Dei manifestata est, testificata à lege & Prophetis.* Item, *Evangelium patefactum est per Scripturas Prophetarum.*

XLIV. Cum veteris Scripturæ authenticis consonant etiam novæ Scripturæ dicta, Matth. 15, 17. *Super hanc petram* (Confessionem videlicet de Christo, ibidem disertis verbis ex veteris Scripturæ scriptis à Petro propositam) *ædificabo Ecclesiam meam.* Eph. 2, 20. *Superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Jesu Christo, in quo omnis ædificatio constructa crescit in templum sanctum Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei, in Spiritu Sancto.*

XLV. Quapropter, quæcunq; ædificari debet Ecclesia Christi, necesse est, ut illa superædificetur, super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, quæ sola retinent genuinum lapidem angularem Christum Jesum, & quicunq; cœtus ædificatur super aliud fundamentum, quàm super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, sub angulari lapide Christo Jesu, ille cœtus nequit perhiberi Ecclesia Christi.

46. Cùm

XLVI. Cùm etiam juxta sententiam Dei apud *Esa 55, 10.* sine dubio ex *Deut. 32, 2.* depromtam, atque Ἀλληγορικῶς ad Evangelium, accommodatam, quod evincit cohærentia *capitis 44. & 45. quemadmodum descendit imber & nix de cœlo, & illuc ultra non revertitur; sed inebriat terram, & infundit eam, & seminare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti: sic quoque Verbum Dei, quod egreditur de ore suo, non revertatur vacuum ad ipsum.*

XLVII. Utique iterùm per adamantinam quandam consequentiam concludimus, necessariò repertum fuisse olim sub veteri sic dicto Testamento, & hodie sub novo sic nuncupato fœdere reperiri in quovis loco & quovis tempore aliquod sive rarum sive amplum vocatorum agmen, & in eo modò pauciſſimos, modò plusculos electos & pios, ubicunque verbum Dei ipsum & integrum viguit olim; legitur, prædicatur, explicatur hodiè, nunciabiturq; usque ad finem mundi. Qua de re plura postea. *Omni tempore & in omni loco fuit, est, erit, aliquis sive maxima sive mediocris, sive minima & minima Ecclesia, ubicunq; verbi & sacramenta dispensantur.*

XLIIX. De *altera* Ecclesiæ veræ visibilis notâ, nimirum de *legitima Sacramentorum divinorum dispensatione & usurpatione*, etiam in promtu sunt testimonia sacra. *De secunda nota Ecclesiæ.*

Matth. 28, 19. *Docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, Filii & Spiritus Sancti.* Item illud Ephes. 5, 26: *Sicut Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret, mundans eam lavacro aquæ in Verbo.* Et de Cœna Domini 1. Corinth. 11, 23. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi* (faciendum) *vobis, quoniam Dominus Jesus, in qua nocte tradebatur, accepit panem &c.* Id quod concordat cum isto, Luc. 22, 19. *Hoc facite in mei recordationem.*

XLIX. Ex his igitur iterum consecutione irrefutabili inferimus, illam esse veram Messiæ Ecclesiam, quæ retinet verum secundum substantiam & institutionem Christi Baptismū, & verā Cœnā Domini.

Ubi Verbum & Sacramenta non dispensantur, ibi nulla quæritur Ecclesia.

L. Concluditur hæc de notis doctrina, quòd nec Theologiæ tyronibus dubium esse possit, non nisi Verbo & Sacramentis convocari Ecclesiam. Cùm igitur hæc sint media vocationis, quibus Ecclesia congregatur, utiq; cœtus non audientium Verbum, non baptizatorum, & Cœnam Domini non participantium, Ecclesiam non esse, certum erit.

LI. Quæ verò huc usq; de notis Ecclesiæ breviter dicta sunt, ea de notis Ecclesiæ in hac terrâ visibilis propriissimè accipi &

pi & intelligi debent. Nec enim haberi possunt pro notis Ecclesiæ invisibilis, hoc est, pro notis electorum & verè bonorum. Quippe electi & verè boni, non nisi ex vera, interna, & per charitatem efficace & usq; ad finem vitæ constanter perdurante fide æstimari possunt.

LII. Hasce autem veræ visibilis Ecclesiæ notas Pontificii per *Bellarminum lib. 4. de milit. Eccles.* multis modis nituntur accusare *1. quòd non sint propriæ*, sed communes veris & falsis Ecclesiis, siquidem una quælibet secta jactitet, non apud alios; sed tantummodò apud se vigere legitimam, & genuinam verbi divini interpretationem. *2. quòd non sint notiores ea re, cujus sint notæ*, siquidem non nisi ab Ecclesia priùs cognosci queat, quænam sit Scriptura canonica vel non canonica; quodnam sit; vel quodnam non sit Verbū divinum: idq; etiam ex testimonio *Philippi in Locis. c. de Ecclesia*, qui requirat testimonium veræ Ecclesiæ ad dirimendas lites; item ex testimonio *Brentii*, qui in Confessione Wirtenbergensi capite *De Scriptura*, confitetur, *Ecclesiam habere jus testificandi de vera Scriptura, & etiam interpretandi veram Scripturam. 3. quòd sint separabiles*, siquidem Corinthii & Gala-

Quomodo Pontificii oppugnent notas Ecclesiæ hactenus expositas.

Galatæ fuerint, ex testimonio Apostoli, eas ita vocantis, veræ Ecclesiæ; & tamen sinceram prædicationem Verbi amiserant.

Objectio 1. cum Resp.

LIII. Verùm primùm non prædicatio Verbi divini *jactata*; sed *reipsa talis*, & quidem in rigidis amicorum & inimicorum, non malitiosorum, examinibus reperta & probata, est nota veræ Ecclesiæ.

LIV. Etsi igitur singulæ sectæ gloriantur de sincera Verbi prædicatione; tamen singulæ non habent illam sinceritatem prædicationis, id quod per exempla evidentissima planum facere possemus, nisi brevitatem imperaret nobis instituti hujus ratio: Multorum enim exempla docuerunt in exitu, à quibusdam erratum fuisse in linguis, à quibusdam in phrasibus, à quibusdam in scopis, à quibusdam in aliis.

Interpretatio scripturæ quomodo instituì debeat.

LV. Sinceram enim prædicationem Verbi divini jam dictam ex nativo præcipuarum linguarum intellectu, ex phrasium Propheticarum & Apostolicarum consuetis sæpiusq; usurpatis, & ita per seipsas declaratis rationibus, ex aurea & nunquam satis laudata contextuum συναφεία, verissimè cujusq; loci & dicti scopum

pum ad amussim venante & tangente, ex loci unius collatione cum eodem loco, alibi allegato, petere necesse est: id quod erit Scripturam declarare per Scripturam.

LVI. Qua in parte non sufficit perfunctioriâ & somnolentâ aliqua operâ; sed indefessâ & ad conscientiam adhibita diligentia, quæ inanis nullo modo erit, si pro auxilio Spiritus sancti preces miscebuntur indesinentes, & mutuæ quoque sententiarum collationes accedent, quia ubicunq; duo aut tres hoc pacto congregantur, ibi Deus singulariter adest, & singulariter benedicit.

LVII. Absit, quæ plurimos vexat, turpissima inscitia, absit etiam pertinax hæretica q; & Diabolica malitia & contradicendi libido.

LIIX. Rectè igitur *Hieronym.* in cap. 1. v. 11. ad Gal. *Non putemus in verbis Scripturarum esse Evangelium: sed in sensu: non in superficie; sed in medullâ: non in sermonum foliis; sed in radice rationis.* *Hieron.*

LIX. Omninò enim singuli illud sibi dictum esse putent, illudq; incumbere existiment, quod Christus *Matth. 24. 15.* inquit, *Consilium Christi pro interpretatione Scripturæ legitima.*

quit, de Danielis Prophetiis cognoscendis, *qui legit, intelligat.*

LX. Alioquin enim error facilimè accidet, sicut in *2. Petr. 3, 15, 16.* auctor illius Epistolæ conqueritur, quòd Paulus Apostolus, secundùm datam sibi sapientiã, scripserit quidem ipsis, sicut & in omnibus Epistolis, *loqueus in eis* DE HIS (de iis rebus, de quibus ibidem agitur, scilicet de adventu Domini ad extremum judicium,) *in quibus* (scilicet rebus, de quibus ibidem scribitur, & de quibus etiam alibi in suis Epistolis Paulus scribit, & de quibus homines ex suis phantasiis volebant concludere, ut etiam hodie fit) *sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas ad suam ipsorum perditionem:* (Cum Scripturis rigidè non insistunt.)

LXI. Ergo difficilia ista multi plus ineptientes ad nonum caput ad Rom. de prædestinatione ausi fuerũt applicare, de qua prædestinatione ibidem in Epistola Petri non agitur. Similibus autem erroribus quotidie errari ab admodum multis, etiã maximis viris, exemplis doceri poterat.

Object. 2. LXII. Quòd verò *secundò* Ecclesiam Scripturis simpliciter *notiorem* constituũt, ideoq; Scripturas ab Ecclesiâ pendere volunt.

lunt, in eo revera magnas nugas agunt, & desperatissimæ causæ κηπσΦύλλα parant inania.

LXIII. Per inversionem enim res omnis sese habet, quòd nimirum Ecclesiam nemo nosse possit, nisi per Scripturam. Hæc jam antea satis ex origine sua & ex interno Spiritus S. testimonio, auctoritatis divinæ, in cordibus piorum habet.

LXIV. Divinis autem miraculis cœlitùs commendata fuit, quæ ἀυτόπτης primitiva Ecclesia suis successoribus, illi suis posteris, & hi nobis, ut testes secundarii confirmarunt.

LXV. Quid? quòd multæ patefactiones divinæ solemnissimæ ita contigerunt publicè, ut venerint hoc pacto in aures omnium viventium sub sole, etiam Ethnicorum, ut omnis omnibus adimeretur excusatio, verbi causa historia de diluvio, historia de mirabili populi sui ex Ægypto liberatione & eductione, invitis Dominis.

LXVI. Hinc enim memoria columbæ emissæ extat in libello *Plutarchi*, πότερα τ ζώων Φρονιμότερα τὰ χερσαία ἢ τὰ ἔνυδρα: Hinc in Dea Syria *Luciani* extat causa diluvii, & modus servati Noæ, cum ingressis in arcam animalibus: Hinc perve-

pervenit in *Strabonis* libr. 16. eductio ex Ægypto cum multis tunc latis legibus.

Maximarum patefactionum divinarum rumores etiam ad Ethnicos pervenerunt qui ulterius inquirere debuissent in eos, sicut de regressu Solis per legatos fecit Rex Babyloniæ. 2. Reg. 20, 12. 1. Par. 32, 31.

LXVII. Taceo, quæ *Cornelius Tacitus* lib. 21. historiæ Augustæ de Judæorum ortu differit, quòd Circumcisionem Judaicam *Herodotus* in Euterpe recenset, & plurimi alii autores Ethnici mirantur, rident-que: quòd *Hecateus*, qui Herodoto scribendi materiam suppeditavit, librum de Judæis scripsit, & res Abrahami posteris commendavit, Pontificis maximi & reliquorum Sacerdotum, Judaicarum legum & afflictionum, ac captivitatum à regibus illatarum, & Hierosolymæ meminit: quæ ex ipso excerpsit *Josephus lib. 1. contra Apionem.*

LXIIX. Taceo, quòd apud *Joseph. l. 1. cont. Apion.* ex Clearcho Aristotelis discipulo, & quidem ex primo ejus libro de somno, recitatur colloquium ab Aristotele habitum, cum quodam è Cælessyria adveniente Judæo, quem in sui propriam accusationem *divinum hominem* vocat, & qui potius tradiderit aliquid eorum, quæ habuerat, quique gravissimus fuerat eloquio & animo, quos homines Aristoteles dixit habitare in Judæâ, & eorum civitatem nomen habere valdè difficile

Hieru-

Hierusalem: sed cur tunc Aristoteles cum discipulis suis non diligentiùs audivit & expiscatus est illum, quo pacto de infinitis posteris benè mereri potuisset.

LXIX. Hæc omnia certitudinem explicant illius, quod *Deut. 2, 25.* reperitur: *Hodie incipiam mittere terrorem atque formidinem tuam in populos, qui habitant sub omni cœlo, ut audito nomine tuo paveant*, &c.

LXX. Cùm igitur quovis tempore, inde à primo homine creato, constiterit hominibus, Deum præcepisse hominibus de voluntate sua, & Deum dedisse suum Verbum de fide & de vitâ rectè formandâ, an non in quæstione de Ecclesiâ ex eodem Verbo, requisita & indicia, & omnem aliam rationem Ecclesiæ cognoscere æquissimum & necessarium fuerit?

LXXI. Nemo enim dubitabit ampliùs, post hæc piè tractata, solam Scripturam sufficientissimè docere, quales velit esse Deus illos, qui jucundissimum Ecclesiæ nomen ambiunt, ita ut nemo membrum Ecclesiæ fieri possit, nisi secundùm ea, quæ in Scripturis hac de re inveniet.

LXXII. Rectè igitur *Augustinus* epist. 166. *In Scripturis didicimus Christum, in Scri-* *Augustin.*

pturis didicimus Ecclesiam, has communiter retineamus. Hæc ille.

Object. 3. cum Resp. LXXIII. Quòd *denique* hasce notas à verè visibili Ecclesiâ *separabiles* esse contendunt, idq; exemplo Corinthiorum & Galatarum firmatum præbere connituntur, partim puerile, partim ridiculum est. Illic enim à parte Ecclesiæ ad totam Ecclesiam; hic verò à turbari cœptâ Ecclesiâ ad planè mutatam concludunt.

LXXIV. Manent igitur inconcussæ notæ verarum visibilium Ecclesiarum illæ, nimirum sincera prædicatio Verbi divini, & legitima Sacramentorum divinorum administratio.

Chrysost. LXXV. His adversùs Pontificios suffragatur *Chrysost. in Matth. hom. 49. cap. 24.* ubi scribit hæc sequentia: *Montes sunt Scripturæ Apostolorum aut Prophetarum, de quibus dictum est: Illuminas tu mirabiliter à montibus æternis. Et iterum de Ecclesiâ dicit, Fundamenta ejus in montibus sanctis. Et quare jubet in tempore omnes Christianos conferre se ad Scripturas? quia in tempore hoc, ex quo obtinuit hæresis illas Ecclesias, NULLA PROBATIO potest esse veræ Christianitatis, neque refugium potest esse Christianorum aliud, volentium cognoscere fidei veritatem, nisi Scri-*

pturæ

ptūræ divinæ. *Antea enim multis modis ostendebatur, quæ esset Ecclesia Christi, & quæ gentilitas, nunc autem nullo modo cognoscitur volentibus cognoscere, quæ sit vera Ecclesia Christi, nisi* TANTUMMODÒ *per Scripturas.* Hæc ille, quæ infrà ibidem aliquoties repetit, *Ecclesiam* videlicet, *veram* TANTUMMODÒ *cognosci per Scripturas.*

LXXVI. Huc illud *Augustini* cont. Petil. epist. cap. 2. *Inter nos & Donatistas quæstio est, ubi sit Ecclesia? quid ergo facturi sumus, in verbis nostris eam quæsituri, an in verbis capitis sui, Domini nostri Jesu Christi? puto quòd in illius potiùs verbis eam quærere debemus, qui est veritas & optimè novit corpus suum. Novit enim Dominus, qui sint ejus.* Hæc ibi. *Augustin.*

LXXVII. *Bellarminus* una cum reliquis Pontificiis *nova ἀριστήρια* Ecclesiæ veræ Christi agnoscendæ comminiscitur, de quibus videre licet *lib. 4. de militante Eccles. toto*: & quidem numero admodum multa, nimirum *quindecim.* *Quas notas Ecclesiæ visibilis statuat Bellarminus.*

LXXIIX. Quæ verò quindecim verè visibilis Ecclesiæ *τεκμήρια* conatur astruere Bellarminus, ea nihil sunt aliud, nisi *partim* adjuncta cōmunia bonis & malis, adeoq; separabilia Ecclesiæ visibilis militātis, *partim* verò palpabilia figmenta, ad hūc

finem manibusq; pedibusq; cogitata & detorta, ut prolapso Papatui Romano manum supponant. Statim enim pro confesso & concesso assumit, quasi Papatus, & quidem solus, esset vera Christi Ecclesia, de quo inter nos & Pontificios omnis & acerrima intercedit in hunc usq; diem conflictatio.

LXXIX. Ecclesiam igitur veram (Romanam) visibilem vult cognosci *1. ex nomine* hoc CATHOLICÆ, quasi nudum nomen aliquod tantas vires Ecclesiæ, præsertim ipsorum, suppeditare queat, ut pro vera haberi debeat: *2. ex antiquitate*, quam antiquitatem ipsis nequaquam largimur, siquidem hodierna Romana à veteris Romanæ Ecclesiæ facie formam habet diversissimam.

LXXX. 3. Ex incorrupta *duratione*, 4. ex diffusa *amplitudine* per totum orbem: id quod tamen falsissimum est, siquidem Papatum, nulla vera Ecclesia extra Europam unquam olim recepit, nec hodie recipit, præsertim orientalibus comprehensa provinciis spaciosissimis: 5. ex continuata *Paparum serie* inde usque à Petro, primo, si Diis gentium placet, Papa Romano, post tot secula usque ad ho-

ad hodiernum in sede illa sedentem, cùm tamen aliæ quoque Ecclesiæ suos Episcopos numerare valeant, Constantinopolitana præsertim: 6. ex conspirante *consensu in doctrinalibus, cum antiquorum Patrum Ecclesiis*, cùm tamen Romanensium hodiernorum dogmata cum primævorum Patrum Theologiâ δὶς διὰ πασῶν pugnare, toties jam sit demonstratum à nostratibus: idq; ordinè per articulos fundamentales plurimos.

LXXXI. 7. *Ex unione membrorum inter se & cum (ficto) capite externo visibili*, Dictatore videlicet Romano, quem Bucephalum commentitium in medium agmẽ suarum notarum 15. recipere voluit, ut ex antecedentium & consequentium præsidiis tutior degeret, de quo paulò post: 8. *ex sanctitate* & 9. *ex efficacia ipsius doctrinæ*, de qua distinctim considerandum, ut postea sequetur, 10. *à sanctitate vitæ* primorum antiquorum patrum, quos omnes Pontificiæ doctrinæ ex asse in omnibus articulis, favisse impudenter jactitant: 11. *ex gloriâ miraculorum*, qualia à nobis contra Scripturam requirunt.

LXXXII. 12. *Ex confeßione propria adversariorum*, quam malitiosè & perversè al-

legant, ut infra patebit, præsertim D. Lutheri, qui *in libro contra Anabaptistas* scripsit hæc verba: *Nos fatemur, sub Papatu plurimum esse boni Christiani, imò bonum Christianum, atq; etiam illinc ad nos deveniſſe. Quippe fatemur in Papatu veram esse Scripturam sacram, verum Baptismum, verum Sacramentum altaris, veras claves ad remissionem peccatorum, verum prædicandi officium, verum Catechismum, ut sunt oratio Dominica, decem præcepta, articuli fidei. Dico insuper sub Papatu veram Christianitatem imò verum nucleum Christianitatis esse.* Hactenus D. Luth.

LXXXIII. 13. *Ex infelici exitu hostium Romanæ Ecclesiæ*, quos nimirum ipsi Antichristi Romani ob confessionem sinceram veritatis interfecerunt, pro qua veritate passi sunt Prophetæ & Apostoli, unde ex morte de religione indubitatū τεκμήριον nemo pius desumet. 14. *ex lumine Prophetico* ipsis, nisi res omnis fallit, divinitùs concesso, 15. *ex felicitate temporali*, quam nimirum sibi ipsis per mille dolos milleq; artes oppressis magistratuum politicorum axiomatibus compararunt, quæq; piis & impiis sæpe communis est.

LXXXIV. Quod autem caput, umbilicus & cauda hujus totius negotii est, in æternum

ternum non probabunt Pontificii; *Christo placuisse extruere Ecclesiam Novi Testamenti super Petrum*, & super Petri successores, Romanos nimirum Pontifices.

LXXXV. Quanquam enim Petro, propter Confessionem editam, & ita in illa confessione, dicit: *Super hanc petram ædificabo Ecclesiam*; tamē alibi per Spiritum S. monet, Ecclesiam ædificari etiam *super alios Apostolos*, id est, super Confessiones & prædicationes de Christo ex Spiritus S. instinctu ab Apostolis institutas. Huc enim pertinet, quòd *Apoc. 21, 14.* nova Jerusalem dicitur habere duodecim fundamenta, in quibus scripta sunt *duodecim nomina Apostolorum agni*, & quod *Eph. 2, 20.* Christiani dicuntur *superstructi, super fundamentum Apostolorum & Prophetarum.*

LXXXVI. Quemadmodum item *Matth. 16, 19.* Petro: ita quoq; omnibus reliquis Apostolis *Matth. 18, 18.* committuntur claves regni cœlorum. Quin eadem clavium æqualitas repetitur *Joh. 20, 23.* ad quam æqualitatem respicit Apostolus gentium, *1. Cor. 12.* admodum perspicuè definiens, quòd posuerit CHRISTUS in Ecclesia, PRIMO (attende quis primas totius Ecclesiæ esse debeat) *Apostolos* (en! non unum

aliquem) DEINDE *Prophetas*, TERTIÒ *Doctores*, &c. Ecce igitur, quàm Christus omnem primatum aboleat inter Apostolos.

LXXXVII. Si Christo placuisset ordinare Petrum, & successores fictos ejus, Papas Romanos, pro Vicariis suis in hac tota terra, utique hoc fecisset per institutionem apertam, planam, prolixam & perspicuam, qualem in *Exodo 28, 41. 43. & 29. 9. & 30, 21. & alibi* passim legimus a Deo promulgatam, in ordinatione summi Sacerdotis Aaronis, & filiorum, successorum ejus, in æternum, hoc est, ad longissima secula, & in alligatione ritus publici sacrificiorum ad unum certum locum, ubi arca fœderis asservabatur.

LXXXIIX. Neque etiam liquidò computari potest, *Petrum annos aliquot Romæ sedisse*, & sedisse ibi tanquam universalem Ephorum, neq; unâ voculâ expediri potest, post Petrum Romanis Pontificibus ullam novam divinitus contigisse promissionem.

LXXXIX. Agnoscant vel jam tandem Pontificii, ex Patrum interpretationibus sanctissimis, hoc, quòd etsi Petrum magnificè prædicant; tamen iidem concludunt,

dunt, Ecclesiam esse fundatam super Petri Confessionem, non verò super Petri sessionem.

XC. Patrum testimoniis, ut apparet, coactus *Bellarminus lib. 1. cap. 11. de Pontifice Romano*, bona quædam malis suis miscuit, ita scribens: *Cùm ratione fidei suæ indefectibilis, Petrus sit petra firmissima, totam Ecclesiam sustentans, idem est dicere*, super Petrum, & super ejus fidem *Ecclesiam esse fundatam, atq; hoc modo locuti sunt Patres.* *Bellarmini vulnerata conscientia.*

XCI. Et verum est, quòd unum & idem significare dicit, *super Cepham & super fidem Cephæ.* Hoc enim Christi sermo ad amussim exigit: Falsum est, quòd existimat & assuit, *Petri, ut Pastoris Ecclesiæ totius fidem esse fundamentum Ecclesiæ*, quia de hac re nullum extat verbum in assertione Christi, quasi propter meritum ejus fidei consecutus sit Petrus, ut esset fundamentum Ecclesiæ, & quòd in hoc consistat fundamentum Petri, ut quia ejus fides deficere non possit, ipse omnes alios in fide confirmare, & sustentare debeat, juxta illud, *Luc. 22. Et tu conversus converte fratres tuos.*

XCII. Antequam demonstremus, *Ecclesias visibiles errare posse*, sæpissimeq; erra-

rasse, modò tamen minùs graviter, modò graviùs, interdum adeò graviter, ut omnẽ Ecclesiæ nitorem amiserint, & penitus defecerint, præmittendum est necessariò discrimen quoddam inter prædicationem aliquam *impingentem in ipsam ἐυδελέχειαν & fundamentum Christianæ religionis*, & inter prædicationem aliam impingentem itidem; sed tamen *non in illam animam, & in fundamentum Religionis Christianæ.*

Quodnam sit fundamentum religionis Christianæ nuncupandum.

XCIII. *Religionis fundamentum* Theologi variè enunciare solent, quidam fusiùs, quidam strictiùs, ita tamen, ut brevitate sua istis hi nequaquam contradicant.

XCIV. *Quidam* fundamentum religionis Christianæ nominant Legem & Evangelium, *quidam* fundamentum in Decalogo & Symbolo Apostolorum contineri dictitant, *quidam* quinq; usitatarum Catechesium nostrarum capita, Decalogum, Symbolum, Orationem Dominicam & duo Sacramenta religionis Christianæ fundamentum vocare consueverunt.

XCV. Et quinq; hæc Catechismi capita illi priores confitentur esse conclusa sub brevibus nomenclationibus legis & Evangelii, alii sub decalogi præceptis & articulis Symboli Apostolici.

96. Etsi

XCVI. Etsi verò in Decalogo & Symbolo nulla Sacramentorum exstat mentio expressa & specifica, tamen quia in eisdem carnis Christi divina majestas, potentia & omnipræsentia cumprimis spectanda venit; Sacramenta quoque ad religionis Christianæ fundamentales articulos referre nemo renitetur, nisi qui hanc doctrinam, cardinalem articulum unum esse negat, scilicet carnis Christi realem Omnipotentiam, scientiam & præsentiam &c. *An Sacramentorum doctrina pertineat ad fundamentum religionis Christianæ?*

XCVII. Certè, nisi ad fundamentales articulos Christianæ religionis accensendi essent articuli de Sacramento Baptismi & Cœnæ, malè Apostolus gentium *1. Cor. 10, 2. & 11, 29.* damnationem comminaretur Cœnæ Dominicæ profanatoribus impiis, malè talibus incredulis itidem damnationem destinaret Christus de Baptismo loquens *Marc. 16, 16. Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, qui non crediderit, condemnabitur.*

XCIIX. Relegatur etiam totum *caput 5. Johannis,* & luce meridianâ clariùs evadet, unum articulum fundamentalẽ præcipuum religionis Christianæ esse illũ, de majestate potentiæ, scientiæ, judicii exercendi

cendi datâ carni Christi: qui utique in Sacramentis præcipuè etiam attendi debet.

XCIX. Breviter rem hanc omnem expediendo, *Fundamentum* religionis Christianæ *(implicitum)* continetur summis illis cardinalibusq; & plurimos alios in sese complexis articulis, 1. *de SS. Trinitate, & 2. de Jesu Christo, Mediatore & Salvatore nostro.*

C. Id quod Διαῤῥήδην asseritur *Joh. 17, 3. Hæc est vita æterna, ut te cognoscant solum verum Deum, & quem misisti Jesum esse Christum.* Et Act. 4, 12. *Non aliud nomen est sub cœlo datum* (à Deo) *hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri*, Id quod eodem libro attestante desumtum est ex *Psalm. 117, 22. & Esa. 28, 16. Lapis, qui reprobatus est ab ædificantibus, factus est in caput anguli.*

CI. Ad fundamentum igitur accensendi sunt *(explicitè)* articuli; *de Scriptura sacra* (quia inde cognoscenda sunt ista de Deo & Christo necessaria ad æternam vitam, juxta illud, *Johan. 5, 39. Scrutamini Scripturas, nam vos videmini in iis vitam æternam habere.*) 2. *de Deo* æterno, infinitæ potentiæ, scientiæ, præsentiæ, sapientiæ, justitiæ, uno in essentia & trino in personis,

unâ

unâ adoratione honorando, secundùm præscriptum, 3. *de Jesu Christo* vero Deo, simul & homine, divinis idiomatibus realiter uncto, propter peccata nostra expianda, & justitiam æternam recuperandam, ex virgine nato sine peccatis, passo, à mortuis resuscitato & exaltato, ut dominetur in medio inimicorum suorum, & in extremo die judicet omnes vivos & mortuos, prout in eo omnem spem posuerant vel non posuerant, & mediis & mandatis suis innixi vel non innixi fuerant: 5. *de officio Christi* summatim sacerdotali, prophetico & regio.

CII. Etiam cardinales articuli sunt *de Lege Dei*, *de bonis operibus*, *de peccato*, *de Pœnitentia*, *de gratuita justificatione*, *de Invocatione*, *de Sacramentis*, *& de vita æterna*, & si qui alii sunt istis similes, qui cum prioribus & his iisdem hactenus enumeratis tanquam ansulæ in eadem carenâ cohærent, & ita dependent, ut negatis iis, necesse sit, successivè moveri & convelli fundamenti impliciti illius summi principium, scilicet, noticiam Dei unius & trini, atque mediatoris Jesu Christi istam, quam, & qualem in Scripturis patefactam habemus, etiamsi prima fronte non ab omni-

omnibus, nec ab iis ipsis errantibus, animadvertebatur tantum periculum.

Fundamentum religionis Christianæ quibus opponatur.

CIII. Et hæc omnia opponuntur iis, *quorum notitia* ad salutem animarum procurandam *non est æquè necessaria*, de quibus illud vulgatum usurpatur à Theologis *Prov. 25, 27. Scrutator majestatis opprimetur à gloriâ.* Item illud Apostoli *2. Cor. 12, 4. qui raptus in Paradisum audivit arcana verba, quæ non licet homini loqui*, & quæ ipse suppressit tanquam gentibus ad salutem non simpliciter necessaria.

1. Arcano ineffabili.

CIV. Quid? quòd absq; dubio talia ineffabilia etiam Moses in monte vidit, & audivit, cui tamen nihil magis fuit curæ & cordi, quàm acutis & subtilibus commemorationibus omissis, brevissimos & clarissimos proponere doctrinæ cœlestis aphorismos, & splendidissimis sæpiusq; repetitis ὑφηγείαις ad obedientiam iis præstandam omniũ commovere animos.

CV. Pari ratione non ad omnia interrogata discipulorum suorum respondere voluit Christus. *Act. 1, 6, 7.* sed eos ad necessaria deduxit: *Non est*, (inquit) *vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ pater posuit in sua potestate; sed accipietis virtutem Spiritus Sancti supervenientis super vos, & eritis mihi testes in*

Jeru-

Jerusalem, & in omni Judæa & Samaria & usque ad ultimum terræ.

CVI. Opponuntur præterea hæc, quæ diximus, *ineptiis, & anilibus fabulis, & genealogiis interminatis*, quæ quæstiones præstant magis quam ædificationem Dei, quæ est in fide *1. Tim. 1, 4.* item *quæstionibus & pugnis verborum*, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, circa quas quæstiones aliqui languent vel insaniunt, *1. Tim. 6, 4.* & quæ pariunt inflatam scientiam, *1. Cor. 8, 1.* tanquam oppositiones falsi nominis *scientiæ*, quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt *1. Tim. 6, 20.*

2. *Anilib. ineptiis.*

CVII. Deniq; opponuntur hæc ipsa *Pontificiis*, qui fundamentum religionis Christianæ, hoc est, res ad salutem necessarias, non tantùm ex Scripturis; sed partim ex traditionibus, seu verbo Dei non scripto quærunt. Disputant enim, in Scripturis non contineri expressè totam doctrinam necessariam sive de fide, sive de moribus, & proinde præter Verbum Dei scriptū, requiri etiam necessariò propter æternam salutē Verbum Dei non scriptū, id est, divinas & Apostolicas traditiones.

3. *Pontificiarum traditionib.*

108. Et

CIIX. Et ne quid prætermittant impudentiæ, *Baptismum infantum*, *perpetuam virginitatem Mariæ*, ex Verbo Dei scripto ratum haberi non posse audacter dictitant: quidam ex eadem illorum schola progressi etiam Sacrosanctæ *Trinitatis* mysterium non nisi ex traditionibus satis firmiter affirmari posse dixerunt.

CIX. Sic enim *Eccius* in locis: *Trinitas nulla ratione probari potest è sacris literis, sed est traditio Ecclesiæ.* Hæc ille. Vide quoq; *Emmertingensis colloquii* epitomen à Pistorio editam, ubi contra Pappum probatur hoc argumento necessitas illa traditionum.

CX. Huc postea referunt, quæ ad *materiam & formam Sacramentorum* (nimirum, quæ Sacramenta illi ipsi, extra Scripturam etiam confinxerunt) pertinent: item *jejunium* quadragesimæ, & quatuor temporum, certorum dierum jejunia, *signum crucis* in fronte pingendum. Huc item pertinere volunt illa, quòd *quatuor tantùm sint Evangelia*, idq; ex nulla Scriptura; sed tantùm ex traditionibus constare pugnant: de quo ultimo superiùs est actum.

CXI. Verum, quod Pontificios attinet,

net, sicut inficias ire non possumus, tam Christum, qu'm Apostolos, multa fecisse & dixisse, quæ literis comprehensa non extant, idq; propter illud *Act. 20, 35. Melius est dare, quàm accipere*, quod nuspiam reperitur in Evangelis, & propter illud *2. Thes. 2, 15. State & servate traditiones, quas accepistis, sive per sermonem, sive per Epistolam nostram*: ita etiam vice versâ necessariò illud nobis inviti cogentur largiri adversarii nostri, ipsis Apostolorum adhuc viventium temporibus, multas suppositicias in Ecclesiam importatas fuisse traditiones, quæ res necessitatem imposuit gentium Doctori, tum quoque temporis admonendi Ecclesiam, ne patiatur sese talibus traditionibus à puritate fidei in Christo Jesu seducere.

CXII. Hoc enim illud ipsum est, quod *2. Thess. 2, 2.* ait: *Non citò moveamini à vestro sensu, neque terreamini, neque per Spiritum, neq; per sermonem, neque per Epistolam, tanquam à nobis missam, quasi instet dies Domini.*

CXIII. Eundem lusum acerbum Ecclesiæ Dei nimis maturè ludere cœpisse, sequentibus seculis, Pontifices Romanos, ad omnem posteritatem testimonium lu-

crilentissimum præbet illud, quòd circa annum Christi 413. legati Pontificis Romani proferunt canonem sub titulo, nomine & inscriptione *Concilii Niceni* augustissimi, talem, cujus auctoritate exigitur, *ut omnes Africanæ Ecclesiæ subjiciantur uni Romanæ Ecclesiæ.*

CXIV. Quid fit? Patres in Concilio congregati, inter quos fuit *Augustinus*, missis legatis ad Ecclesiam Alexandrinam ad Cyrillum, & Constantinopolitanam, utramq; tunc florentissimam, petunt sibi communicari incorrupta exemplaria Canonum Niceni Concilii, id quum impetrâssent, en illicò deprehendunt, Romanum Pontificem crimen falsi manifestum commisisse, in describendis & urgendis canonibus Concilii Niceni.

CXV. Legatur insignis Epistola Africani Concilii ad Cœlestinum Papam eo tempore perscripta: cujus epistolæ verba initialia sunt hæc: *Ut aliqui tanquam à tuæ sanctitatis latere &c.*

CXVI. Quantopere sudet *Bellarminus lib. 2. cap. 25. de Romano Pontifice* in abstergendo crimine illo & purgando Papa Romano; sed planè frustra, quotquot ipsius integrum jam allegatum caput integra-

mente

mente & sapienti attentione examinabunt, etiam saniores ipsi ex Pontificiorum Ecclesiis, apertè fateri necessū habebunt.

CXVII. Quæ cùm ita sint, vix cordatus aliquis inter ipsos Pontificios amplius dubitabit, etiam alia tot seculis interim plurima fuisse in Patribus, Conciliorum canonibus, & traditionum Apostolicarum jactatis decretis mutilata, mutata, conspurcata, vel pravis additionibus, vel levissimis detorsionibus vel noxiis detractionibus, ideoque omnium illarum rerum rationes hodie prius & unicè ad normam scriptorum divinorum omni jure exigi debere.

CXXIIX. Et continet verò tota divina vetus, & tota divina nova Scriptura, nedum utraq; conjunctim, omnes necessarios scitu ad salutem æternam articulos. *In scripturis sacris V. T. continentur omnia, quæ ad salutem scitu sunt necessaria.*

CXIX. De veteri Scripturâ ante inchoatam scriptionem novorum librorum, Salvator ipse judicium adversus nostros impios censores profert gravissimū illud *Joh. 5, 39. Scrutamini Scripturas, nam vos videmini vitam æternam in iis habere.* Et divitem epulonem, ad visiones, (revera Pontificiorum revelationibus nugacibus similimas,) confugientem, & peren-

tem mitti ex mortuis, qui doceat fratres suos impios, etiam graviter per Abrahamum eodem pacto refutat: *Habent Mosen & Prophetas, audiant illos, Luc. 16, 29.* Ecce, qui legit veteres Scripturas, vel qui audit Mosen & Prophetas, is satis inde percipiet, ut accipiat vitam æternam, & ne veniat in locum tormentorum, ut ibidem docet Christus, ante susceptam novi Testamenti scriptionem.

CXX. Cum quibus conspirat Apostolus & ipse de *veteri* sic communiter indigitato, Testamento, sermocinans, in illa, ut computant docti, sub finem vitæ suæ scripta *2. Tim. 3, 14. 15. At tu persiste in his, quæ didicisti, & quæ tibi concredita sunt, sciens, à quo didiceris, & quòd à puero sacras literas noveris, quæ te possunt erudítum reddere, ad* SALUTEM, *per fidem, quæ est in Christo Jesu,* & quòd mox ibidem in hunc eundem sensum monet; *Omnis Scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corrigendum, ad erudiendum, in justitia, ut perfectus sit homo Dei, ad omne opus bonum instructus.* Hactenus de veteri Testamento, seu de veteri Scripturâ.

In scripturis sacris

CXXI. De novo Testamento, seu de nova Scripturâ, & in specie, de suo Evangelio

gelio uno docet *Johan. c. 20. v. ult.* his verbis: *Hæc scripta sunt, ut credatis, quòd Jesus est Christus, ille Filius Dei, & ut credentes vitam habeatis per nomen ejus.* Idem testimonium perhibet suæ *Epistolæ ad Philippenses* exaratæ Apostolus *cap. 3, 1. Eadem scribere vobis me quidem haut piget; vobis autem tutum est.*

novi testamenti continentur omnia, quæ sunt scitu necessaria ad salutem.

CXXII. Invicto igitur modo inferimus, multò magis nunc conjunctim totum codicem Biblicum abundantissimè & perfectissimè plenissimeq; in sese continere omnia, quæ hominibus ad salutem scitu sunt necessaria, *2. Pet. 3, 1, 2.* quorum nimirum totam summam pientissima vetustas ante Scripturam veterem in brevi aphorismo hoc quotidiè considerabat: *Semen mulieris conculcabit caput serpentis, Gen. 3, 15.* in quo brevi aphorismo etiam omnes fundamentales & cardinales articuli, omnibus ad salutem necessarii, latent.

Ante Scripturam veteris testamenti omnia scitu necessaria ad salutem continentur in uno brevi aphorismo hoc, Semen mulieris conculcabit caput serpentis.

CXXIII. Sed ad rem. *Errare electos singulares etiam in fundamento*, ita tamen, ut in illis erroribus non permaneant, ex exemplo Aaronis & Pauli, sub personâ Ecclesiæ Christum ipsum persequentis, liquet. *Exod. 32, 5. 1. Tim. 1, 13.*

Ecclesiam errare posse (& reipsa errare.

CXXIV. Errare in eodem fundamento etiam *Ecclesias particulares*, convincunt

ea, quæ 2. Par. 15, 3. de Ecclesiâ Israëlitica, seu decem tribuum commemorantur, *transisse dies multos absq; Deo vero, absq; Sacerdote, absq; Doctore & absq; lege*: Item ea, quæ de Ariana Ecclesiarum vastatione referunt plurimi Ecclesiastici scriptores, *Socrat lib. 5. cap. 5.*

CXXV. Adde, quòd olim sub Noa, sicut etiam post Noham in patriâ Abrahami, sicut ante Babylonicam captivitatem putidissimas exercuerunt Impietates & idolomanias integræ Ecclesiæ, factæ ex filiis Dei filii hominum *Gen. 6, 2.* servientes Diis alienis, *Jos. 24, 2.* Fornicatæ cum filiis Ægypti vicinis suis magnorum membrorum, multiplicatis fornicationibus ad irritandum JEHOVAM. *Ezech. 16, 6.*

CXXVI. Annon etiam in Ecclesiâ Corinthiaca & Galatica idolorum cultui cõniventes, & Judaizantes deprehendit plurimos Apostolus? *1. Cor. 10, 20, 21. Gal. 1, 6.*

Object. cum Resp. CXXVII. Neq; est, quòd objiciat aliquis, Ecclesiam novi Testamenti ampliores habere promissiones, præ Ecclesiâ veteris Testamenti. Imò omnia utriqueEcclesiæ sunt communia, quoad promissiones de assistentiâ Spiritus sancti, de conservatione, de multiplicatione in omnes

partes

partes orbis terrarum, sicut Prophetæ, Jonas & Abdias mittuntur, alii scribunt suas prophetias adversùs gentes, ut licet videre in Prophetarum scriptis, *Esaiæ 13. usque ad 21. Item. 34. & 41. & 47. Jer. 25. & 46. usq; ad 52. Ezech. 27. & 29. & 32. & 35. Os. 14. Joel. 3. Amos 1. & 2. Hab. 1, 5. Soph. 2.* Gentium illarum nomina lector ex his ipsis allegatis locis petat, & rem ipsam latiùs consideret, quomodo nimirum Prophetarum prædictiones eventibus ipsis certissimis, sæpenumero celerrimis fuerint comprobatæ & completæ. Tantummodò singularia quædam habebat Judaica Ecclesia, propterea, quòd ex ea Messias nasci debebat. *Rom. 9, 4, 5.*

CXXIIX. Et nisi tum electos, tum Ecclesias N. T. hoc pacto errare posse præsciviſſet ex Spiritu Apostolus, non tam exquisitis usus passim & sæpius fuisset admonitionibus. *Matth. 7, 15. Rom. 11, 20. 1. Cor. 10, 14. 2. Cor. 11, 3, 4, 13, 14. Galat. 3, 1. & 4, 11. & 5, 2. 1. Timoth. 4, 1, 2. Thess. 2, 19.* & alibi passim, ut singuli fugiant ab idololatria, ut fugiant à cultu idolorum, à doctrina dæmoniorum caveant, caveant sibi à Pseudoprophetis, à Pseudoapostolis, à Satana, transfiguraute se in angelum lucis,

ab Antichristo, cujus est adventus secundùm operationem Satanæ, in omni virtute & signis, & prodigiis mendacibus & in omni seductione iniquitatis.

CXXIX. Sæpè igitur tum optimi visi singulares homines alii, tum integræ Ecclesiæ admodum puræ, initiò vitæ aliæ, per tales errores, ex piis impii, ex Sponsis Christi turpissima Satanæ prostibula, ex civibus Ecclesiæ veræ, fiunt cives Ecclesiæ falsæ, penitùs mutantur, inq; æternum pereunt.

CXXX. Annon passim hodiè etiam per totum orbem dispersi populi plurimi, cùm praviſſimarum de Deo, & Filio ejus Jesu Christo opinionum monstris conflictantur?

An universa militans Ecclesia errare & errare possit.

CXXXI. *Universalem* tamen *Ecclesiam Christi militantem*, hoc est, omnes (post Adamum ex Paradiso ejectum,) particulares Ecclesias, quotquot in toto orbe reperiri potuerunt, uno tempore & seculo, simul & semel in fundamento ita errasse, ut ne unum in illis individuum ab illo errore in fundamento principali purum manserit, nuspiam legimus in ullis historiis, quæ in hunc usque diem contigerunt & mo-

& monumentis publicis commendatæ fuerunt.

CXXXII. Speramus etiam & certò confidimus, Deum suo Sancto Spiritu illud ipsum in posteritate nostra operaturum, & hoc respectu ac fiducia promissæ perpetuæ præsentiæ divinæ, nunquam totam Ecclesiam universalem, in omnibus suis particularibus, in fundamento erraturam & perituram; sed (licèt in paucissimis subinde electis, tamen) manuram veritatis columnam & stabilimentum, *1. Tim. 3, 15.*

CXXXIII. Adversùs has sententias & confessiones Ecclesiarum nostrarum Pontificii pugnant acerrimè, & vice perversa unicè obtinere conantur, *Ecclesiam errare non posse.* *Ecclesiam errare non posse secundum Pontificios, sed quomodo vide.*

CXXXIV. Ubi *primò* omnium simpliciores observare decet hoc, quòd *Ecclesiam* intelligant *suam, Romanam* videlicet, cujus Episcopum volunt haberi pro capite omnium Ecclesiarum particularium & visibilium in toto mundo.

CXXXV. *Deinde*, ut voto suo feliciùs potiantur, apud *Bell. lib. 3. cap. 14.* illud de Ecclesiâ militante, *quòd non possit errare*, ita interpretantur, nimirum in eo non er-

rare Ecclesiam, quod *consentienter tenent* omnes fideles tanquam de fide, & similiter in eo (ecce strictiùs agunt) quod docent *omnes Episcopi*, Ecclesiam totam repræsentantes, tanquam ad fidem pertinens.

CXXXVI. Ecce, sic salva pro istis res est. *Omnes Episcopi*, secundùm ipsos, repræsentant totam universalem militantem Ecclesiam & omnes Episcopi obstringuntur sedi Romanæ juramentis peculiaribus, quorum summa habetur in *Decretalibus* lib. 24. de jurejurando, *quòd ab ea hora fideles esse velint S. Petro, sanctæ Apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, Dominoq; suo Papæ, ejusq; Successoribus canonicè intrantibus, non velint esse in consilio vel facto, ut vitam perdat aut membrum vel capiatur mala captione. Consilium* (pergit jurare Episcopus) *quod mihi aut per se, aut per literas, aut per nuntium manifestabit, ad ejus damnum nulli pandam: Papatum Romanorum & regulas Sanctorum patrum, adjutor ero ad defendendum (salvo ordine meo) contra omnes homines.* Hæc illi jurant.

Juramentum Pontificiorum Episcoporum.

CXXXVII. Hodie juxta Pii IV. institutionem jurant speciatim in traditiones Apostolicas & alias Ecclesiasticas, in septem Sacramenta, eorumque receptos ritus, in do-

in doctrinam de peccato originis & justificatione à Concilio Tridentino confirmatam, in Missam, & Transsubstantiationem, & unam speciem, in purgatorium, in sanctorum invocationem, in venerationem reliquiarum sanctorum, in indulgentias. Vide *Onuphrium* in dicti Pontificis vita, qui Pontifex fuit Doctor Juris, quemadmodum post ipsum Doctores Juris fuêre Gregorius XIII. Urbanus VII. Gregorius XIV. Innocentius IX. & alii, teste Onuphrio in vitis eorum. Tam maturè nimirum Theologicis sese consecrarunt.

CXXXIIX. Ipse quoque *Papa* secundùm *sess. 39. Concilii Constantiensis* inter alia pollicetur, se firmiter tenere, fidem catholicam, secundùm traditiones Apostolorum, generalium Conciliorum, & aliorum Sanctorum Patrum, maximè autem Sanctorum Conciliorum universalium, & quòd illam fidem, usque ad unum apicem immutilatam servare & usque ad animam & sanguinem defensare velit, ritum quoque pariter & Sacramentorum Catholicæ Ecclesiæ traditum canonicè omninò prosequi & observare, &c.

139. Jam

CXXXIX. Jam igitur Pontificii gloriantur, hos Episcopos congregatos, id est, conjuratos, ad defendendam fidem, (id est, Papæ nequitiam,) errare non posse, nimirum, quia in iis persistere volunt, quæ semel impius Papa unus post alterum præscripsit. Et verum est, quòd in hac malitia & nequitia continuanda, hactenus non erraverint.

CXL. Sed nos convertamus nunc mentem & oculos, post conspirationem & conjurationem in scelera illa perpetranda factam; ad Religionem sacram, utrùm cum fundamento Scripturæ convenientem, nec ne habeant Pontificii: Utrùm Romana illa Ecclesia olim errarit à Scripturæ veritate, vel non errârit, ibi profectò consensus talis deprehendetur, qualis est inter picam vel cuculum & interluscíniam.

An Romana Ecclesia, quæ rebus tantùm est una particularis, (sicut olim Antiochena) errârit?

CXLI. Et operæ pretium fecerunt Doctissimi Viri, qui illam dissonantiam inter Scripturam & Papatum quoad singulos articulos religionis Christianæ contexuerunt, & jamdudum toti orbi terrarum demonstrârunt, quomodo nimirum Scripturam sacram Papatus imperfectionis arguat blasphemiæ: quomodo Ethnicos

tos errores & abominationes fovear, de invocatione mortuorum nominum: quomodo colat in Missâ magnum illum Deum Maozim in inclusione, circumgestatione, & adoratione panis consecrati: quomodo ex doctrinâ dæmoniorum conjugium prohibuerit clericis, interimq; inclusos mares & fœminas in delubris, ceu in carceribus, quoad animam & quoad corpora excruciârit, quomodo contendat contritione, & enumeratione omnium peccatorum etiam clandestinorum, & canonicâ satisfactione impetrari remissionem peccatorum, quomodo vendat indulgentias, defendat fabulam purgatorii, quomodo discrepantes à suis idolomaniis persequatur ignibus, ensibus, funibus, gladiis, rotis, quomodo mutilaverit, Sacramenta divina, de qua re in *Concilio Constantiensi Anno 1415 sess. 13.* inquiunt, *licet Christus sub utraq; specie instituerit hoc Sacramentum; tamen* HOC NON *obstante constituit Ecclesia*, &c. quomodo gravius hodiè puniant vescentem carnibus die sexta in septimana, quàm alium adversus legem Dei peccantem; quomodo opera supererogationis vendiderint, &c. ut relinquamus reliquas stabuli Augiæ fœtidissimas merces,

142. Ac-

Pharisaism. antiq.

CXLII. Accusantur *Pharisæi*, qui tempore Christi in terris hisce visibiliter cum hominibus conversantis Ecclesiam rexerunt, quòd multas humanas constitutiones invenerint, quibus & seipsos macerarent, & cæterorum hominum conscientias onerarent, præteritis interim & solutis Dei præceptis, *Matth. 13. & 23. Marc. 7. Luc. 11. Actor. 15.* quòd rituum superstitiosâ observatione & vestium privato cultu singularem sanctitatis speciem venditarint, *Matth. 15. Luc. 11.* quòd Sabbatho ne ægrotum quidem sanandum, neque spicas esurientibus evellendas, putarint, *Matth. 12. Marc. 3. Luc. 6. & 14. & Joh. 5. & 7. & 9.* quòd voluerint, cum Publicanis ac peccatoribus non esse capiendum cibum, & lavandum semper, quoties cibus sumendus esset, & à foro discederetur, urceos quoque, item lectos, atq; alia multa identidem lavanda *Matth. 9. & 15. Marc. 2. & 7. Luc. 11. & 15.* quòd uxori ex quavis causâ scripto divortii instrumento, nuncium remittere permiserint, *Matth. 19. Marc. 10.* quòd melius esse dixerint, de facultatibus aliquid in templum conferre, quam egenos parentes alere, *Matth. 15. Marc. 7.* quòd ex præscripto proprio

prio bis in hebdomade jejunarint, & bona sua omnia decimârint, etiam mentha & anethum, & cuminum, *Matth. 23. Luc. 11. & 18.* quòd fidem suam jurejurando astrinxerint, non solùm per Dei nomen, quòd ipse Deus concesserat; sed & per cœlum & per terram, & per Hierosolymam, per templum, per altare, & per caput proprium *Matth. 5, 1. & 23.* quòd claves regni cœlorum sibi unis assumserint, *Matth. 23. Luc. 11.* quòd de Messia nihil, vel prorsus parum, & tantummodò terrena somniarint. *Matth. 22.*

CXLIII. Accusantur iidem Pharisæi, quòd virginitatis & continentiæ votis ad certos annos se astrinxerint, quòd quidam ex iis asserè dodrantis tantùm latitudine, alii lapillis, alii spinis dormituri incubuerint, apud *Epiphanum 1. contr. hæreses*: quod item animas quidem incorruptas esse; solas tamen bonorum in alia migrare corpora, improborum verò interminato supplicio cruciari sentirent, quòd fidem suam jurejurando neque Regi, neque Cæsari obligare voluerint, quòd futurorum præscientiam ex Dei colloquiis jactitarint, apud *Joseph. de bello lib. 2. c. 7. & antiq. lib. 17. c. 3.*

144. Ac-

CXLIV. Accusantur *Sadducæi*, quòd negarent mortuorum resurrectionem, nec animarum vel supplicia vel honores crederent; sed eas simul cum corporibus interire, *Matth. 22. Act. 23.* quòd dicerent, neque Angelos esse, neque Spiritum sanctum *Act. 23.* Accusantur etiam Scribæ, quòd soli literæ Biblicæ inhæserint ineptè.

CXLV. Hæc fuerunt fermè πατρῳ παράδοξα Pharisaica, & Sadducæica, ex quibus etsi Pharisæi Sadducæis puriorem fidem habuerunt, tamen & Pharisæi & Sadducæi à Johanne Baptista & à Christo admodum severè tractantur.

CXLVI. Videns enim Johannes multos Pharisæorum & Sadducæorum, venientes ad Baptismum suum, dixit eis: *Progenies viperarum, quis vobis demonstravit fugere à ventura ira? Matth. 3, 7.* & paulò post ibidem de iisdem dicit: *Paleas comburet Christus igne inextinguibili.*

CXLVII. Et Christus Matth. 5, 20. *Nisi abundaverit justitia vestra, plus quàm Scribarum & Pharisæorum, non intrabitis in regnum cœlorum.* Item cap. 6, 2, 5, 16. *Quum facis eleemosynam, noli tuba canere ante te, sicut hypocritæ faciunt in synagogis & in vicis, ut honorificen-*

ficentur ab hominibus. *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Idem in ipsos vibrat de Jejuniis & orationibus, quæ coram hominibus ab ipsis instituebantur, ut viderentur. *Amen, amen* (iterum inquit) *receperunt mercedem suam.*

CXLIIX. Iterùm *Cap. 12, 39.* vocat eos *nationem malam & adulteram.* Cap. 15, 14. *duces cæcos cæcorum.* Cap. 23. aliquoties *væ* ipsis denunciat: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia claudits regnum cœlorum ante homines, vos non intratis, & intrantes non finitis intrare: Væ vobis Scribæ & Pharisæi, hypocritæ, qui comeditis domos viduarum, orationes longas orantes, propter hoc amplius accipietis judicium. Væ vobis Scribæ & Pharisæi, hypocritæ, quia circuitis mare & aridam, ut faciatis unum proselytum, & cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ duplo quàm vos. Væ vobis duces stulti & cæci, excolantes culicem, & camelum glutientes, qui mundatis quod de foris est, calicis & paropsidis; intus autem pleni estis rapinâ & immunditia. Væ vobis Pharisæi & Scribæ hypocritæ, quia similes estis dealbatis sepulcris, quæ à foris apparent hominibus speciosa, intus verò sunt plena ossibus mortuorum, & omni spurcitie. Serpentes & genimina viperarum, quomodo fugietis à judicio gehennæ?*

An Lutherus molliori brachio Pontificios in sua verè extraordinaria habita reformatione tractare debuerit.

CXLIX. Cùm verò Pontificiorum βδελύγματα longè sint plura & fœdiora Phariſæorum erroribus omnibus, quænam, putas, Divum Lutherum & alios ipſius fideles paraſtatas crimina commiſiſſe, quòd Papatum graviter taxârunt, & acerbis dicteriis, pro iſtorum temporum occaſione, & pro neceſſitate iſtam ſeveritatem requirente tractarunt, quæ Piſtorius colligere in unum acervum indeque Lutheri maliriam probare conatus fuit, adeoque quòd nominarunt Papatum abominationem omnis idololatriæ ab omnibus Diabolis ex inferni barathro productam.

CL. Viderit igitur Apoſtata Piſtorius in vita ſua, num apoſtaſiæ ſufficientes habuerit cauſas & compellatus num rectè jurarit, quando in ſcripto contra Heerbrandum, *jurat per Chriſtum, per ſpem æternæ ſalutis, ut mihi* (inquiens) *miſericordiam ſuam in extremo judicio Chriſtus Jeſus non tribuat, ſi quid temerè feci, ſi à Lutheranis ad Pontificios diſcedens non ſpectavi hoc unicum, ut verè Chriſti Eccleſiæ adjungerer*, &c.

CLI. Si Chriſtus maximam fecit injuriam Phariſæis, quando in eos tam vehementer invehitur, tùm Lutherum hac eadem

eadem de causâ accusare jure possunt Pontificii, quòd in eos nimis rigidum strinxit calamum.

CLII. Neque enim *Pharisaismus*, neque etiam *Papismus* vera est Ecclesia, nisi tenebras lucem, & Satanam Christum voluerit perhibere, cujus utriusque tam grandes contra Verbum Dei & quidem contra aliquot fundamentales articulos prostant errores. *Papismus seu Papatus non est vera Ecclesia.*

CLIII. Pulcerrima Sponsa Christi fuit Ecclesia Romana in juventute sua, primis post ascensionem Christi annis; sed seculis aliquot elapsis, degeneravit in libidinosissimam meretricem, quæ suis blandis amoribus dementavit plurimorum incolarum terræ animos.

CLIV. Id quod inprimis dictum esto malitiosorum Sacerdotum cohorti, qui miseras oves in tanta præcipitia seduxerunt & seducunt.

CLV. Porrò si quæras, *utrumne sub Papatu nulla omninò olim fuerit & hodie sit vera Ecclesia?* distinctim, & ordine respondendum erit. *An sub Papatu fuerit & sit vera Ecclesia alsqua.*

CLVI. *Ministri sub Papatu*, ut etiam Pharisaismo, duplicem habuerunt & habent respectum, nempe 1. in iis, *quæ Scri-*

ptura consentanea explicabant & explicant, Christi vices & ordinarium ministerium peragebant, & peragunt, in 2. iis verò, *quæ de suo assuebant*, & assuunt, regni Baalitici aut Antichristi mensuram implebant & implent.

CLVII. Cùmq; in iis, quæ Scripturis & institutioni Christi consentanea, tractantur, ipse Christus efficax operetur, & ita efficacia ministerii non à personâ ministri pendeat, utique semper aliquod majus vel minus, vel *minimum sanctum semen* habuit & habet Deus sub medio Papatu, quoties Verbum ipsius prælegitur, & ut in se est, explicatur, recipiturq;.

CLIIX. Nec enim historia Passionis Dominicæ, lectiones integræ & puræ Euangeliorum & Epistolarum Dominicalium, textus Decalogi, & capita Symboli Apostolici, puræ cantiones, & præsertim Davidici Psalmi & alia capita Bibliorum desinunt esse divina organa & media, quando citra perversionem & detorsionem & depravationem, licèt ab impuris alioquin hæreticis, adhibentur, quin potiùs non obstante vel impediente Magistrorum improborum impietate, manent media salutis, quibus plurimi animi inter medi-

medios hæreticorum cœtus, mirabiliter permoventur & convertuntur.

CLIX. Sic enim, quando Pharisæi & Scribæ prælegebant populo monumenta Mosaica & Prophetica, Christus eos audiendos esse statuit, & verba Dei ex ipsis audientes, & supra traditionem Patrum in esse magnificentes juxta admonitionem, *Cavete à Pseudoprophetis Matth. 7, 15.* salvari innuit, *ibidem.* *An sub Pharisaismo fuerit Vera Ecclesia.*

CLX. Quanquam ipsi interim æquè maximis & densissimis superstitionum & traditionum humanarum nebulis toti excœcati essent & gehennæ filios facerent, quotquot in iisdem contra verbum Dei magnificiendis perseverarent.

CLXI. Quæ omnia clarissimè partim, partim validissimè concluduntur ex toto *capite Matth. 23.* & præsertim ex *versu 2. 3. 13, 15. Super cathedram Mosis sedent Scribæ & Pharisæi, omnia ergo, quæcunq; dixerint vobis, servate & facite; secundùm opera verò eorum nolite facere.* Quales enim ipsi sint, mox ibidem subjicit: *Væ vobis Scribæ & Pharisæi hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum ante homines, vos verò non intratis, nec introeuntes sinitis intrare: Væ vobis Scribæ & Pharisæi, hypocritæ, quia circuitis mare & aridam, ut faciatis*

unum proselytum, & cùm fuerit factus, facitis eum filium gehennæ, duplo quàm vos. Hæc omnia Christus.

CLXII. Discernendum igitur est hodie quoque eadem ratione, inter ipsa cœlestis regni Domini nostri Jesu Christi *media*, quæ Deus hominibus ex inenarrabili misericordiâ ordinavit & præscripsit; deinde inter *accidentarias corruptelas*, & accidentarias idololatrias superstitiosasq; accessiones & ἐθελοθρησκείας.

CLXIII. Illis enim, tanquam instrumentis & organis divinis, solis convocatur, colligitur & propagatur Ecclesia Christi: His verò superstitionum zizania seminantur in simplicis & miseræ plebeculæ animis. Qui illa his præponunt & præponderant, salvantur; qui contrarium faciunt, periculosum statum habent.

Qui fuerint vera Ecclesia sub Papatu.

CLXIV. His ita prælibatis, uniuscujusque committimus judicio & sobrio arbitrio, annon superioribus seculis sub mediis densissimisq; tenebris Papatus tamen fuerint *quamplurimi*, qui ex auscultatione prælectorum Evangeliorum & Epistolarum Dominicalium, ex purioribus hymnis Ecclesiasticis, de officio & merito Christi orthodoxè sonantibus, ex histori-

storiâ passionis Dominicæ, ex Catechismi capitibus prælegi & inculcari solitis, si non ante, tamen circa ultimum vitæ tempus, sanam doctrinam agnoverint, & operum meritum abjecerint, inq; solo Christo mediatore inter mortis angustias discesserint, dimissis & neglectis iis, quæ ex Monachis antea de operibus supererogationis ac meritis sanctorum audiverant, variisq; ita per ignem ultimæ tentationis exustis idololatriis, superstitionibus, indulgentiarum jactitatis antea virtutibus.

CLXV. Expendantur quatuor inter alia *exhortationes Gersonis* apud morientes faciendæ in hortulo animæ, circa finem, post precum formas ad quotvis sanctos recitandas, & *sex interrogationes*, apud morientes instituendæ, & orationes apud morientes recitandæ, inter quas una habet hæc verba: *Deus meus, piissime Pater, miserere mei, Deus meus, piissime Pater, in manus tuas commendo Spiritum meum. Pater misericordiarum, misericordiam fac pauperculæ huic creaturæ tuæ, adjuva me nunc etiam in hac ultima necessitate, Succurre Domine jam animæ egenti & desolatæ, ut non malignis Spiritibus captivetur & à canibus infernalibus devoretur. Dulcissime JESU, ob honorem &* *Precatio sub Papatu in articulo mortis recitata.*

virtutem tuæ benedictissimæ passionis jube me recipi intra numerum electorum tuorum. Salvator meus & redemtor meus, reddo me totum tibi, non me renuas, ad te venio, non me repellas, Domine paradisum tuum postulo, non ob valorem meorum meritorum; sed in virtute & efficacia tuæ benedictissimæ passionis, per quam me miserum redimere voluisti, & mihi paradisum precio tui sanguinis emere dignatus es. Hæc ibi.

Martyres sub Papatu ab quam innumeri.

CLXVI. Non attingimus illos, qui sub medio Papatu *doctiores & cordatiores* idololatriam & superstitionem multiplicem egregiè agnoverunt, ex verbo Dei constanter & *publicè refutârunt* ac damnârunt, adeoq; extrema supplicia pro illa veritate sustinuerunt. Quorum catalogum, ah quam prolixum! ex singulorum seculorum examinatis historiis colligere promtissimum esset.

Etiam rustici tenentur nosse brevia è Scripturis

CLXVII. Interim verò nequaquam patrocinandum esse novimus supinæ negligentiæ & Diabolicæ malitiæ multorum, auditorum æquè ac doctorum. (Nullam enim vel horum vel illorum admittere volet Deus excusationem. Omnes enim inquirere veritatem debent saltem ea diligentiâ, quarum nullam in terrenis bonis investigandis ultra centum millia-

ria

ria prætermittunt,) qui aut in vitâ aut in agone mortis illam puritatem satis agnoscere & aspicere vel non potuerunt, quia non studuerunt; vel non voluerunt, sub Papatu. *fundamenta suæ fidei.*

CLXIIX. Si verò omninò sub Cimmeriis Papatus tenebris nulli ex adultioribus Ecclesiæ nomenclationem obtinuissent, quod tamen asserere nolumus; tamen tunc inter medium Papatum axioma illud omni jure habuissent *infantes baptizati*, quorum plurimæ myriades obierunt, antequam ad annos discretionis plenioris illos pervenerunt, in quibus idolomanias ritè cognoscere & judicio nullis offuciis impedito liberrimè approbare & defendere possent, seu, ut *liber Sap. c. 4. 11.* loquitur, *antequam malitia illorum intellectum perverteret.* *Infantes sub Papatu.*

CLXIX. Quemadmodum autem hodie extra Papatum in extremis Septentrionis Insulis suppolaribus, & aliis, ut Islandia, Gronlandia, item in Moscovia, & vicinis servientibus Moscoviæ provinciæ, item apud Christianos, numero admodum multos & propemodum infinitos, qui inter Tartaros & Turcas mixti reperiuntur, in hunc usque diem, adeò ut Turcis *Olim & hodie multæ veræ Ecclesiæ extra Papatum.*

Christianos numero duplatim superiores & plures esse multis in locis docti constanter afferant, qui terras omnes istas exploratas habent: quemadmodum item per Thraciam, Macedoniam, Mysiam, Græciam, Asiam minorem, Syriam, Ægyptum, Cyrenen, Africam, & multas maris mediterranei Insulas, item in Armenia, Arabia, amplissimo Persarum regno, in India, in Orientalis Oceani Insulis propè infinitis, in Æthiopia, quemadmodum (inquimus) hodie extra papatum plurimè reperiuntur Ecclesiæ Christianæ veræ, alicubi puriores, alicubi minùs puræ, sicut eandem de Personâ Christi, de majestate carni communicata, & de reali corporis & sanguinis Christi præsentiâ, Græci & orientales Ecclesiæ, Ruthenicæ, Armeniæ, Æthiopicæ, Indicæ nobiscum profiteri scribuntur: ita quoque sub veteri Papatu ante hac apud Armenios, Æthiopes, Græcos & alibi veram Ecclesiam Christianam viguisse constat.

CLXX. De quibus omnibus veteribus & novis, non contemnendam ex Historicis monumentis συνοψιν collegit *Philippus Nicolai in libro de regno Christi.*

CLXXI. Porrò, ut illud quoque adji-

adjiciamus, in hoc competente loco, quemadmodum Pontificiarum Sacerdotibus, ita quoq; Sacramentariarum & Calvinianarũ Ecclesiarum ministris, *duplicem* assignare *respectum*, certè unumquemque cordatum, & sine omnium affectuum turbine judicaturum, ipsa coget conscientia & necessitas. *An apud Calvinianos sit vera Ecclesia.*

CLXXII. *Primò* enim, cùm Verbi sui prædicationibus & auscultationibus genuinis, & Sacramentorum suorum distributionibus & usurpationibus, præsentiam, & efficaciam suam singularem promiserit, semperq; fideliter præstiterit Filius Dei, sicut ex analogia illius *Rom. 11, 29.* patet: *Dona Dei sunt ἀμεταμέλητα*, utiq; in iis omnibus, quæ sacrorum Oraculorum sincero tenori consentanea in concionibus proponunt, & Christi Jesu ordinationi, in Sacramentorum fundamentalib9 dispensationibus congruentia peragunt & administrant ministri Calviniani, *ipsius Christi Jesu vices ordinarias eos sustinere*, Ecclesiamq; Christi hoc pacto convocare & propagare, omnesq; & singulos, ea media pura, secundùm tenorem Verbi divini & ordinationem Christi amplectentes, vera Eccle-

Ecclesiæ Christi veræ membra inter eos esse, profitemur.

CLXXIII. *Secundò*, cùm Christus ipse *Matth. 7.* jubeat cavere Pseudoprophetas, quales sine omni dubio sunt, qui fundamento scorias superædificant, *1. Cor. 3.* utique in iis omnibus concionibus, quibus Verbo Domini aliquid detrahunt, & aliena de suis assuunt, nequaquam ipsius Christi Jesu vices; sed *antesignanorum hæreticorum*, (quorum autoritatibus stare & cadere unicè consueverunt,) operas obeunt, hocq; respectu nequaquam Ecclesiam Christi veram convocant & propagant.

CLXXIV. Quin & hoc ipso eodem respectu omnes & singuli, ea media, secundùm antesignanorum hæreticorum auctoritatem, mentem & sensum explicata, præsertim explena deliberatione, pertinaciter & protervè amplectentes, & procaciter propugnantes, nequaquam veræ Ecclesiæ Christi vera membra esse possunt, nisi adversùs expressissimam Apostoli Pauli concionem asserere voluerint, posse aliquem ad salutem simul calicem Domini & calicem dæmoniorum bibere, *1. Cor. 10, 21.*

CLXXV. Id quod per optimam analogiam ad *doctrinalia* accommodatur, non posse nimirum ad salutem ulli cedere, si voluerit simul inconsideratè & promiscuè credere, quæ de Deo partim Deus in Verbo suo; partim alii de eodem non modò extra Verbum: sed etiam contra ipsissimum expressissimum Verbum, ex suis vel ex antecessorum suorum antesignanorum auctoritatibus & cerebris credenda proponunt, qua ratione ex una parte destruit, quod ex alterâ parte ædificabatur.

CLXXVI. Hæc γενικῶς saltem delibata tanti sunt roboris, tantæq; perspicuitatis; ut à nemine nisi omnis conscientiæ, & omnis alphabetariæ eruditionis Theologicæ experte, vel in dubium vocari, vel etiam planè & penitus negari, nedum solidè ex Verbo Dei refutari queant.

CLXXVII. Etsi verò per articulos fundamentales benè multos experimenta specialia expromi poterant; tamen unicus ille præcipuus fundamentalium principiorum articulus sufficerit hac vice, qui agit, de Majestate divinâ carni Christi, secundùm Scripturas apertas, per unionem personalem, in unione personali

& pro-

& propter unionem personalem & non aliter communicatâ.

CLXXIIX. Nimirum, quia *Pater omnia* DEDIT *Filio in manu ejus*, Joh. 3, 35. *etiam omne judicium* DEDIT *Filio* Joh. 5, 22. *& sicut ipse habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso, & potestatem dedit etiam judicium facere*, QUIA FILIUS HOMINIS *est*, Joh. 5, 26, 27.

CLXXIX. Ex his secundùm orthodoxam vetustatem, orthodoxè docetur, *quicquid* immensæ potentiæ, infinitæ scientiæ, omnipræsentiæ *in tempore accepit Christus, quòd illud omne secundùm humanam naturam acceperit*, cui scilicet, quæ non habuit, collata sunt, realissimè, sed citra omnem à nobis ipsis damnatam Physicam confusionem, & exæquationem, vel transfusionem.

CLXXX. Quemadmodum igitur Deus ipse, non nisi secundùm cœlestem, inexcogitabilem & ineffabilem modum, à Scripturis tamen indigitatum, est omnipotens, omniscius, omnipræsens citra expansionem, extensionem, localem diffusionem, inclusionem aliquam carnalem, quia tum non esset, quod Scripturæ volunt, simul in omni loco totus, siquidē necessa-

cessariò pars duntaxat aliqua Dei hîc, aliqua alibi extaret, id quod falsissimum & impium est, & Scripturæ repugnat.

CLXXXI. Ita quoq; natura humana Christi, propter divinam totam ipsi indistanter, sed inconfusè, σωμαλικῶς unitam, & propter communicatam sibi in unione personali juxta Scripturas omnem divinam majestatem, omnipotens, omnipræsens, ab Ecclesiâ orthodoxa creditur, modo tamen dextræ Dei, juxta Scripturas, competente, soli Deo cognito, nobis inexcogitabili, & ineffabili, citra omnem inclusionem in omnes creaturas, citra omnem expansionem & extensionem vel diffusionem.

CLXXXII. Et secundùm hunc cœlestem modum omnibus communicantibus præsens sistit oraliter, sed non Capernaiticè comedendum corpus suum in quavis Cœnâ.

CLXXXIII. Secundùm hunc etiam singulis afflictis & aliis ubiq; locorum omnipræsentissima adest, & opitulatur *Matth. 18. & 28.* citra suæ humanæ substantiæ ex Mariâ assumtæ diffusionem: perinde sicut ad Simsonem robore supra omnes mortales alios induendum non requirebatur expansior corporis moles, nec ad

Salo-

Salomonem sapientia supra omnes alios homines ungendum extensiora membra requirebantur.

CLXXXIV. Hanc consolationis plenissimam & à sacris Literis munitissimam, omniumq; etiam Philosophicarum absurditatum expertem doctrinam, Calvinianorum Doctorum plurimi ex nimis supinâ negligentiâ non intelligunt, nec intelligere satagunt, id quod vivis exemplis nominatim doceri potest ultra omnem sufficientiam.

CLXXXV. Hanc item plurimi Calvinianorum præsertim ex ministris & doctoribus antesignanis satis sibi à nostratibus inculcatam & Verbo Dei illustratam; tamen ex mera malitiâ & ex mero odio privato, propter gloriam & auctoritatem suorum Præceptorum, aut etiam suorum scriptorum, asserendam & retinendam, per multos annos in hanc usque horam deridendam toti mundo exponunt, nunquam solidè aliquid opponunt, pro refutanda illa omnipræsentiâ; sed semper fictæ expansæ ubiquitatis à nobis ipsis in tertium infernum damnatæ μορμολύκειον vehementissimè in omnibus scriptis suis allatrant.

186. Et

CLXXXVI. Et quia Deum expansum instar Oceani credunt, carniq; Christi tanquam Antuerpiæ, divinam naturam tanquam Oceanum ex parte uniri puerili ter statuunt; non verò totam divinitatem eidem indistanter, σωματικῶς inexcogitabiliter, ineffabiliter unitam concedere volunt, utique quilibet intelliget, orthodoxam antea dictam omnipræsentiam carni communicatam serio & contra tot monita indesinenter & contumaciter, scienter & protervè damnantes, pro vivis & veris veræ Ecclesiæ Christi membris haberi non posse, quamdiu tales manent.

Omnipræs. & reliquæ divinæ proprietates sunt unum ἀδιαιρέτως.

CLXXXVII. Sed jam tandem tempus postularet, ut toties objurgati & admoniti, utriusque partis scripta re viderent, rem ipsam citra affectus, ut etiam sepositа omni humana, quantumvis excellentissima auctoritate, qua sola ipsos sine fine duci & decipi nimis verè & unicè constat, judicarent, nec posteris nostris tantas bellorum Theologicorum cum odiis & maximis aliis incommoditatibus continuandorum, ansas relinquerent, imò tam petulanter traderent, nisi severissimum judicem Christum in centuplicandis plagis in-

Errare humanum, sed perseverare in errore contra conscientiam Diabolicum.

gis infernalibus, pro tot seductis Ecclesiis experiri aliquando voluerint.

CLXXXIIX. Id quod inprimis dictum esse volumus, tum politicis auctoritate per aulas hinc inde pollentibus, tum Ecclesiasticis viris, super Ecclesias inspiciendas constitutis, qui utriq; quacunq; occasione & causâ alios non satis sibi attendentes, omnium ordinum homines seducere pergunt, aut negligentiâ & inscitiâ seduci patiuntur, illi ducti, hi contenti sola autoritate antecessorum & præceptorum.

CLXXXIX. Cumq; Deus toti Mundo Christum audiendum olim ex cœlo demonstrârit & proclamârit, cùm item quælibet gens, (ut Turcica) quanquam non habeat prædicatorem, intra se Evangelicum; tamen ubivis ex vicinia talem habere possit; cùm præterea etiam non minùs solicitè de vera viâ ad salutem, quàm de vera viâ per maria, per montes, per ducenta & 1000. milliaria ad indaganda aromata, & ad sustentationem suam procurandam cogitare singuli, singuli laici debeant: cùm deniq; Deus seriò sapienter & ἐνσυνεχῶς, non obiter & somnolenter, velit coli, inde æstimare ipsi auditores

Hier. Matt. 24.

singuli & universi, inter quasvis gentes, possunt, utrùm aliquando coram Deo, judice vivorum & mortuorum, excusationis sufficientis loco prætendere possint ignorantiam, aut aliud ejusmodi simile.

Auditores non acquiescant in auctoritatibus DD. sed ipsi legant & legi sibi petant Scripturam.

CXC. Deum honoramus supplices, ut ex nobis sibi semper aliquod sanctum semen colligat.

DISPUTATIO XIII.

DE PROCESSIONE SPIRITUS SANCTI à PATRE ET FILIO SIMUL.

Præside JOHANNE FÖRSTERO D.
Respondit M. JOACHIMUS FLEISSERUS *Vratislaviensis.*

8. Jun. 1610.

Προοίμιον προπαρασκευαστικόν.

I.

IN *1. Regum 22. v. 19.* Propheta Micheas se vidisse affirmat, quòd Spiritus ille ἀρχέκακος coram DOMINO steterit dixeritque: *Egrediar & ero Spiritus mendax* (רוּחַ שֶׁקֶר Spiritus scurrilitatis) *in ore omnium Prophetarum ejus.*

II. Idque non saltem tum ipso actu

Scurra & calumniator iste Stygius comprobavit: sed seculis etiam tempus illud postea insecutis.

III. Et quidem in omnibus τῆς στοιχειώσεως θεολογικῆς articulis.

IV. Maximè verò in iis, qui mysteriis secretioribus constant, adeoq; omnem humani ingenii captum longissimè superant & transcendunt.

V. Cujusmodi quoq; est doctrina de SPIRITU SANCTO, doctrina, inquam, religiosissima, vereq; augusta.

VI. Sed (heu scelus! heu facinus nefandum & malum!) quàm Scurriliter Spiritus iste nequam mysterium illud πνευματικὸν tractandum, imò ludificandum sibi sumsit!

VII. Verè enim ac nimis verè *egressus est, factus*q; רוּחַ שֶׁקֶר *in ore* complurium: quos quippe eò insaniæ adegit, ut perquam absurdè & impiè, addo etiam contumeliosè, de Spiritu sancto, loqui & docere non exhorruerint.

βλασφημάτων in SPIRITUM SANCTUM περιεφαλαίωσις.

VIII. Silentio involvimus *Samosatenum, Macedonium, Eunomium, Eudoxum* & alios uno communi nomine συλλήδην πνευματομάχους dictos.

IX. Sicco etiam pede transilimus Nea-

Nearianos vel *Antitrinitarios*, aut, ut ipsimet se vocari malunt, *Photinianos*, illorum veterum, in eodem ferè errore aut blasphemiis potiùs, successores.

X. Certè anno Christi 251. in Arabia exstiterunt homines quidam fanatici, *Helchesaitæ* appellati, qui inter alia deliria & hoc delirârunt, *Spiritum sanctum esse sororem Christi, femineo habitu præditam.* Hist. Magd. cent. 3. p. 98.

XI. *Simon Magus*, nec non *Cerdon*, & *Manes* seipsos pro SPIRITU sancto venditarunt. Hist. Magd. Cent. 2. fol. 479. Et Cent. 3. f. 114.

XII. *Hieracitæ* somniârunt ipsum Melchizedechum esse Spiritum sanctum, eò quod assimilatus sit FILIO DEI. *Cent. III. Magd. f. 119.*

XIII. Circiter annum Christi 1564. Quidam *Martinus Steinbach*, Vector vinarius sive doliarius Seleceſtadiensis, Spiritum sanctum se esse dictitavit incarnatum, uti CHRISTUS Filius incarnatus est, hæreseos suæ fundamentum, *Hierem. c. 48.* statuens: *Tranquillus Moabita à pueritia, inq; suis quiescens fecibo nō ex alio vase transfusus in aliud, nec abivit in exilium.* Et paulò post.

Itaq; tempus erit, inquit IEHOVAH, *cùm ei vectores mittam, qui eum vehant, ejusq; vasa vacent, & lagenas collidant; pudebitq; Moabitas Chamosi, quemadmodum pudet Israelitas Bethelis suæ fiduciæ.*

XIV. Isto Scripturæ testimonio Homo malesanus ad suam insaniam confirmandam abutebatur.

XV. Cùmq; sibi asseclas fecisset circiter 20. ex plebe, obiit, iisdemq; se Post mortem appariturum splendore luminis affirmavit. Vide *Theat. Zvvinger. vol. V. lib. IV. f. 1328.*

Ἀποδιάξις. XVI. Sed his & aliis istius farinæ βλασφήμιαις, à *Spiritu scurrilitatis*, in SPIRITUM SANCTUM, per homines furoris œstro percitos, effusis, consultò prætermissis: unicum duntaxat errorem, ἐν τῷ παρόντι, discutiendum aggredimur.

πρόθεσις. XVII. Quem verò? Veterem illam *Græcorum* & Asseclarum eorum opinionem, quâ *Spiritum sanctum à Patre solùm: non autem à Filio simul procedere* hodieq; contendunt.

διάταξις. XIIX. In hoc themate nostra hæc versabitur Disputatio, quæ *duabus* constabit *partibus* summis & primariis: ἱστορικῇ unâ: δογματικῇ altera.

19. In

XIX. In illa, ex historiarum monumentis, *de erroris illius initio & progressu, ὡς οἷόν τε ἀκριβῶς ἔνεκα*, breviter differemus.

XX. In hac, dogma istud de *Processione SPIRITUS Sancti* pertractabitur, ita, ut astruatur veritas: falsitas destruatur.

PRIOR DISPUTATIONIS pars, eaque ἱστορική.

XXI. Ut nostro igitur instituto satisfiat: in priore hujus Disputationis parte ἱστορικῇ, duo nobis evolvenda sunt:

XXII. *Unum* est, Erroris illius *origo* vel *initium*. 1. *De erroris initio.*

XXIII. *Alterum* ejusdem *progressus & continuatio* ad hæc usq; tempora. De utroq; βραχέως καὶ παχυλῶς.

XXIV. *Ante Synodum Nicenam* delirium illud nondum fuisse enatum, vel inde patet, quòd in Symbolo Niceno nulla planè processionis Spiritus sancti fiat mentio. Nam, hucusque tantùm illud pertingit: *Et in SPIRITUM SANCTUM.* *Error de processione non extitit ante Synodum Nicenam.*

XXV. Notum enim est, symbolis ea tantùm vel maximè fuisse comprehensa,

ac decisa, quæ erant controversa: Ea verò, quæ in disceptationem nondum venerant, silentio præteriri.

XXVI. Quæ etiam causa est, ob quam in Symbolo jam nominato, nihil extat de *descensu Christi ad inferos*, aliisq; Fidei articulis.

Nec ante Synodum Const antinopolitanam.

XXVII. Eadem porrò ratione ostendi potest, nec *ante Synodum Constantinopolitanam* dogma illud de processione Spiritus sancti a Filio in controversiam fuisse vocatum.

XXIIX. Nam fuerunt quidem, auctoritate istius synodi, per Gregorium Nyssenum Symbolo Niceno isthæc appositæ: πνεῦμα ζωοποιόν autem blasphemiis oppositæ: *DOMINUM & vivificantem, qui cum patre* &c. Chemnitius I. Tom. L. C. f. 243.

XXIX. De processione autem Spiritus sancti à Filio verbum omninò nullum.

Sed post illas Synodos.

XXX. Relinquitur igitur, errorem illum, post illas synodos οἰκουμενικάς, Nicenam puta & Constantinopolitanam demum cepisse.

XXXI. Quando autem & quo autore is cœperit, non satis liquet.

XXXII. Sunt qui originem illius ad *Macedonium* referant.

33. Sed

XXXIII. Sed id non videtur omninò verisimile, eò quòd Macedonius, perinde ut Arius & Eunomius: Spiritum sanctum κτίσμα τὸ κτίσμα & esse, contendisse perhibeatur.

XXXIV. *Augustinus* verò scribit; *Macedonium dicere, licet Spiritus sanctus non sit* DEUS; *tamen esse Deitatem Patris & Filii, nec proprium subsistentiam habere.* Cent. IV. Magd. f. 365.

XXXV. Quamvis igitur error *Græcorum* aliquam cognationem cum opinione πνευματομάχων vel potiùs Arianorum, quadantenus habere, alicui videri possit: & forsan ἀφορμὴ quædam illius ex hac arrepta etiam fuerit primitus: eos tamen erroris illius primos autores extitisse, liquidò evinci nequit.

XXXVI. Istud autem planum est & perspicuum, quòd *Theodoretus* Theologus ille, (aliàs etiam *Nestorianus,*) doctus magis & callidus; quàm constans & candidus, summi cujusdam Theologi judicio, expressè scripserit: *Spiritum Sanctum nec esse à* FILIO, *nec per* FILIUM: *sed à solo* PATRE, in refutationib. anathematism. Cyrill. c. 5. Cent. V. Magd. f. 1006. *Theodoretus primus istius erroris autor.*

XXXVII. Ex quo conficitur: quòd hic

pro primo erroris istius inventore meritò habendus sit.

451. XXXIIX. Floruit autem Theodoretus, tempore Synodi Chalcedonensis, circiter annum Christi, 451.

XXXIX. Et hactenus de erroris istius *initio:* videamus etiam ejusdem *progressum.*

2. De erroris istius progressu.

XL. Proximis abinde seculis duobus, nihil de errore isto memoriæ proditum extat ampliùs.

Anno 730. XLI. Anno autem Christi 730. *Johannes Damascenus* ψιλοδοξίαν illam propagare, suisq; lucubrationibus interpolare cepit, sed obscuriusculè, dum *lib. 1. Orth. Fid. c. 10.* ita scribit: Ὁμοίως πιστεύομεν εἰς ἓν τὸ Πνεῦμα ἅγιον τὸ κύριον, καὶ ζωοποιὸν, τὸ ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον, καὶ ἐν υἱῷ ἀναπαυόμενον. Item: ἐκ τοῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον, καὶ δι' υἱοῦ μεταδιδόμενον, καὶ μεταλαμβανόμενον, ὑπὸ πάσης κτίσεως.

766. XLII. Anno autem Christi 766. aut 767. juxta Adonem & Reginonem lib. 2. & Annales Francorum, in Villa Gentiliaco, apud Parisios, celebrata fuit Synodus.

XLIII. In qua inter Græcos & Romanos disputatum de Trinitate, & de pro-

processione Spiritus sancti, utrùm à Filio ita procedat sicut à Patre.

XLIV. Seculo ab hoc proximo vixit *Theophylactus*, qui doctrinam Ecclesiæ Occidentalis, quòd Spiritus sanctus etiam à Filio procedat, propalam oppugnare conatus est. *800. Theophylactus.*

XLV. Sic enim commentatur in 7. caput Johannis: *Sanè Latini malè hæc exponentes, & minùs rectè intelligentes, dicunt, quòd Spiritus etiam ex Filio procedat. Nos autem hoc quidem primùm dicimus ad eos, quod aliud sit, esse ex quopiam, & aliud esse cujusdam: ut Spiritus est quidem Spiritus Filii absq; dubio, & ab omni Scriptura approbatum: cæterùm esse ex Filio, nulla Scriptura testatur, ut ne duo principia Spiritus introducamus Patrem & Filium. Profectò, inquiunt: nam & inspiravit discipulis, & dixit: Accipite Spiritum sanctum. ô desipientiam!*

XLVI. Hoc tempore manifestum exarsit inter Græcos & Latinos dissidium, adeò, ut circa annum Domini 1054. ab Imperatore Constantino X. præmia constituta fuerint iis, qui contra Latinos aliquid scriberent. *Anno 1054.*

XLVII. Anno autem Domini, 1138. sub Imperatore Lothario, institutum fuit collo- *1138.*

colloquium, inter Philosophum Græcum, & Petrum Casinensem Monachum.

XLIIX. Ibi tum Græcus inter alia: *Vos decreta Concilii Niceni transgressi estis*: Petrus contrà *In quo transgressi sumus decreta Niceni Concilii?* Græcus iterum: *In eò, quòd adjunxistis Spiritum sanctum à Filio quoq; procedere &c.*

XLIX. Eodem anno habita scribitur disputatio, de processione Spiritus sancti inter Anshelmum Havelburgensem Saxonicum Episcopum, & inter Nechiten Nicomedium Archiepiscopum.

L. Propositio Nechitæ hæc erat: *Credimus & docemus, Patrem esse principium Filii, quem genuit: & eundem Patrem SOLUM Esse principium SPIRITUS sancti, qui ab ipso SOLO procedit.*

LI. Inde anno 1245. & postea iterum Anno 1273. Lugduni in Galliis ejusdem controversiæ causâ, Synodus congregata fuit.

LII. Tandem, Anno 1438. celebratum fuit Concilium *Ferrariæ*, quod anno sequente propter pestem, *Florentiam* translatum, in quo Græci Romanos iterum falsationis Symboli accusârunt.

LIII. Ordine enim septem Oecumeni-

menicarum Synodorum symbola recitârunt, in quibus additio illa: (Filioq;) deprehendi nequit.

LIV. Latini autem vetustum codicem septimi Generalis Concilii protulerunt, in quo Patrum subscriptiones erant per omnia illis, quæ in Græcorum volumine extabant, similes, qui additionem illam continebat.

LV. Consenserunt igitur tandem Græci cum Latinis, *Spiritum sanctum ex PATRE & FILIO pariter procedere.*

LVI. Cæterùm, paulò pòst ad priorem errorem relapsi sunt, in quo hodieq; contumaciter perseverant, etiamnum hodieq; negantes, Spiritum sanctum à FILIO procedere, quemadmodum Acta Wittebergensium abundè testantur & confirmant.

LVII. Cæterùm quod additionem illam attinet; de qua magno ardore inter Græcos & Latinos toties dimicatum fuit, certus utiq; annus, quo illa facta sit, præcisè definiri nequit.

Tempus additionis FILIOq; præcisè definiri nequit.

LIIX. At enimverò, quia in Synodo Toletana VI. (Bellarminus falsò octavam fuisse scribit) Anno CHRISTI 653. celebratâ, primitus recitatur symbolum cum hac

hac additione, non inscitè isthinc colligi posse videtur: ἐπευξολλὼ illam, circa istud tempus, symbolo Niceno interfertam fuisse, ex Symbolo Athanasii.

LIX. Verba symboli in Synodo jam nominatâ recitati inter alia hæc sunt: *Credimus & profitemur, Spiritum sanctum neq; genitum, neq; creatum, sed de* PATRE FILIOQUE *procedentem,* UTRIUSQ; *esse Spiritum: ac per hoc substantialiter unum sunt, qui & unus ab* UTROQ; *procedit.* Genr. VII. Magdeb. f. 364.

LX. Estq; cumprimis ἀξιομνημόνευτον, quod Chronologus quidam valdè industrius & eruditus, in Chronologia sua annotasse legitur: *Disputatio,* (scribit) *agitata à Græcis de* SPIRITU SANCTO, *quòd à Patre, non autem à Filio procedat, cùm hoc ab autoribus Symboli additum non sit. Hispani autem tempore Pontificis Leonis primi id addiderant, & Galli id statim receperant; Romani verò tandem id admiserunt sub Papa Nicolao.* fol. 714.

LXI. Et hactenus quidem prior Disputationis pars ἱστορική: Sequitur posterior δογματική.

PARS

PARS DISPUTATIONIS posterior, εαφ δογματικη.

LXII. Hîc verò *quinq;* potissimùm nobis expedienda veniunt: quorum 1. τὸ ὕφος ἔκθεσις. 2. Τῆς συζεύξεως κατάφασις. 3. Τῆς ὀρθοδοξίας βεβαίωσις. 4. Τῆς ψευδοδοξίας ἔλεγξις. 5. Τῶν ψευδοθεμελίων κατάλυσις.

1. ἜΚΘΕΣΙΣ ΤΟΥ ὍΡΟΥ.

LXIII. Τὸ ἐκπορεύεσθαι verbum est illud religiosissimum, quo ipsemet Filius Dei ἰδίωμα χαρακτηριστικὸν vel ἐξαιρετικὸν Spiritus sancti, quo à Patre & Filio differt, indigitavit. *Joh. 15.*

LXIV. In Paraphrasi Syriacâ habetur verbum *emanandi*, quo Hilarius etiam usus est: *Spiritus sanctus*, inquiens, *procedit & emanat à Patre & Filio.* Lib. 2. de Trinitate.

LXV. Quo nomine Spiritus sanctus & à Justino Martyre ἐκπόρευσις τοῦ θεοῦ: à Nazianzeno autem θεότης ἀϊδιὸς ἐκπόρευσις nominatur.

LXVI. Differt τὸ ἐκπορεύεσθαι, tum ab ἐξελθεῖν, quod de Filio etiam; tum ab ἐλθεῖν, & ἐπελθεῖν, quod de Spiritu sancto aliàs in Scripturâ enunciatur.

Differentiæ inter 1. τὸ ἐκπορεύεσθαι. 2. ἐξελθεῖν. 3. ἐλθεῖν & ἐπελθεῖν. 1. τὸ ἐκπορεύεσθαι.

67. Nam

LXVII. Nam τὸ ἐκπορεύεσθαι proprium est solius Spiritus sancti, notatq; æternam ex Patris & Filii essentiâ spirationem; cujus gratiâ SPIRITUS sanctus נִשְׁמַת שַׁדַּי *Job. 33. v. 4.* Itemq; SPIRITUS oris DOMINI; *Psal. 33, 6.* sicut Filius contrà, Filius uteri appellatur. *Psalm. 110. v. 3.*

LXIIX. Est autem ἐκπόρευσις seu *processio*, non recessus quidam ex reliquarum personarum Deitate: sed est communicatio Divinæ essentiæ, quâ sola tertia persona Divinitatis, à PATRE & FILIO eandem totam & integram accipiendo, ab utroq; persona distincta existit, & interim tamen essentialiter, περιχωρήσει quadam ineffabili, in PATRE FILIOq; manet.

LXIX. Nam, ut *Justinus Martyr* in ἐκθέσει πίστεως, scitè ait: ὥσπερ ὁ υἱὸς ἐκ τοῦ Πατρός· οὕτω καὶ τὸ πνεῦμα, πλήν γε τῷ τρόπῳ τῆς ὑπάρξεως διοίσει. Ὁ μὲν γὰρ Φῶς ἐκ Φωτὸς γεννητῶς ἐξέλαμψε. Τὸ δὲ Φῶς μὲν ἐκ Φωτὸς καὶ αὐτὸ· οὐ μὴν γεννητῶς, ἀλλ' ἐκπορευτῶς προῆλθεν.

LXX. Non igitur procedit SPIRITUS SANCTUS à PATRE & FILIO, ut accidens ex subjecto (non enim accidens est,

est, sed substentia,) nec ut substantia finita, ex substantiâ finitâ. Æquè enim, ut PATER & FILIUS est immensus: *Psal. 139. v. 7. Sap. 7.* sed per communicationem ejusdem essentiæ.

LXXI. Qua ratione autem cum processione Spiritus sancti comparatum sit, humanâ mentis indagine investigari nec potest nec debet, quemadmodum gravissimè monet *Nazianzenus in orat. de statu Episcop.* sic scribens: Ἀκούεις γέννησιν, τὸ πῶς μὴ περιεργάζου: ἀκούεις, ὅτι τὸ πνεῦμα τὸ πορεύον ἀπὸ τοῦ πατρὸς, τὸ ὅπως μὴ πολυπραγμόνει.

LXXII. Τὸ ἐξελθεῖν porrò de Christo *Joh. 8, 42. c. 13, 3. c. 16, 28.* usurpatum, significat ipsius egressum; non illum æternum ex substantia Patris, per generationem; *Mich. 5, 2.* sed istum in tempore factum, per missionem in carnem, ad peragendum opus redemtionis. 2. τὸ ἐξελθεῖν.

LXXIII. Τὸ ἐλθεῖν *Johan. 16, 7. 8. 13.* vel τὸ ἐπελθεῖν *Luc. 1, 35. Act. 1, 8.* denique de Spiritu sancto enunciata missionem ipsius designant. 3. τὸ ἐλθεῖν & ἐπελθεῖν.

LXXIV. Quæ vicissim vel visibilis vel invisibilis.

LXXV. *Visibilis* est ὀφθαλμοφανὴς

ἀποκάλυψις, quâ, visibile specie κατ' οἰκονομίαν ad tempus assumtâ, se conspiciendum exhibuit, ut maximè. *Gen.1,2. Matt. 3,16. Act. 2,3.*

LXXVI. *Invisibilis* est, ejusdem donatio, per Verbum & Sacramenta, quæ ejusdem ὀχήματα divinitus ordinata; cœpitq; cum ipsis Ecclesiæ primordiis, & adhuc subindè in Ecclesiâ durat.

LXXVII. Et hactenus quidem fuit προθεωρία ὀνόματος: Succedit θεωρία τοῦ πράγματος.

II. ΚΑΤΆΣΤΑΣΙΣ ΣΥΡΡΆΞΕΩΣ

LXXIIX. Ubi status controversiæ ἀκριβέστερον καὶ σαφέστερον formandus venit.

LXXIX. Idq; per τῶν μὴ ζητουμένων ἀφαίρεσιν: veriq; τοῦ ζητουμένου θέσιν, dabimus expeditum.

τὰ μὴ ζητήματα quatuor.

XXC. *Removemus* igitur à præsenti hac controversia *quatuor* maximè ζητήματα.

XXCI. Quorum 1. de SPIRITUS SANCTI ἀνθυποστασίᾳ.

XXCII. 2. De ejusdem cum Patre & Filio ὁμοουσίᾳ.

XXCIII. 3. De ejusdem, in operibus Sacrosanctæ Trinitatis ad extra, communi ἐνεργείᾳ.

84.4. De

XXCIV. 4. De illa Patris σχετικῇ πρωτείᾳ, qua dicitur, πηγαῖα θεότης: ὁ ἢ Ἰησοῦς καὶ τὸ πνεῦμα τῆς θεογόνου θεότητος, εἰ οὕτω χρὴ φάναι, βλάστοι καὶ οἷον ἄνθη καὶ ὑπερούσια φῶτα. *Dionys. Areopag. lib. de Eccles. Hierarch. c. 13.*

XXCV. De his enim omnibus & singulis nulla inter nos & Græcos διχοστασία: sed ὁμοφράδμων νόησις utrinq;.

XXCVI. Omnis autem disceptationis istius cardo volvitur, in quæstione *de interna personarum Sacrosanctæ & individuæ Trinitatis operatione, earumq; invicem, indè dependente, personali relatione ac distinctione.* τὸ ζητούμενον.

XXCVII. Summa huc redit: *An SPIRITUS sanctus simul à Patre & Filio procedat*, id est, ut clariusculè statum controversiæ exponamus; *An solus Pater spirando producat SPIRITUM sanctum, excluso indè Filio; an verò uterque & Pater & Filius simul unâ indivulsâ spiratione SPIRITUM sanctum producant, ut ita ipse utriusque προβολέως commune spiraculum vel πρόβλημα existat.*

XXCIIX. *Posteriorem* istius ζητουμένου partem purior Christi Ecclesia tenet & tuetur; sicut ipsius testatur Confessio in *Sententiæ Ecclesiæ purioris.*

Synodo Florentina hisce verbis edita: *In nomine sanctæ Trinitatis Patris & Filii & Spiritus sancti, hoc sacro universali approbante Florentino concilio, definimus, ut hæc fidei veritas ab omnibus Christianis credatur & suscipiatur, sicq; omnes profiteantur, quia Spiritus sanctus ex Patre & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suumq; esse subsistens habet, ex Patre simul & Filio, & ex utroq; æternaliter tanquam ab uno principio & unica spiratione procedit.*

Opinio Græcorum.

XCIX. *Priorem* verò quæstionis illius partem asserunt, & propugnant Græcitum Antiquiores superiorum, tum Recentiores hujus præsentis seculi.

XC. Quæ *Antiquorum* fuerit sententia: ex eorum Confessione superius allegatâ, propalam liquet.

XCI. Quid *Recentiores* hodiè sentiant, abundè docent & declarant *Acta VVirtenbergensium*; ubi in secundo responso Patriarchæ Constantinopolitani, prolixè & acerbiusculè contenditur, *quòd SPIRITUS sanctus à Patre solùm procedat: à Filio autem minimè. fol. 200. sub tit.* Ἐπιστροφὴ τοῦ ἁγίου πνεύματος.

XCII. Nos *principium* saltem & *finem* illius disceptationis asscribimus, eo fine, ut, quòd hodieq; Græci à nostris, in hoc doctri-

doctrinæ capite, Ecclesiis dissentiant, perspici, intelligiq; possit.

XCIII. *Principium* tale est: ἔστιν οὖν τὸ πρῶτον, ἐν ᾧ διαφωνοῦμεν, ἡ τοῦ ἁγίου πνεύματος ἐκπόρευσις.

XCIV. *Finis* verò sic se habet: Ἄφετε τοίνυν, πρὸς θεοῦ, ἄφετε τὸ προφέρειν λόγους τούτου ἕνεκα ἀληθείας μακράν, καὶ τὸ εὐσεβὲς δόγμα λάβετε, ὡς ἐσαφηνίσαμεν. Ἐκ τοῦ πατρὸς γινώσκοντες τὸ πνεῦμα ἐκπορευόμενον. Καὶ οὕτως ὦμεν περὶ τούτου φίλοι καὶ ἀδελφοὶ ἐν Χριστῷ.

III. ΤΗΣ ὈΡΘΟΔΟΞΊΑΣ ΒΕΒΑΊΩΣΙΣ.

XCV. Sed progrediamur ad ὀρθοδοξίας nostræ confirmationem, demonstraturi, quòd SPIRITUS SANCTUS à FILIO quoq; procedat.

XCVI. Eò autem faciunt αὐτόπιστα *Scripturæ* testimonia, quibus nos, suffragia *Orthodoxæ Antiquitatis*, consensus testificandi gratiâ, ἐκ τῆς περιουσίας, adjungemus.

XCVII. Prodeant igitur Scripturæ θεσπίσματα, eo ordine, quo in Codice Biblico consignata extant; sed compe-

dibus Syllogisticis illigata; quandoquidem non ἐηπῶς: sed per consequentiam, thema illud indè astrui oportet.

XCIIX. In *prima* igitur limine occurrit illud *Esa. cap. 11.* quo *SPIRITUS SANCTUS, Spiritus labiorum Christi* dicitur, perindè ut *2. Thess. 2.* idem *Spiritus oris* ejus appellatur.

XCIX. Indè sic argumentamur: De similibus idem esto judicium, jam verò SPIRITUS SANCTUS dicitur Spiritus oris Dei Patris *Psal. 33, 6.* eò quòd ex incorporeo Deitatis ipsius ore procedat, vel, ut Basilius *in Homil. εἰς τὸ ἅγιον βάπτισμα* loquitur; quia πνεῦμα ἐκ τοῦ ἀῤῥήτου στόματος ἀῤῥήτως ἐκπορευόμενον. Ergo pari ratione est & dicitur Spiritus labiorum & oris CHRISTI, propter inenarrabilem nempe ex essentiâ ipsius processionem.

C. Et idipsum sanè est, quod CHRISTUS δείξῃ ὀφθαλμοφανεῖ insinuare voluit; dum halitu ex ore, emisso, tanquam Symbolo παρεκτικῷ vel exhibitivo, Apostolis suis Spiritum simul sanctum dedisse legitur, *Joh. 20.*

CI. *Secundò* huc pertinent istud Christi *Johan. 15, 26. & 16, 7. Quem ego mittam vobis à Patre.*

CII. Ifthinc enim tale argumentum texi potest: Si CHRISTUS potestatem habet mittendi SPIRITUM sanctum: ab eo etiam hic procedat necessum est. Sed verum prius, Ergò & posterius.

CIII. *Assumptum* ex pronunciato Christi jam prolato per se patet. *Ratio connexionis* in Copulato indiget & probatione & declaratione.

CIV. *Probatio* hæc est: Quia aliàs non potest afferri causa, ob quam Christo jus mittendi Spiritum sanctum competat; siquidem è solâ ὁμοουσίᾳ illud evinci nequeat.

CV. *Declarationem* suppeditat exemplum DEI PATRIS. Sicut enim is à nemine mittitur, eò quod planè ἀναρχῶς ἀναίτιως: Ipse verò solus mittit Filium, quia ab ipso solo ἀϊδιωτάτως genitus: ita quoque SPIRITUS sanctus non à solo Patre: Sed à Filio etiam mittitur, quia ab utroq; pariter, uno & eodem æternæ processionis actu, existit.

CVI. Et hæc causa est illius διδασκαλίας, quâ Pater Spiritum Filii, & viceversa Filius Spiritum Patris mittere pronunciatur. *Gal.* 4, 6. *Joh.* 15, 26.

CVII. Tertiò eodem faciunt nomina Spiritus sancti, quibus Spiritus Christi, *Rom. 8, 9.* Spiritus Filii, *Gal. 4, 6.* Spiritus Jesu Christi *Phil. 1, 19. 1. Pet. 1. v. 11.* in Scriptura salutatur.

CIIX. Ex his enim istiusmodi formari potest argumentum. Cujus personæ Trinitatis Spiritus sanctus dicitur esse Spiritus, ab illa etiam spiratus procedit. At dicitur & est, non tantùm PATRIS, sed etiam FILII SPIRITUS. Ergo non à PATRE solùm: sed à FILIO etiam spiratus procedit.

CIX. Minor manifesta est ex testimoniis Scripturæ jam allegatis.

CX. Majoris veritas elucet è consimili Scripturæ loco, quo Spiritus sanctus dicitur SPIRITUS PATRIS; *Matth. 10, 20. Rom. 5, 9.* eandem pariter ob causam, quia nimirum ab ipso procedit, per internam & æternam hypostaseos ejus productionem, interprete Apostolo, *1. Cor. 2, 11, 12.* cui Synonyma sunt, *Spiritum Dei esse, & esse Spiritum ex Deo.*

CXI. Planè ut unum & idem sunt *Filium Dei esse, & ex Deo natum esse.*

CXII. Quartum testimonium est ipsius Christi *Joh. 16.* SPIRITUS *sanctus de*

meo

meo (ἐκ τοῦ ἐμοῦ ex meo) accipiet & annunciabit vobis. Et paulò post: Propterea dixi, quia de meo (ἐκ τοῦ ἐμοῦ ex meo) accipiet &c.

CXIII. Syllogismus talis esto: *Quicquid accipit SPIRITUS sanctus à CHRISTO, id non in tempore accipit, sed ab æterno. Jam SPIRITUS sanctus omnia accipit à CHRISTO. Ergò.*

CXIV. Et rursum: *Quicquid ab æterno Spiritus sanctus à Filio accipit: id ut per æternam ab ipso processionem accipiat, necessum est: Sed Spiritus sanctus omnia accipit à Filio ab æterno. Ergo.*

CXV. Major sic illustrari potest; sicut enim Filius non nisi per generationem omnia à Patre accepit: ita quoq; Spiritus non nisi per æternam processionem omnia à Filio accepisse, rectissimè creditur.

CXVI. Quintum locum sibi vendicant iterùm hæc Christi apophthegmata: *Joh. 16. Omnia quæ PATER habet mea sunt.* Et *Joh. 17. Omnia tua mea sunt.*

CXVII. Hinc tale conficimus argumentum: *Quicquid habet PATER, id omne etiam habet FILIUS* (πλὴν τῆς ἀγεννησίας καὶ γεννήσεως juxta limitationem Damasceni *lib. 1. ὀρθ. πίς. cap. 10.* ex Augustino)

Jam verò hoc habet PATER, *quòd ex ipso procedit* SPIRITUS SANCTUS. *Ergo idem etiam habet Filius.*

CXIIX. Et sic vidimus classica scripturæ testimonia, pro nostra, de processione Spiritus sancti, ex Filio ἀγλοδοξίᾳ certatim militantia.

Suffragia Antiquitatis Græcæ.

CXIX. Restant suffragia *Orthodoxæ Antiquitatis Græcæ*, ideò adjungenda, quia Græci, autoritate Græcorum Patrum, suam causam maximè munire ac stabilire conantur; sicut cernere est in responso Jeremiæ, Patriarchæ Constantinopolitani, *fol. 218. 219.* cujus paulò antè facta est mentio. Eorum autem potissima collegit *Lombardus lib. 1. Dist. XI. l. E.* ex Athanasio, Didymo, Cyrillo, Chrysostomo.

CXX. Nos saltem unum atque alterum breviter adscribimus. Athanasius in Symbolo Fidei: *SPIRITUS SANCTUS à PATRE, & FILIO non factus nec creatus, nec genitus; sed procedens.* Chrysostomus Homil. 1. & 2. de Symbolo. *Iste est SPIRITUS, à PATRE & FILIO procedens.* Cyrillus in Epist. contra Nestorium directa: *SPIRITUS intelligitur per se secundum quod SPIRITUS est, & non FILIUS, sed tamen non est alienus ab eo: SPIRI-*

TUS

FILIUS enim veritatis nominatur, & PROFLUIT ab EO, SICUT EX DEO PATRE.

CXXI. Sed conferamus nos ad opinionem Græcorum breviter quidem, sed solidè refutandam.

IV. ἔλεγξις τῆς ψευδοδοξίας Græcorum.

Refutatio Græcorum ex IV. absurditatib.

CXXII. Synopsis & metropolis nostræ Refutationis sit Catholicus isthic Syllogismus:

Doctrina, pariens absurditates monstrosissimas, ingens articulum de Deo Uno ac Trino adversa fronte impingentes: impia est & falsa, ac proinde extra Ecclesiæ fines proscribenda:

Sed talis est doctrina Græcorum, qua Spiritum sanctum à solo Patre: non autem simul à Filio procedere contendunt.

Ergo hæc Græcorum doctrina impia est, & falsa, ac proindè extra Ecclesiæ fines proscribenda.

CXXIII. Assumptionem confirmamus ἐπαγωγῇ vel ἐπαρίθμησι absurditatum Theologicarum, quæ ex illa Græcorum ψευδοδοξία, tanquam ex impurissimo fonte, profluunt & emanant.

CXXIV. *Primò* enim: si Spiritus sanctus non à PATRE & FILIO simul procedit;

cedit: tum *unitas illa & identitas essentiæ Divinæ*, (quâ Pater & Filius unum sunt, & esse dicuntur) *Joh. 10, 13. c. 17, 21. dividitur*, eoq; Tritheitarum delirium, quo tres numero Deos essentiis inter se divisos constituerunt, stabilitur.

CXXV. *Secundò*: si Spiritus sanctus non etiam à Filio procedit: *non habet proprium ipse Spiritum*; id quod Scripturæ testimoniis superiusculè allegatis omninò adversatur.

CXXVI. *Tertiò*: si Spiritus sanctus à solo Patre procedit, sicut Filius ex Patre solo genitus: tum *expirat ratio ordinis inter personas Sacrosanctæ Trinitatis*. Causa enim afferri non potest: cur Filius, & non potiùs Spiritus sanctus, pro secunda illius personâ agnoscatur.

CXXVII. *Quartò*: si Spiritus sanctus non etiam à Filio procedit: utique *nulla monstrari potest hypostatica connexio inter Filium & Spiritum sanctum*; id quod absolutissimæ sacrosanctæ Trinitatis perfectioni, & personarum ejusdem mutuæ connexioni, & ἀδιαχωρήτῳ intimæ, καθ' ὑπερβολὴν contrarium & infestum.

V. ΤΩΝ ΨΕΥΔΟΘΕΜΕΛΙΩΝ ΚΑΤΑΛΥΣΙΣ.

128. Et

CXXIIX. Et hactenus etiam brevis erroris Græcorum refutatio: Restant eorum Fundamenta: quæ vicissim partim *Objectiones*; partim *Exceptiones*, contra Testimonia Scripturæ paulò antè à nobis proposita.

CXXIX. Inter *Objectiones* primas tenent: 1. τὸ ἄγραφον, 2. τὸ ἄτοπον, 3. τὸ ἀρχαῖον. *Responsio ad III. Objectiones.*

CXXX. I. Τὸ ἄγραφον maximè urgent ex iis Scripturæ locis, ubi tantùm de Patre enunciatur, quòd ab ipso Spiritus sanctus procedat; cùm contrà nuspiam in universo Codice Biblico expressè scriptum extet, quòd Spiritus sanctus procedat à Filio. *Johan. 15, 26. Actor. 2, 33. Tit. 3. v. 6.*

CXXXI. *Respondeo* 1. Et si in Scriptura non διαῤῥήδην extant hæc verba: *Spiritus sanctus procedit à Filio*: sensus tamen eorum verborum inibi habetur, bonaq; consequentiâ indè elici potest, sicut modò evidenter ostendimus.

CXXXII. 2. Si illa Græcorum collectio valeret: tum etiam sacrosancta Trinitas, & personarum Trinitatis ὁμοουσία & alia, in quibus nobis ὁμόψηφοι, eadem ratione, abneganda forent.

133. 3. In

CXXXIII. In illo *Johannis 15, 26.* non additur: *Qui à solo Patre procedit*, sed simpliciter dicitur: *qui à Patre procedit.*

CXXXIV. 4. Etsi CHRISTUS ibi non ait, qui à PATRE & ME procedit: eodem tamen contextu promittit: *se missurum esse SPIRITUM sanctum.* Missio autem SPIRITUS SANCTI, ut suprà dictum, præsupponit potestatem mittendi, non aliunde, quàm ab æterna processione, dependentem.

CXXXV. 5. Quòd Christus ibi non facit disertam mentionem processionis, quæ ex se est: id suo more facit, quo ad Patrem, quod ipsius est, (quia ab illo habet, tanquam ab Origine & Fonte Deitatis) referre solet.

CXXXVI. II. Τὸ ἄτοπον, quod objiciunt Græci, ipsimet hisce verbis exponunt: οὐκοῦν οἱ τὸ πνεῦμα ἐκ πατρὸς καὶ υἱοῦ τιθέμενοι, τὴν δυάδα ἀρχὴν τῆς μονάδος λέγουσιν, ὅπερ ἄτοπον. *Act. VVirtenberg. fol. 210.*

CXXXVII. Absurdum nempe esse existimant, si doceatur: Unum Spiritum à duabus distinctis personis produci.

CXXXIIX. Sed *respondetur* per distinctio-

ctionem, inter ὑπόστασιν θεότητα & ἐνέργειαν. Etsi enim Pater & Filius differunt invicem τῇ ὑποστάσει: Unum tamen sunt τῇ θεότητι, unaq; & eadem spirationis ἐνεργείᾳ, ut unum in spirando συνδυαζόμενον, unum & eundem Spiritum producunt.

CXXXIX. III. Τὸ δεχαῖον afferunt, & depromunt ex scriptis Patrum Græcorum, sicut & Conciliorum, quib. utrisq; opinionem suam stabiliter firmatam, firmiterq; stabilitam esse gloriantur.

CXL. Sed gloriatione vanâ & inani; quemadmodum partim dicta Patrum Græcorum *thesi 119.* adducta: partim historica narratio in priori hujus Disputationis parte pertexta, liquidò confirmant.

CXLI. Quòd si Patres dicunt, *Spiritum propriè ac verè*, (ut Hieronymus *Tom. 4. Epist. ad Cyrill.* cujus initium: *Credimus in unum Deum Patrem:*) vel *principaliter* (ut Augustinus *lib. 15. de Trinit. c. 17.*) à Patre procedere: id, interprete Lombardo *lib. 1. dist. 12. l. C. & D. non est ita intelligendum, tanquam priùs vel plenius à Patre procedat, quàm à Filio: sed quia hoc habet Pater à se, non ab alio, ut de ipso sit & procedat SPIRITUS sanctus &c.*

CXLII. Tantum de objectionibus:

Sequun-

Resp. ad E. Exceptiones. Sequuntur *Exceptiones* contra testimonia, Scripturæ superiùs proposita.

CXLIII. *Primò*, ac nominatim quidem, contra illud *Joh. 20.* quo Christus insufflando Discipulis suis Spiritum sanctum dedisse celebratur, tria excipiunt. *Act. VVürtemb. f. 206.*

CXLIV. 1. Ex Chrysostomi sententiâ asserunt: *Christum non ipsum Spiritum sanctum: sed donum modò peccata remittendi discipulis dedisse.*

CXLV. Sed manifestè reclamat Textus, in quo quippe disertè & apertè invicem distinguuntur *Spiritus sanctus*, quem dedit *insufflando*: & *donum remittendi peccata*, quod dedit *dicendo.*

CXLVI. 2. *Clamant*, ita invicem confundi τὸ *dari* & τὸ *procedere.*

CXLVII. *Respondeo*: Non confunduntur: sed distincta sunt, & interim tamen ita se mutuò respiciunt: ut datio præsupponat processionem.

CXLIIX. 3. *Instant*: sequi indè, Spiritum sanctum non mittere seipsum, & proinde non esse eandem potentiam Spiritus, quæ Filii.

CXLIX. *Respons.* Ex Regula vulgò nota:

Ope-

Opera ad extra sunt indivisa: sed servato ordine personarum in existendo. Revide *theses* 104. 105.

CL. *Secundò*, contra illa Christi *Joh.* 15, 26. & 16, 7. enunciata, quibus se Spiritum sanctum missurum profitetur, oggerunt; Non esse necesse: si quis aliquid mittat: ut is propterea ἐκπορεύεσθαι dicatur. *Act. VVirtenb. f. 206. 207.*

CLI. *Respondeo*: Verum esse illud in humanis: secus autem se habere in Divinis, ubi missio Spiritus sancti à Filio, necessariò præsupponit mittendi potestatem; cujus in absolutissima illa simplicitate, causa dari nequit alia, quàm, quia Filius est ἄιτιον τῆς ἐκπορεύσεως Spiritus sancti, per æternam spirationem.

CLII. *Tertiò* nomina, quibus Spiritus sanctus, etiam Christi Spiritus salutatur, eludere conantur, asserentes, Spiritus vocabulum non esse σχέσεως δηλωτικὸν, id est, non significare respectum, quo referatur ad Patrem & Filium. *Acta VVürtem. fol. 107. seq.*

CLIII. At verò contrarium vel ipsum *Spiritus* nomen arguit; idque tam evidenter, ut Pater nulla alia ratione,

quàm sub χέσει SPIRANTIS & SPIRITUS, vel SPIRACULI, SPIRITUS SANCTI principium dici possit.

CLIV. *Quartum* testimonium *Joh. 16 De meo accipiet &c.* restringunt ad PATREM: quasi diceret CHRISTUS, ex meo PATRE accipiet. *Act. VVirtenb. f. 207.*

CLV. Sed pugnat hoc glossema cum Christi sententiâ, sine intervallo & fundamenti loco, proximè subjectâ, qua propalam testatur, quòd omnia, quæ Pater habeat, etiam ipse possideat.

κατὰ Σαθελλιανῶν.

CLVI. Cum interpretatione Epiphanii, qui verba illa de personâ Filii & non patris exponit: *Pater*, inquiens, *vere generans Filium: & Filius, vere genitus ex Patre subsistens principii & temporis expers: ac SPIRITUS Sanctus verè ex Patre & FILIO eâdem Deitate: ex PATRE procedens & Filio accipiens semper.*

CLVII. Quòd autem Christus utitur verbo futuri temporis: illud facit, vel per ἀνθρωποπάθειαν, quam etiam in verbo *Accipiendi* animadvertere licet, vel respectu æternitatis, extra considerationem discriminum temporis positæ.

CLIIX. Et huc etiam tendit interpretatio *Augustini: Sic itaq;*, inquit, *debemus*

acci-

accipere, ut intelligamus non eum esse à seipso: audire autem illi scire est: Scire verò esse. Quia ergo non est à semetipso; sed ab illo à quo procedit, à quo illi est essentia, ab illo scientia, ab illo audientia. Semper itaq; audit SPIRITUS sanctus, quia semper scit. Ab illo ergo audit, audivit & audiet. Nec moveat, quòd verbum futuri temporis positum est: illa quippe audientia sempiterna est, quia sempiterna scientia.

CLIX. *Quintò*, contra illud *Joh. 16. Omnia quæ PATER habet, mea sunt*, afferunt instantiam, ex ἀγεννησίᾳ desumtam.

CLX. Sed hanc ipsam nos ipsi superiùs nominatim excepimus, cum Damasceno, qui in summâ apud Græcos autoritate, nihilque, quàm solam ἀγεννησίαν & γέννησιν ab universali ista Christi assertione ausus est excipere.

CONCLUSIO.

CLXI. Et sic etiam fuerunt Exceptiones. Quod supereſt, Disputationi huic Colophonem imponimus Conclusione hac universali: *SPIRITUS sanctus uno indiviſo ſpirationis actu à PATRE & FILIO ſimul ſpiratur, & ſpirando procedit.* Κύριον συμπέρασμα.

πρόσ-
μαζε.

CLXII. Et proinde rejicimus errorem Græcorum, Spiritum sanctum à Filio procedere negantium.

CLXIII. Qui error, quia Filium interna operatione producendi SPIRITUM SANCTUM privat; non adeò levis est momenti.

CLXIV. Græcis tamen propterea *Ecclesiæ & Christianorum* titulum non denegamus; quandoquidem in Articulo de Trinitate aliàs nobis planè sunt ὁμόφωνοι.

Εὐχή.

CLXV. Aperiat ipsis DOMINUS tandem oculos, ut lucem Doctrinæ cœlestis in hoc & aliis Christianæ Religionis capitibus pleniùs & clariùs videant & cognoscant,

Amen!

DISPUTATIO XIV.

DE TRIBUS CONTROVERSIIS THEOLOGICIS.

præside JOHANNE FÖRSTERO D.

Responderunt pro Licentiâ tres S. Theologiæ Candidati.

26. & 27. Julii 1610.

I.

CONTROVERSIA DE INDURATIONE

ἐξηγητικῶς, διδασκαλικῶς καὶ ἐλεγκτικῶς tractata.

RESPONDENTE

M. ABRAHAMO SUARINO,

Ecclesiæ Delitianæ Pastore ac Superattendente.

Προοιμίδιον ἀπολογικὸν καὶ Διδασκαλικόν.

Themation.

I.

INteralia, quæ, in Exodo Mosaica, memoriæ prodita extant, non ultimam sanè lineam obtinent ea, quæ de *indurat one Pharaonis* inibi traduntur.

II. Suntq; ejusmodi, de quibus quis, non absque caussâ, usurpare posset illud Petrinum: ἔστι δυσνόητα: ἃ οἱ ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι στρεβλοῦσιν, ὡς καὶ τὰς λοιπὰς γραφὰς, πρὸς τὴν ἰδίαν αὐτῶν ἀπώλειαν. 2. Pet. 3.

III. In quorum numero computandi olim *Marcionistæ*: hodiè *Zwinglio Calviniani*.

IV. De *Marcionistis* scribitur, quòd Deum peccati insimularint, eò quòd Ægyptios submerserit & *Pharaonem induraverit*.

V. *Zwinglio-Calvinianorum* quæ hac de re sit sententia, suo inferiùs loco videbimus.

VI. Προκεφαλαιωδῶς εἰπεῖν: Deum ex illa Phrasi Mosaica peccati & perditionis hominum causam esse, magno conatu evincere allaborant.

VII. Moræ igitur & operæ precium nos facturos confidimus, si paulò accuratiorem de hoc negotio disquisitiunculam instituamus.

IIX. Constabit autem illa *duabus* maximè *partibus* summis ac primariis.

IX. Quarum 1. Φρασεολογία *Grammatica*, in qua vera ac genuina phraseων Mosai-

Mosaicarum interpretatio suis è fontibus hauriенda.

X. 2. παξεολογία *Theologica*, in qua doctrina de indurationе, exinde eruenda, & repetenda breviter.

XI. Quod dum facere meditamur: ex alto nobis affulgeat Sol justitiæ Jesus Christus in secula seculorum benedictus. Amen.

PRIOR DISPUTATIONIS PARS.

XII. A quarto capite Exodi usque ad 15. decies septies indurationis fit mentio, ut: *Exod. 4, 21. c. 7, 3, 14. 22. c. 8. 15. 19. 32. c. 9, 7. 12. 34 35. c. 10, 1. 20. 27. c. 11. 10. c. 13. 15. c. 14 8.*

XIII. Quæ tamen loca, si penitiùs ea inspexeris, ad tres potissimùm classes distinctas haud incommodè referri possunt.

XIV. *Primæ classi* accensemus isthæc verba: ex *c. 7, 14.* כָּבֵד לֵב פַּרְעֹה *Cor Pharaonis grave.* Luth Das Herz Pharao ist hart. & *vers. 22.* itemque *cap. 8, 19. & cap. 9, 35.* וַיֶּחֱזַק לֵב־פַּרְעֹה *Et invaluit* (vel obduruit) *cor Pharaonis, c. 9. v. 7.* וַיְכַבֵּד לֵב פַּרְעֹה *Et aggravatum est cor Pharaonis. cap. 13. v. 15.* הִקְשָׁה פַּרְעֹה *Durum se præbuit Pharao.*

XV. Ad *secundam classem* referimus hæc dicta: *c. 8. 15. & 32.* וְהִכְבֵּד אֶת לִבּוֹ *Et aggravavit cor suum. c. 9. 34.* וַיֹּסֶף לַחֲטֹא וַיַּכְבֵּד לִבּוֹ הוּא וְעַבָדָיו *Et perrexit peccare & aggravavit cor suum ipse & servi ejus.*

XVI. *Tertiam classem* constituunt hæc loca: *Exod. 4. 2.* אֲנִי אַחֲזִק אֶת לִבּוֹ *Ego (DOMINUS) indurabo cor ejus. cap. 7. 3.* אֲנִי אַקְשֶׁה אֶת לֵב פַּרְעֹה *Ego faciam indurescere cor Pharaonis.*

XVII. Quibus consimilia habentur. *c. 9. 12. c. 10. 1. 20. 27. c. 11. 10. c. 14. 8.*

XIIX. Discrimen, quo invicem differunt, sic explicamus.

XIX. Phrases *primæ* classis Pharaoni ejusq; cordi *habitum* duritiei tribuunt, nullâ causæ, unde illa existat, factâ mentione.

XX. In dictis autem *Secundæ* classis *causa* illius indurationis asscribitur *ipsi* Pharaoni, & quia verbum כָּבֵד in Hiphil usurpatur: simul innuitur, eum obtemperasse Satanæ suggestionibus, quibus factum, ut subindè gravius induratus fuerit.

XXI. In locis deniq;, quæ ad *tertiam* retulimus classem, induratio Pharaonis de *ipso Deo* enunciatur.

XXII. Sed hîc iterum phrases distinctæ

æ occurrunt, quarum observatio non omninò negligenda.

XXIII. Verbum enim חָזַק in Piel usurpatur, atque adeò significationem *intendit*, notatq; judicii divini severitatem, actumq; serium, vel etiam sententiæ judiciariæ pronunciationem, (quemadmodum verba טָמֵא & טָהֵר *Lev. 13, 13, 15.*) *Exod. 4, 21. c. 9, 12. c. 10, 20, 27. c. 11, 10. c. 14, 8.*

XXIV. Verba autem כָּבֵד *cap. 7, 3.* & קָשָׁה *cap. 10, 1.* in conjugatione Hiphil, usurpantur; ac proinde *permissionem* insinuant, & tacitè simul monent: Deum indurationem illam efficaci operatione non produxisse: sed illam à Satana & Pharaone produci concessisse.

XXV. Hinc Avenarius Hebrææ linguę peritissimus sententiam illam *Exod. 7, 3.* אֲנִי אַקְשֶׁה אֶת לֵב פַּרְעֹה sic vertit: *Ego SINAM indurescere cor Pharaonis.*

XXVI. Quemadmodum etiam Verbum קָשָׁה, in eâdem conjugatione, de induratione, usurpatum permissivè exponitur. Esa. c. 63. *Quare errare nos fecisti DOMINE, de viis tuis?* (תַּקְשִׁיחֵנוּ *Indurari FECISTI cor nostrum.*

XXVII. Sed ut ad institutum revertamur:

tamur: ex hac utiq; Grammatica ἀφοσιώσει haud obscurè elucet, quis sit phraseων Mosaicarum sensus, isq; fidei undiquaque ἀνάλογος.

XXIIX. Progrediamur, secundum ordinem classium, veramque singularum phraseων intelligentiam breviter evolvamus.

XXIX. Ex *primâ* igitur classe liquet τὸ ὅτι, id est, *quod* Pharao indurationem laboraverit.

XXX. Ex *reliquis* verò classibus duabus περὶ τὸ διότι, de *causis* illius indurationis, judicium fieri potest.

XXXI. Ubi concurrunt DEUS, *Diabolus*, *Pharao*, quorum suæ cuique partes, conveniente modo, assignandæ.

XXXII. *Deus* non tantùm permisit illam indurationem: Sed, ut justus judex etiam *decrevit*, quòd ea Pharaoni immittenda, non quidem *quatenus peccatum* longè atrocissimum: verùm quatenus peccatorum præcedentium *pœna*.

XXXIII. *Diabolus* verò, veluti executor judiciorum Dei, ejusque carnifex, pœnam illam inflixit Pharaoni, malignis suis suggestionibus &c. *Psal.* 35, 5. *Psal.* 78, 49. *Psal.* 109, 6.

34. Pha-

XXXIV. *Pharao* denique istis Diaboli suggestionibus obsecutus, congenitâ sibi malitiâ, cor suum magis magisque induravit, & sic sibi ipsi perditionis suæ causa extitit.

XXXV. Estq; cumprimis notatu & observatu dignum, quod *Exod. 8, 32.* dicitur: *Et induravit Pharao cor suum.* (וַיַּכְבֵּד אֶת לִבּוֹ) Etiam Hac Vice.

XXXVI. Hoc quippe προσδιορισμῷ, haud obscurè innuitur: quòd, quoties in Exodo indurationis impii Pharaonis fiat mentio: id semper eò accipiendum sit; quòd is seipsum suâ propriâ impietate & contumaciâ magis magisq; indurârit.

XXXVII. Cui observationi & hæc meritò additur, quòd *Exod. 9, 34.* commemoratur: Et perrexit peccare, *& aggravavit cor suum.*

XXXIIX. Ex his enim verbis liquidò apparet, quòd Pharao indurationem, ex continuo peccandi studio, contraxerit, quodque illa scelerum ipsius pœna extiterit justissima.

XXXIX. Quibus verò sceleribus pœnâ isthanc fatalẽ Homo ἄθεος sibi attraxerit: Moses edisserit in Exodo, *septem* a-

cro-

trocissimorum scelerum mentionum faciens.

XL. Quorum 1. ἡ τεκνοφονία. *Exod. 1, 16, 22.*

XLI. 2. Populi Dei immanis persecutio, *Exod. 1, 23. c. 2, 32. c. 5, 6. 7. & sequentibus.*

XLII. 3. Incredulitas & contumacia, eaq; tanta, ut nullis planè signis & prodigiis etiam, tanto terrore & numero editis, emendari potuerit. *Exod. 7, 23. cap. 9, 34.*

XLIII. 4. Blasphemia in Deum perquam horrenda *Exod. 5, 2.*

XLIV. 5. Magiæ studium, quod Verbo Dei anteponere, imò opponere non dubitavit *Exod. c. 7. 11, 22. c. 8, 6.*

XLV. 6. Impœnitentia insigni cum hypocrisi conjuncta, *Exod. c. 8, 15. 32. c. 9, 34. c. 10, 10.*

XLVI. 7. Contemptus ministerii. *Exod. 5, 4. c. 10, 28.*

XLVII. Et hactenus quidem Φρασεολογία ex textu Mosaico: sequitur πραξεολογία, in qua brevis repetitio doctrinæ de induratione instituenda.

XLIIX. Idq; per θέσιν ὀρθοδοξίας Lutheranæ ex veris Scripturæ fundamentis astru-

ſtruendam, ex unâ: & per ἀντίθεσιν κακοδοξίας Zwinglio-Calvinianæ ex falſis & erroneis principiis extructam, *deſtruendam*, ex altera parte.

POSTERIOR DISPUTATIONIS PARS.

Theſis Ὀρθοδοξίας Lutheranæ.

XLIX. Principio autem, & ὡς ἐν προθεωρίᾳ, tanquam præcognitum ſummè neceſſarium maximoperè prænotandum, quòd *induratio bifariam* conſiderari poſſit ac debeat.

L. Ac *primò* quidem ut peccatum longè atrociſſimum, quodq; fons & origo aliorum ſcelerum complurium.

LI. Et *deinde* quatenus pœna ſceleribus antegreſſis merita.

LII. Quoad *primum* reſpectum, induratio non tribuitur Deo: ſed partim Diabolo, partim Homini, ut cauſis ejuſdem efficientibus.

LIII. Inter quas tamen hoc eſt diſcriminis. *Diabolus* ſiquidem *cauſa* eſt induronis *externa* & extra hominem poſita ſuggeſtionibus ſuis homines ad quævis ſcelera, &

ra, & per hæc ad indurationem efficaciter impellens atq; perducens.

LIV. Hinc dicitur passim in Scripturis: Excœcare mentes 2. *Cor.* 4, 4. Operari in filiis diffidentiæ. *Eph.* 2. implere cor malitiâ, *Act.* 5, 2, 3. captivos tenere homines &c. 2. *Tim.* 2, 26.

LV. *Homo* autem est causa indurationis *interna* suggestionibus Diaboli, quibus resistere debebat, obtemperans, corque suum ipsemet magis ac magis obfirmans.

LVI. Sic de Pharaone dicitur, *Exod.* 8, 32. *cap.* 9, 34. quòd seipsum indurârit, de Judæis item scribitur, *Matth.* 13, 13. 14, 15. quòd ipsi clauserint & compresserint oculos ne videant, quòd induraverint facies suas instar petræ. *Jer.* 5, 3.

LVII. Huc pertinet, quòd *Theodoretus quæst.* 12. *in Exod.* dicit: *Quòd reluctatio cordis ac durities à nobis ipsis procedat, testatur Apostolus ad Rom.* 2. Tu secundùm DURITIEM tuam & impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die judicii.

LIIX. Cæterùm, quatenus indurátio altero respectu consideratur, ut *pœna* peccatis merita, eatenus DEO tribuitur.

LIX. Sed hîc per ἀφαίρεσιν vel ὑποφαι-

φατικῶς: & θέσιν vel καταφατικῶς exponendum distinctiùs, quot, & quibus respectibus induratio Deo *non tribuatur* & quot, quibusque contrà eidem *tribuatur*.

LX. *Non tribuitur* igitur Deo induratio 1. προστακτικῶς ratione mandati. *Non* enim *mandavit impia agere cuipiam, & non dedit* (ἄνεσιν) *licentiam alicui peccandi. Siracid. c. 15.*

LXI. 2. Nec εὐδοκητικῶς ratione approbationis. *Non* enim *est Deus volens iniquitatem, Psal. 5.*

LXII. Cui consonant hæc, iisq; affinia: *Esa 65, 12. Faciebatis malum in oculis meis, & quæ NOLUI eligistis.* Psal. 30, 7. *ODISTI observantes vanitatis supervacuè.* Psal. 35, 3. *Dilexisti justitiam & odisti iniquitatem.* Zach. 8, 17. *Unusquisq; malum contra amicum suum ne cogitetis: omnia enim hæc sunt, quæ ODI, dicit DOMINUS.*

LXIII. 3. Nec deniq; ἐνεργητικῶς, ratione operationis. *OMNIA*, enim *opera Dei sunt perfecta, OMNES viæ ejus judicia. DEUS fidelis, & absque ULLA iniquitate. Deut. 32.*

LXIV. Et in *1. Joh. c. 2, 16.* extat: *Omne quod est in mundo, veluti concupiscentia carnis, &*

con-

concupiscentia oculorum & fastus vitæ, NON EST EX PATRE, *sed ex mundo.*

LXV. Unde scitè & præclarè Fulgentius: *Sicut peccatum in Deo non est: ita peccatum ex eo non est. Quod autem ex eo non est, opus utiq; ejus non est.* lib. 1. ad Monimum.

LXVI. Verumenimverò, ut ab ἀφαιρέσει ἀποφατικῇ, ad θέσιν καταφατικὴν transeamus: induratio utique *Deo adscribitur* κριτικῶς, id est, velut *justo judici.*

LXVII. Deus enim non est ociosus actionum humanarum spectator, nuda permissione, Creaturam ferri sinens: sed, voluntate consequente, eâ, quæ est *judicii*, decernit, quinam homines pœnâ indurationis afficiendi.

LXIIX. Et hoc sanè est, quò Apostolus collimat, dum ait: *Quem VULT, indurat*, Rom. 9.

LXIX. Et quod Theander *Lutherus*, in libro de servo arbitrio, contra *tolerantiam & lenitatem* Erasmi tantoperè urget.

LXX. Sed ut plenius planiusq; rem isthanc evolvamus, sciendum, quòd Deus ad indurationem *concurrat duplici* actionum genere: Uno *generalium*: *specialium* altero.

71. Acti-

LXXI. Actiones Dei *generales* duæ sunt:

LXXII. *Prima* est *naturæ* agentis; quatenus natura vel creatura, sustentatio. Nam, ut Augustinus docet, *Si Deus subtrahat intimam suam operationem, qua creatam naturam sustinet: continuo tanquam nulla remanebit.* Item: *Nisi Deus continenter operaretur, nec aliarum rerum, nec ipsorum Angelorum natura subsisteret.* lib. 9. sup. Genes. ad liter. c. 15.

LXXIII. Et huc respiciunt dicta *Lutheri, in libro de servo arbitrio,* quæ, primo intuitu, duriuscula videntur esse.

LXXIV. Ut, quando scribit, quòd Simei ad maledicentiam, Pharao ad indurationem, Judas ad proditionem, *motu Dei acti & rapti fuerint. Tom. 3. Jen. Lat. f. 199. 200. 201.*

LXXV. Intelligit autem, *motum vel actionem omnipotentiæ* Dei, omnium rerum creatarum sustentatricis & motricis, *generalem*; *Heb. 1, 3. Act. 17, 28.* quemadmodum ipse mentem suam sæpiusculè interpretatur.

LXXVI. Ita enim commentatur in illud Exodi: *Ego indurabo cor Pharaonis. Simpliciter loquitur. Ego faciam, ut cor Pha-*

ronis induretur, seu ut, me operante & faciente, induretur. *Quod quomodo fiat, audivimus*, scilicet intus generali motu *ipsam movebo voluntatem malam, ut suo impetu & cursu volendi pergat, nec cessabo movere, nec possum aliter.* fol. 200.

LXXVII. Et pagina sequenti iterum: *Si Deus omisisset actionem omnipotentiæ suæ in Pharaone tum, cum ei Verbum Mosi contrarium objecit, & sola voluntas Pharaonis sua vi egisse fingeretur; tum disputandi locus forte fuisset, utro se inclinare potuisset. Nunc verò, cùm agatur & rapiatur volendo*, non sit quidem voluntati ejus vis, quia non cogitur nolens; *Sed* naturali *operatione Dei rapitur ad volendum* naturaliter, *qualis qualis est (est autem mala) ideò non potest non impingere in verbum, & sic indurari.*

LXXIIX. Exponit etiam ejus rei causam sic scribens: *Reliquæ igitur sunt, ut quærat quispiam, cur Deus non cesset ab ipso motu omnipotentiæ, quo voluntas impiorum movetur, ut pergat mala esse & pejor fieri*; Respondetur. *Hoc est optare*, ut Deus *propter impios* desinat esse Deus, *dum ejus virtutem & actionem optat cessare.* fol. 200.

LXXIX. *Altera* actio Dei generalis est *præscientia*, qua Deus συλλογικῶς de Phara-

Pharaonis prævidisse atq; prædixisse scribitur. *Exod. 3, 19.*

LXXX. Tantum autem abest, ut præscientia præscitæ Pharaonis indurationi necessitatem inferat, ut potius dicendum, quia eventurum, ut Pharao indureretur; inde factum, ut Deus (cui omnia longè etiam post futura præsentissima) indurationem prævideri, prædixeritq;.

LXXXI. Cæterùm in *altero actionum genere, octo* sese offerunt actionum *species*; quibus Deus circa indurationem occupatur.

LXXXII. *Prima* earum est *desertio*, qua Deus suam gratiam hominibus vel subtrahit, vel non impertit.

LXXXIII. *Subtrahit*, renatis ut Sauli, *1. Sam. 16, 14.* Ezechiæ *2. Paral. 32. vers. 1.* &c.

LXXXIV. *Non impertit* non-renatis; ut Pharaoni.

LXXXV. Unde Augustinus: *Non obdurat*, inquit, *Deus, impertiendo malitiam, sed non impertiendo gratiam; indurat, quando non mollet; excæcat, quando non illuminat.* Epist. 105. & de prædest. sanct. c. 4.

LXXXVI. Et *Irenæus lib. 4. c. 48.* de indurat ione Pharaonis sic scribit: *Tradit ergo Deus*

istos infidelitati ipsorum &c. avertit faciem suam ab hujusmodi, relinquens ipsos in tenebris, quas sibi ipsi elegerunt.

LXXXVII. Et *contra Faustum* scribit iterum Augustinus: *Deus indurat deserendo, Satan suadendo, Homo consentiendo.*

LXXXIIX. 2. *Traditio* in potestatem Satanæ, ut Carnifici Dei, & executori judiciorum ejus.

LXXXIX. Etenim, ut *Chrysostomus* ait, *cùm deserimur à Deo, tradimur Diabolo, in cujus potestatem redacti, innumeris malis afficimur.* hom. 63. in 12. cap. Joh.

XC. 3. *Annunciatio Verbi*, cujus finis per se, ex parte Dei, sicut & propria illius efficacia, hominum conversio.

XCI. Sed, per horum μοχθηρίαν vel malitiam, ex accidente, fit, ut, verbo Dei ipsis annunciato, magis magisq; indurentur, idque ipsis fiat odor ad mortem, quod ex instituto Dei, & congenitâ verbo efficaciâ, esse debebat odor ad vitam *2. Cor. 2, 16.*

XCII. Exemplo est *Pharao.* Hinc Deus per Mosen & Aaronem obtulit verbum suum, ut isthoc ordinario salutis medio converteretur & salvus fieret.

XCIII. Sed finem hunc per se odio ver-

verbi intervertit Pharao, simulq; in causâ fuit, ut subsecutus fuerit eventus per accidens, quo verbum, salutis gratiâ ipsi annunciatum, factum fuerit ei petra scandali, & incitamentum proferendi peccata, quæ adhuc in recessu cordis ipsius latitabant.

XCIV. Et huc quoque collimat interpretatio *Lutheri in libr. de servo arbitrio Tom. 3. Jen. Lat. f. 100.*

XCV. 4. *Permissio*, qua Deus finit hominem sibi relictum, & Satanæ traditum, proprio impetu, ferri, suisq; obsequi cupiditatibus, juxta illud: *Psal. 81. DIMISI eos juxta desiderium cordis sui; ibunt in adinventionibus suis.* Similia vide *Zach. 8, 10. Oseæ 4, 14. Psal. 8, 6.*

XCVI. Et sanè, quòd Lutherus etiam in indurat ione permissionem Dei agnoscat: hæc propria ipsius verba abunde testantur atq; confirmant: *Sic Pharaoni impio eripturus tyrannidem, irritavit eum & magis induravit & aggravavit cor ejus, dum illum per verbum Mosis, vel ut regnum ablaturi, & populum suæ tyrannidi subtracturi, invasit, & intus Spiritum non dedit; Sed ipsius impiam corruptionem* permisit, *Satana regnante, succensere, intumescere, furere & procedere, cum severita-*

te quadam & contemptu. in lib. de servo arbitrio Tom. 3. Jen. Lat. f. 199.

XCVII. 5. *Tolerantia Dei*, qua istiusmodi vasa ad ignominiam à Diabolo apparata, multâ μακροθυμία sustinet, pœnitentiam eorum subindè cum desiderio expectans. *Rom. 9, 22. c. 2, 4.*

XCIIX. Exemplum nobis iterum præbet Pharao, quem Dominus primâ statim plaga, unico momento, funditùs delere potuisset: si modò voluisset.

XCIX. Sed toleravit illum satis diu, & vindictâ suâ tardè admodum ad extremam usq; ἀνανεθείαν processit, subindè ipsum resuscitans, & ex morte quasi in vitam revocans.

C. Quemadmodum verbum ἐξήγειρα, quo *Rom 9, 17.* Gentilium Apostolus usus legitur, subindicat.

CI. Hebræum הֶעֱמַדְתִּיךָ eandem μακροθυμίας laudem Deo tribuit, idem enim sonat, quod *stare te feci*: Septuaginta verterunt: διετηρήθης ἕως & νῦν. Et sic Munsterus etiam transtulit *conservavi*. Ambrosius utrumq; & *servandi & sustentandi* verbum rectè admittit. *Servatus est*, inquit, *ut multa, signa & plagæ ostenderentur in illum quasi jam mortuum.* Suscitatus autem dicitur,

citur, quia cum apud Deum mortuus esset, modicum tempus accepit ut vivere videretur; ut esset, in cujus pœnam & varia tormentorum genera usq; ad mortem, omnes, qui sine Dei metu erant territi hunc solum Deum cum admiratione maxima faterentur, à quo hæ vindictæ sunt. Hoc etiam genere antiqui Medici in hominibus morte dignis, vel mortis sententiam consecutis requirebant; quomodo prodessent vivis, quæ in homine latebant, apertis his cognoscerent causas ægritudinis, ut pœna morientis proficiat ad salutem viventis. in exposit. Epist. ad Rom.

CII. 6. *Metarum determinatio*, quas ultra hominibus & diabolis furere suâq; malitiâ grassari negatum. *Esa. 37, 20. Psal. 105, 14.*

CIII. Intueamur iterum exemplum Pharaonis, qui nisi Deus certos limites tyrannidi ejus posuisset, nunquam Israelitas salvos & incolumes dimisisset.

CIV. 7. *Finis gubernatio*, ejusque ad normam sapientiæ justitiæ & bonitatis Divinæ reductio. *Gen 50, 20.*

CV. Et hoc sibi volunt verba JEHOVÆ ab Apostolo *Rom. 9, 17.* repetita & allegata: *Et profectò ob id constitui te, nempe ut* OSTENDEREM *tibi potentiam meam, utq; narrent nomen meum in universa terra.* Ex. 9, 16.

CVI. Eodem pertinet, quod *Fulgens*

gentius annotavit. *Deus, licet autor sit malarum cogitationum:* ordinator *tamen est malarum voluntatum, & de malo opere cujuslibet mali, non desinit ipse BONUM operari* lib. 1. ad Monim. Itemque hoc Augustini. *Species naturas q; & facit & ordinat Deus: privationes autem specierum defectu q; non facit: sed ORDINAT tantùm* &c. de Genes. ad lit. c. 5.

CVII. 8. *Finalis executio* sive punitio, qua nequissimi sceleratissimique verbi & μακροθυμίας Divinæ contemtores & præfracti peccatores tandem coercentur.

CIIX. Idque fit vel pœnis temporalibus, vel, si Deo & ministerio rebelles esse perrexerint, inq; peccandi proposito ulteriùs perseverârint; æternis gehennæ supplicijs, sicut iterum Pharaonis exemplum luculenter ostendit.

CIX. Et hactenus quidem thesis ὀρθοδοξίας nostræ Lutheranæ, quam etiam Liber Concordiæ aureum illud Lutheranarum Ecclesiarum Symbolon, calculo suo manifestè confirmat.

CX. Sic enim habetur, fol. 280. *Quòd autem DOMINUS cor Pharaonis indurat, ut Pharao subinde peccando pergat, & quò gravius admonetur, eò magis ipse induretur: id pœna*

est

est antecedentium ipsius peccatorum & immanissimæ & multiplicis tyrannidis, quam in filios Israel (contra conscientiæ suæ stimulos) exercuerat. Et cùm DOMINUS *ipsi verbum ac voluntatem suam annunciari curaret: Pharao verò nihilominus ex proposito & destinata malitia simpliciter adversus omnes exhortationes & admonitiones, contumaciter insurgeret:* DOMINUS manum ab eo suam retraxit, eum deseruit, *atq; ita cor ipsius induratum est. Omninò enim Pharao æterno gehennæ incendio dignus erat. Et sanè D. Paulus exemplum Pharaonis non alio fine adfert, quàm ut eo ipso justitiam declararet, quam in impœnitentibus hominibus, & verbi divini contemtoribus puniendis, demonstrat. Nequaquam autem Pauli mens est, quòd* DOMINUS *Pharaoni aut ulli alii homini salutem invideat: aut quòd in arcano suo consilio nullo modo salutem consequi poßit.*

CXI. Jam ordinis & instituti ratio postulat, ut antithesin κακοδοξίας Zwinglio-Calvinianæ subtexamus.

ANTITHESIS ΚΑΚΟΔΟΞΊΑΣ ZWINGLIO-CALVINIANÆ.

CXII. Summa ejus huc redit: *Deum in hominibus indurationem efficaciter operari, & quidem abscondito suo consilio.*

CXIII. Sed placet, majoris fidei gratia, ipsos factionis Zwinglio-Calvinianæ antesignanos audire loquentes: *Petrus Martyr* in 9 cap Epistolæ ad Roman. *Induratio est effectum iræ & ultionis, sive ab IPSO DEO IMMEDIATE, sive per diabolum, sive per homines exerceatur.* Calvinus lib. 1. instit. c. 18. sect. 2. *Dicitur etiam idem Satan excæcare infidelium mentes: sed unde hoc,* nisi quod à Deo ipso manat efficacia erroris, *ut mendacio credant, qui renuunt parere veritati?* Beza Resp. 2. ad Acta Colloq. Mompelg. *In Deo est voluntas reprobos iuste indurandi* p. 175. Ibidem p. 194. *Dico, nunquam tempus fuisse, vel esse, vel futurum, quo Deus voluerit, velit, aut volaturus sit singulorum misereri: sed ab æterno, pro bona suâ voluntate & ea quidem, cui resisti non potest, constituisse, & quorum in Christo misereretur, & quos in Christo induraret.* Grynæus in thesauro class. 2. loc. 5. th. 2. 3. pag. 93. *Quidam ad excæcationem, indurationem, & alia multa, quæ ita sunt pœnæ peccatorum, ut etiam sint peccata, prædestinati sunt, & ad indurationem præfiniti.* Calvinus lib. 3. Inst. c. 23. sect. 1. *Unde sequitur, absconditum Dei consilium obdurationis esse causam.*

CXIV. O horrenda, & in Deum summè bonum perquam blasphema opinio, & de

& de qua non absq; causâ usurpari posset istud *Hieronymi*: *Hæreticorum dicta & sermones enarrare est refutare & superare. Patet enim prima fronte blasphemia. Nec necesse habet convinci, quod sua statim professione blasphemum est* Contra Ctesiphontem. Nec non istud *Irenæi*: *Adversus hæreticos victoria est sententiæ eorum manifestatio.* lib. 1. c. 25.

CXV. At enim verò, ut partes officii ἐλεγκτικοῦ in nos suscipiamus: placet utiq; horribile istud delirium paucissimis confutare.

CXVI. Ac primò quidem manifestis Scripturæ dictis. 2. argumentis bonâ consequentia inde extructis. & 3. demum Orthodoxæ Antiquitatis suffragiis.

CXVII. I. *Dicta Scripturæ* primaria ac palmaria, quæ ad institutum istud nostrum maximè faciunt, & δυνάμει ἀνασκευαστικῇ valent, suprà *thesi* 61, 62, 63, 64. produximus.

CXIIX. II. *Argumenta* ex Scripturæ fundamentis bonâ consequentia extructa, & quidem maximè classica sunt hæc sequentia: 1. Si Deus est autor indurationis, ex ipso utiq; esset perditio. Induratio namq; plana est & expedita ad perditionem via. Sed prius est absurdum, & κατὰ διάμετρον contrarium manifestissimæ pro-

testationi JEHOVÆ *Os. 13. v. 9. EX ME salus, ex TE autem perditio.* Ergo. &c.

CXIX. 2. Quicunq; est autor pœnitentiæ, adeoq; remedia indurationi προφυλακτικὰ καὶ θεραπευτικὰ destinavit: is nequaquam haberi potest ac debet pro autore indurationis. Sed Deus est autor pœnitentiæ *2. Tim. 2, 25. Jer. 31, 18.* simulq; media indurationi προφυλακτικὰ & θεραπευτικὰ destinavit, sicut testatur institutio ministerii. Ergo.

CXX. 3. Quod quis seriò prohibet & aversatur: ejus nullo modo est autor. Atqui Deus seriò prohibet & aversatur indurationem, sicut luculenter patet, ex hoc Psal. 95. *Hodie si vocem ejus audieritis, nolite obdurare corda vestra, ut contigit in Meriba & Massa in deserto*; itemq; ex hoc Deut. 10. *NE INDURETIS cervicem vestram.* Ergo.

CXXI. 4. Quicunq; indurationem gravissimè punit: is sanè nullo modo autor est indurationis efficaciter eandem producens. Nam, ut habet tritum illud *Fulgentii* lib. 1. ad Mon. p. 41. *Deus non est autor, cujus est ultor.* Atqui Deus gravissimè punit indurationem; uti patet exemplo Pharaonis in Exodo. Ergo.

CXXII. III. *Suffragia* Orthodoxæ Antiquitatis demum quod attinet: huc sanè spectant pronunciata ejusdem omnia, quæ causam peccati à Deo removent & arcent.

CXXIII. Imprimis verò ad scopum hunc nostrum collimant isthæc duo: *August.* Serm. 88. de temp. *Certissimè credendum est, quòd Pharaonem non Dei violentia: sed propria iniquitas & indomabilis superbia contra Dei præcepta, totiès fecerit indurari.* Luth. 3. Tom. Jen. Lat. f. 298. *Neq; est, ut subtiliter disputemus Deum effectivè excæcare, satis enim indurationis est, cum Spiritum suum subtrahit, & relinquit impios Satanæ.*

CXXIV. Atq; hæc sufficiant pro refutatione Opinionis Zwinglio-Calvinianæ.

CXXV. Sed obtendunt aliquot ἀντιλήμματα, ad quæ breviter ac perspicuè respondendum.

CXXVI. I. Quicunq; non impedit indurationem, quam tamen impedire poterat: is non omni ejus culpâ vacat. Atqui Deus non impediit indurationem Pharaonis, quam indurare poterat. Ergo.

CXXVII. *Resp.* Fallit argumentatio Sophis-

Sophismate παρὰ τὸ πῆ καὶ ἁπλῶς: Respondendum igitur per distinctionem: inter μέσα βιαστικὰ καὶ ἀβίαστα, quorum his Dominus indurationi Pharaonis omnino mederi voluit, teste *lib. Sap. c. 12. 20.*

CXXIIX. Causæ autem, ob quas Deus indurationem & alia peccata non impediat βιαστικῶς, alibi explicantur.

CXXIX. II. Proprietas & emphasis verborum, sacris in literis, summo & accurato studio urgenda & attendenda est. Atqui verbum indurare, in Scriptura de Deo usurpatum, est significationis activæ, adeoque efficacem operationem notat. Ergo.

CXXX. Refutamus istud argumentum quadrifariàm.

CXXXI. 1 Ac *primò* quidem per limitationem Majoris. Proprietas enim verborum urgenda est, quatenus est analoga fidei. Sin verò minùs, ut in præsente doctrinâ de induratione, commoda quærenda est interpretatio, ἀντιλογίας evitandæ gratiâ.

CXXXII. 2. Per inficiationem Minoris. Verba enim activa non semper significant efficacem operationem: sed sæpiusculè significatione permissiva veniunt exponen-

ponenda, ut *Matth. 6, 13. Luc. 11, 4. 1. Cor. 10, 13. Iob. 2, 12.* Item *Rom. 1, 28. Act. 14, 1. 6.*

CXXXIII. 3. Ex axiomate *Augustini* de vera Relig. cap. 49. & 50. *Locutio divinarum scripturarum, secundum cujusq; linguæ proprietatem accipienda est.*

CXXXIV. Jam quia in linguâ sancta *indurandi* verbum etiam in Hiphil Conjugatione non tam activâ, quàm permissivâ, usurpatum reperitur: quis illi permissivam significationem negaverit?

CXXXV. 4. Ex communi consuetudine, qua judex dicitur punire fontes & maleficos, quanquam ipsemet non sumit ab illis supplicia: sed sententiam tantùm profert, ejusq; executionem carnifici demandat.

CXXXVI. Exemplum perquam illustre habemus in historia Passionis, ubi Pilato acclamatur: Crucifige, Crucifige. *Luc. 23, 21.* Dicitur quoque is Christum crucifixisse *Luc. 24, 20.* licèt ipse Pilatus illud non dederit expeditum: sed Milites. *Matt. 27, 31, 35. Joh. 19, 23.* latâ sententiâ & factâ permissione à Pilato judice. *Matt. 27, 26. Luc. 23, 25. Joh. 19, 16.*

CXXXVII. III. Si indurati est opus voluntatis & εὐδοκίας Dei: tũ sequitur, quòd

Deus

Deus eam cum oblectatione quadam approbet; & proinde non omninò excusandus sit. Sed verum prius. Ergo & posterius.

CXXXIIX. Ratio τῆς ἀκολουθίας in copulato residet in emphasi vocis εὐδοκίας. *Luc. 2, 14. Rom. 10, 1. Eph. 1, 5, & 9. Phil. 1, 15. c. 2, 13. &c.*

CXXXIX. Veritas assumpti nititur his Scripturæ oraculis: Rom. 9. *Quem VULT indurat.* Matth. 11. Luc. 10. *Gratias ago tibi Pater DOMINE cœli & terræ, quod abscondens hæc à sapientibus & prudentibus, & revelans ea parvulis. Certè Pater sic fuit bona VOLUNTAS (εὐδοκία) apud te.*

CXL. *Resp.* Committitur paralogismus à dicto secundum quid ad dictum simpliciter. Respondemus igitur, per distinctionem, eamq; geminam.

CXLI. *Prior* est inter *voluntatem Dei antecedentem & consequentem. Antecedente* voluntate Deus vult neminem indurari. *Consequente* autem, & quidem illâ, quæ dicitur voluntas judicii & justitiæ, Deus omninò vult nonnullos indurari; sed non absolutè: verùm propter antegressam impietatem, planè insanabilem, quâ indura-

durationem, ut pœnam justissimam, fuerunt commeriti.

CXLII. *Posterior* distinctio est inter ipsam *indurationem* & *indurationis finem*: εὐδοκία enim Dei respicit non ad ipsam indurationem per se, quam quippe Deus omnibus modis execratur: sed ad finem indurationis, quæ sapientissimo Dei consilio ad illustrandam ipsius justitiam & alios fines reducitur.

CXLIII. Et tantùm de induratione; quod abominabile, & exitiale malum longissimè à nobis abesse jubeat, ter optimus summeq; misericors Deus, per & propter Filium suum Jesum Christum Dominum nostrum,

Amen.

II.

CONTROVERSIA

DE ABSOLUTO DEI DECRETO ZWINGLIO-Calvinianorum, per ἀντιπαράθεσιν κακοδοξίας Calvinisticæ, & ὀρθοδοξίας Anti-Calvinianæ, & hujus quidem κατασκευὴν: illius verò ἀνασκευὴν breviter & perspicuè explicata:

RESPONDENTE

M. POLYCARPO LYSERO,

Extraordinario in Academia Wittebergensi designato Theol. Professore.

I.

IN *Actis* Apostolicis *cap. 17, 18.* sectæ cujusdam Philosophorum fit mentio, qui ἀπὸ τῆς στοᾶς denominari meruerunt, interque alia & hoc delirârunt delirium: *quòd* nimirum *semel decretum esset à Deo: id nec precibus, nec sacrificiis ullis immutari posse.* Thea. Zwin. Vol. 17. f. 3198.

II. Idem, proh dolor, delirium non in στοὰν Philosophicam: sed in Scholam Theologicam, ex Orco quasi revocatum, hodiè introducere satagunt nostri Antagoni-

gonistæ Zvvinglio-Calviniani, adeò, ut illorum veterum Stoicorum animæ in hos, tanquam per μετεμψύχωσιν quandam Pythagoræam, transmigrâsse videantur.

III. Isti enim homines, nescio cujus spiritus instinctu; pro fatali & absoluto Dei decreto, tanquam pro focis arisque, χερσίν τε ποσίν τε acerrimè dimicant.

IV. Sed hoc ipso nihil efficiunt aliud, quàm ut afflictis hominum conscientiis majorem adhuc addant afflictionem, iisque non fenestras modò, sed bipatentes, quod dicitur, portas ad desperationem aperiant.

V. Quæ ut occludantur, Deiq; vindicetur & asseratur gloria, juvat utiq; contra fatum illud Stoico-Calvinisticum, in aciem prodire.

VI. At, ne ὡ ἐν τῇ ὀρχῇ λαβόντες, Andabatarum more, pugnare nos videamur: priusquam ad oppugnationem Monstri istius terribilis descendamus; breviter quidem, sed perspicuè præmonstrandum, quæ sit Zwinglio-Calvinianorum istâ de re mens & sententia.

VII. Non latet nos, quòd gravissimè quiritentur, sibi injuriam fieri, & non

nisi per calumniam, dogma illud, de absoluto Dei decreto, affingi.

IIX. Nihil autem nos ipsis affingere, propria Procerum eorum testimonia liquidò docent & confirmant.

IX. Adscribimus duntaxat potissima & maximè classica; unde tanquam ex unguiculis Leo Zwinglio-Calvinianus, ejusq; rugitus horribilis perspici percipique possit. *Calvinus* lib. 3. Inst. c. 23. sect. 1. *Quos Deus præterit, reprobat: neq; alia de causâ; NISI quòd ab hereditate, quam filiis suis prædestinat, illos vult excludere.* Ibidem. *Minimè tamen consentaneum est præparationem ad interitum alio transferre, (NB) Quam ad arcanum consilium Dei: quod etiam paulò antè in contextu asseritur, quòd Deus excitaverit Pharaonem, deinde, quos vult, indurat. Unde sequitur absconditum Dei consilium obdurationis esse causam.* Et sect. 4. *Fateor sanè in hanc, qua nunc illigati sunt, conditionis miseriam, Dei voluntate decidisse universos filios Adam, atq; id est, quod principio dicebam: redeundum tandem semper esse ad Solum divinæ voluntatis arbitrium, cujus causa sit in ipso abscondita.* Idem lib. 3. Inst.

3. Inst. cap. 21. sect. 7. *Dicimus æterno & immutabili consilio Deum semel constituisse, quos olim semel assumere vellet in salutem, quos rursum exitio devovere. Hoc consilium quo ad electos in gratuita ejus misericordia fundatum esse asserimus, nullo humanæ dignitatis respectu. Quos verò* DAMNATIONI ADDICIT: *hu justo quidem & irreprehensibili: sed incomprehensibili ipsius judicio,* VITÆ ADITUM PRÆCLUDI. Zanchius de nat. Dei lib. 5. cap. 2. part. 4. *Præcedit Odium Dei ac voluntas seu decretum, illudq; justissimum, quo impios æternæ morti destinavit, quoniam Apostolus ait: Eos vasa esse iræ aptata seu creata & destinata, nempe à Deo ad interitum, ut in eis suam ostendat iram & potentiam. Alioquin si peccata sola totalu essent causa damnationis: Omnes homines æterno igni tandem adjudicarentur, quoniam omnes peccaverunt, & nemo sine crimine vivit.* Georgius Spindlerus im Nötigen Berichte f. 377. Dieser Fürsatz vnd Rath Gottes ist/ daß GOTT beständig vnd festiglich beschlossen hat/ daß er in der Gnadenwahl etliche/ vnnd zwar (NB.) DJE MEISTEN vberhüpffen/ vnd sie in jhrer verderbten vnd Sündlichen Natur wolle liegen lassen. Item pag. 378. Hierauß solt jhr

lernen / weil die verwerffung ein ewiger Fürsatz vnnd vnwandelbahrer bestendiger Wille Gottes ist / welcher aller ding fürnembste Vrsach / vnnd mit dem Göttlichen Wesen ein ding ist / daß man denselben gegen keine andere Vrsach kan setzen: sondern er bleibe allein die efficiens causa, vnd wirckliche Vrsach. Beza de æterna prædestinat. fol. 417. *Quod subjicis, Deum non tantùm ad damnationem, sed etiam ad causas damnationis prædestinasse quoscunq; libuit, VERUM quidem esse agnoscimus cum Paulo, qui vasa commemorat ad interitum compacta: sed eum quidem justum, quoniam justas ad exitium ferentes causas eodem decreto subordinavit.* Marloratus in Expos. Ecclesiast. c. 15. Joh. *Stat igitur firma sententia: quemcunq; Deus ante orbem elegerit, non posse perire &c. quem verò rejecerit, eum non posse salvari, etiamsi omnia Sanctorum opera fecerit; usque adeò irretractabilis est Dei sententia.* Boquinus in suis thesibus Heidelbergæ disputatis: *Quemadmodum electionis: Sic etiam REPROBATIONIS NULLA POTEST assignari ALIA CAUSA, quam LIBERUM DIVINÆ VOLUNTATIS PROPOSITUM: ita ut quicunq; ad æternam mortem reprobati sunt: NON PROPTER PRÆVISAM INFIDELITATEM,*

TEM, aut alia peccata, sed tantùm secundum VOLUNTATIS DEI PROPOSITUM, idq; justissimum, sint rejecti. Rennecherus in catena aurea pag 37. Reprobationis, NULLA ALIA CAUSA ex Scripturis proferri & assignari potest quàm justa & IMMOTA DEI VOLUNTAS, quod ipse in æterno illo & arcano consilio, aliquos homines ÆTERNO exitio & supplicio, EX SESE & PROPTER SESE adjudicaverit, idq; antequam ipsi erant, & aliquid mali fecerant. Peccatum enim Reprobationis causa nequaquam potest esse. Piscator in disp. de Prædestinatione Thes. 79. Si decretum ipsum spectes: illud SIMPLEX & ABSOLUTUM est, quippe NON aliunde, nisi ab ipso Dei beneplacito dependens. Idem Thes. 115. Si quæratur: Cur ex lapsis eligere ei placuit, aliquos, cæterus reprobatis, cùm tamen omnes æquè digni essent, qui in damnatione relinquerentur? Causa afferri alia non potest, quàm hæc: ut patefaceret gloriam potestatis in tractando inæqualiter, qui erant æquales. Keckermannus in Syst. Theol. lib. 3. cap. 1. p. 299. Apostolus indicat decretum DEI ABSOLUTE & SIMPLICITER spectatum. Amandus Polanus in Analysi Malach. p. 64. Ea scilicet causa, qua Deus ad reprobandum motus fuit, est SOLA liberrima voluntas seu placitum Dei.

Zwinglius in Elencho contra Catab. fol. 172. *Jam frustra dicemus: Utinam infans mortuus esset: Mori enim non potuit, quem Divina providentia in hoc* CREAVIT, *ut viveret, atque* IMPIE *viveret.* Calvinus lib. 3. Inst. cap. 21. sect. 5. *Non pari conditione creantur omnes: sed alis Vita æterna, alis* DAMNATIO *æterna* PRÆORDINATUR. Beza in Colloq. Mompel. p. 529. *Cùm enim odium Dei contra illos* (reprobos) *in seipsis corruptos sit justum, qui causis adductis, quas ipse solus novit, proposuit eos in hunc finem* Creare, *ut in ipsis iram & justitiam suam ostenderet, quos nunquam dilexit.* Idem in eodem Colloquio pag. 517. *Paulum ipsum oppugnatis hoc dogmate, Rom. 9, 11. Tam enim falsum est, incredulitatem esse causſam divini hujus decreti de justè perdendis aliquibus, quàm falsum est præviſam fidem vel bona opera, causam esse Prædestinationis, vel electorum, quod Pelagianorum est dogma &c.*

X. E quibus plusculis Patrum Fratrumque Zwinglio-Calvinianorum apophthegmatis hæc ultrò πορίσματα profluunt & emanant.

XI. 1. *Electionis & reprobationis causam non in revelatâ; sed in absconditâ Dei voluntate quærendam esse.*

12. 2. De-

XII. 2. Decreta, quæ inde dependent, non esse ἀσχετα vel relata aut ordinata: sed simpliciter absoluta.

XIII. 3. Et proindè DEUM paucos quosdam, absque omni fidei respectu, elegisse.

XIV. 4. Reliquos verò eundem, non propter præviſam infidelitatem: sed ex mero quodam odio reprobâsse.

XV. 5. Adeoq; nullam aliam reprobationis causam esse, quàm ipsum Deum, & liberum voluntatis ejus propositum.

XVI. 6. Et hoc adeò verum esse, ut is reprobos & ad exitium & damnationem sempiternam creârit.

XVII. His περιλογίαις Zwinglio-Calvinianis, nos è regione isthæc opponimus θεολογήματα Lutherana, & quidem, continuâ ἀνταπόδοσει, singulis singula.

XVIII. 1. Electionis & reprobationis negocium non in abscondita: sed in revelata Dei voluntate consistit.

XIX. 2. Decreta utrinsq; non sunt ἄσχετα vel simpliciter absoluta: sed σχετικὰ, id est, relata aut ordinata.

XX. 3. Deus enim omnes eos, qui in Christum usq; ad finem vitæ perseveranter credunt, ad æternam salutem elegit.

XXI. 4. *Reliqui verò non odio quodam absoluto: sed propter incredulitatem & finalem impœnitentiam reprobati sunt & damnantur.*

XXII. 5. *Et proinde Christus quidem causa est electionis, tum ratione finis, tum ratione mediorum ad finem ducentium: sed reprobatio tribuitur Deo, non proprie ut causæ efficienti: sed tanquam justo Judici: Infidelitati autem & impœnitentiæ reproborum, ut causæ meritoriæ.*

XXIII. 6. *Blasphemum igitur est insanire: DEUM reprobos ad æternam damnationem condidisse.*

XXIV. Cæterùm, quia ἀδὲν ἄτερ πραφῶν: singula utique ὀρθοδοξίας nostræ membra ordine sic delineata, paucis jam sacris è literis, confirmanda veniunt.

XXV. I. *Quòd Electionis & Reprobationis negotium in voluntate Dei revelatâ consistat:* id abundè comprobat doctrina Evangelii, quæ quippè nihil est aliud, quàm æterni illius mysterii de salute nostrâ patefactio: Rom. 16. v. 25. *Ei autem, qui potens est, vos confirmare secundùm Evangelium meum & præconium Jesu Christi, juxta Revelationem mysterii, temporibus æternis taciti, manifestati verò nunc, & per Scripturas Propheticas, juxta delegationem æterni Dei in obœdientiam fidei, in o-*

in omnes gentes patefacti. 1. Corinth. 2. v. 7. *Loquimur sapientiam Dei in mysterio, quæ est recondita, &c. Nobis autem Deus revelavit per Spiritum suum.* Ephes. 1. v. 8. *Juxta divitias gratiæ suæ, de qua ubertim nobis impartivit, in omni sapientia & prudentia, patefacto nobis arcano voluntatis suæ, juxta beneplacitum suum.* Item c. 3. v. 8. *Mihi minimo omnium,* (inquit Apostolus) *sanctorum data est gratia hæc, ut inter Gentes evangelizem imperversigabiles divitias Christi, & in lucem proferam omnibus.*

XXVI. II. *Quòd Electionis & reprobationis decreta non sint absoluta: sed* κατὰ: id est, *relata aut ordinata* exinde patet, quòd decreto Electionis inclusa est tota τάξις σωτηριώδης: cujus summam complexus est Apostolus ad *Rom. 8.* hoc illustri aphorismo. *Quos præsciverat, eosdem & præfinivit &c. Quos prædefiniverat, eosdem & vocavit. Et quos vocavit, eos & justificavit, hos & glorificavit.*

XXVII. 2. Quòd item reprobationis causa non absolutæ Dei voluntati adscribitur, sed impiorum incredulitati & impœnitentiâ perseverantiæ, qua τάξιν illam à Deo sancitam furiosè rejiciunt, adeoq; consilium Dei adversus semetipsos præfractè aspernantur. *Matth. 23, 37. Luc. 7, 30.*

7, 30. Joh. 3, 18. v. 31. Mar. 16. v. 16. Rom. 10, 10. Act. 7, 21. c. 13, 46.

XXIIX. III. *Deum perseveranter credentes elegisse*: iis Codicis Biblici θεοπίστοις asserimus, quæ decretum electionis κατὰ πρόγνωσιν fidei factum fuisse, clarissimè docent & demonstrant, ut Johan. 6. *Hæc est Voluntas ejus, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.* Ephes. 1. *Prædestinati secundum propositum ipsius, cujus vi fiunt universa, juxta decretum Voluntatis ipsius, ut simus nos in laudem gloriæ ipsius.* (προηλπικότες) *Qui priores in Christum speravimus*, id est, credidimus. Psal. 25, 1. 1. Timoth. 4, 10. (per Synecdochen Scripturæ familiarem) 2. Thes. 2. *Nos debemus gratias agere Deo semper de vobis, fratres dilecti in Domino, quòd elegerit vos Deus ab initio, ad salutem in sanctificatione Spiritus per Fidem veritatis.* Tit. 1, 1. dicitur FIDES ELECTORUM DEI. Jac. 2, 5. *Nonne Deus elegit pauperes mundi hujus, divites in Fide?* Rom. 8, 19. *Quos præsciverat, eosdem & præfinivit.* 1. Pet. 1, 2. *Dilectis juxta præfinitionem Dei Patris*, (κατὰ πρόγνωσιν θεοῦ πατρὸς) *per sanctificationem Spiritus, in obœdientiam & aspersione sanguinis Jesu Christi.*

XXIX. Ingreditur autem fides prædestina-

stinationis arcanum non ποιητικῶς, vel quatenus qualitas, aut habitus, aut virtus eximia & præclara nostris viribus comparata, quasi electi simus PROPTER FIDEI DIGNITATEM MERITORIE: Minimè gentium, Hoc enim prorsus foret Synergisticum & Pontificium, imò Pelagianum.

XXX. *Pelagius* enim (Monachus ille Britannus, qui vixit circa annum Christi 415.) teste Augustino, tradidit, fidem & sanctitatem nostram prævisam esse causam meritoriam nostræ Electionis.

XXXI. Verùm duplici hoc modo Fides consilio Electionis inserta est: 1. συζευκτικῶς, respectu totius τάξεως decreto Electionis inclusæ, cujus Fides pars existit.

XXXII. 2. Ὀργανικῶς, respectu promissionis gratiæ & meriti Christi, quod utrumque Fides, ut Instrumentum ληπτικὸν, extra se quasi egrediens, amplectitur & apprehendit, planè ut in Articulo Justificationis.

XXXIII. Sicut enim justificamur non διὰ τὴν πίστιν: sed διὰ τῆς πίστεως, id est, NON PROPTER fidem: sed PER fidem: ita quoq; dicendum & docendum, quòd non *propter*: sed PER fidem in Christum ab ultima æternitate Deo, qui προνεπιστήμων, & προ-

& προνεπόπης, prævisam, electissimus ad vitam æternam.

XXXIV. Quanquam enim thesaurus meriti Christi vel redemptionis partus est & acquisitus toti Mundo, eiq; universo offertur: *Joh.1,9. c. 3,16. 1. Joh.2,2. Rom. 5,18,19.* hoc tamen amplissimo beneficio nemo perfruitur, nisi per imputationem & applicationem, quæ nullâ aliâ ratione fieri potest, quàm ope administrâ Fidei. *Joh.3,16. Rom.3,25.4.3.6. Gal.3,9.*

XXXV. *IV. Quòd impii non odio quodam Dei absoluto: sed propter incredulitatem suam, & finalem impœnitentiam à Deo rejecti sint & reprobati:* id Christus ipsemet, ὁ τῆς μεγάλης βελῆς ἄγγελος, tum gnome aurea: tum illustri parabola potenter & evidenter astruit & declarat.

XXXVI. *Gnome* Christi est illud aureolum Johan.3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat: sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium in Mundum, ut condemnet Mundum: sed ut servetur mundus. Qui credit in eum, non condemnatur, qui vero non crediderit, jam judicatus est. (NB) Quia non credit in Nomen unigeniti Filii Dei.*

37. Ex

XXXVII. Ex ore Veritatis hîc audimus 1. Universalem Dei dilectionem, erga totum Mundum. 2. Universale Christi meritum. 3. Causam instrumentalem Electionis, Fidem scilicet vel τὸ credere. 4. Causam reprobationis & condemnationis, incredulitatem puta, quâ qui laborat, (NB) jam judicatus est.

XXXIIX. Nihil hîc inveniunt Adversarii quod oggannire possint; nisi ψευδεγμηνείαν collectivi Mundus, turpissimam, qua Reipublicæ Calvinisticæ dictator Beza *credentes tantùm* designari asseverat.

XXXIX. Quod quàm frivolum sit, & planè Sycophanticum, etiam pueri Alphabetarii intelligunt. Ut nihil interim dicam de manifestâ & perspicuâ Christi distributione, qua Mundum, ut σύνολον, in duas dispescit partes, credulos videlicet & incredulos, quæ liquidissimè ostendit τὸ *Mundus*, absq; stolidissima παιδιλογία de electis non posse intelligi.

XL. *Parabola* verò Christi est illa de nuptiis regis *Matth. 22.* qua παραδειγματικῶς exponit & declarat; quòd multi sint vocati, pauci verò electi: id non evenire ex absoluto & occulto quodam Dei decre-

decreto (alioquin πάντα τὰ ἱματα non appararet, servos non emitteret, convivas ad nuptias non vocaret,) sed ob propriam malitiam & inobedientiam convivarum, qua sermonem Vocationis ad cœlestes nuptias pertinaciter repulerunt, *Act. 13, 46.*

XLI. Et hac etiam ratione prorsus Anti-Calvinisticâ Epiphonema illud: (*Multi sunt vocati, pauci electi*) explicat Megalander *Lutherus* in Postilla Domestica, Dominicâ Septuagesimæ.

XLII. Cui planè est ὁμόψηφος Liber τῆς ὁμονοίας Lutheranæ, in articulo de prædestinatione, quo absolutum Calvinisticæ impietatis decretum, à Calvino & Beza jam tum, ab anno 1551. spargi ceptum, ex professo refutatur.

XLIII. V. *Quòd Deus non sit causa efficiens reprobationis & damnationis æternæ:* id aperta ipsius Dei protestatio, quâ se à crimine illo longè gravissimo αὐτόφωνος purgat, evidenter ostendit. Oseæ 13. *Perditio tua ex TE Israel: tantummodò IN ME Salus tua.*

XLIV. VI. *Quòd* denique; *ne unum hominem ad exitium & damnationem creârit:* sequentia isthæc Scripturæ oracula planum cer-

certumque faciunt: Gen. 1. *Vidit Deus omnia, quæ fecerat, & ecce erant VALDE BONA.* Sap. 2. *Creavit Deus hominem (ἐπ' ἀΦθαρσίᾳ) incorruptibilem & AD IMAGINEM similitudinis suæ fecit illum. Invidiâ autem Diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Sap. 11. *Diligis enim OMNIA, QUÆ SUNT, & NIHIL ODISTI eorum, QUÆ FECISTI: NEC enim ODIENS aliquid constituisti aut fecisti. Quomodo autem posset aliquid permanere, nisi tu voluisses? quod à te vocatum non esset, conservaretur. Parcis autem OMNIBUS: quoniam TUA sunt DOMINE, qui amas animas.*

XLV. Quibus sic constitutis, ad absolutum illud cohortis Zwinglio-Calvinianæ decretum, nobis jam redeundum, eumque eâ aliquantò propius manus conserendæ.

XLVI. Prodeat igitur in campum, ex instructissimo Spiritus sancti Armamentario, *syllogismus* ἐλεγχλικὸς, isq; *universalis*, ἀμυντήριον συλλήβδην in se continens præcipua, quibus Monstrum illud nocentissimum ab Ecclesiâ validissimè arceri & propulsari potest.

XLVII. Is verò talis est: *Quodcunq; dogma omnibus & singulis fidei articulis in Cate-*

chesi Lutherana ex immotis Scripturæ fundamentis firmissimè extructis ex diametro adversatur: id toto pectore eversandum, modisq; omnibus improbandum. Sed tale est delirium Zwinglio-Calvinianorum de Deo absoluto & fatali decreto. Ergo.

XLIIX. Major apud omnes θεοσεβεῖς extrà dubium est, imò ἀυτόπτης & omnique exceptione major.

XLIX. Minorem membratim, juxta seriem partium Catechismi à Luthero conscripti, jam probatam dabimus.

L. Quantum igitur *Decalogorum*, *primam* Catecheseωs Lutheranæ partem, attinet: absurditas sanè istius portenti dictu, & auditu horrendi, tùm ex singulis Decalogi præceptis, tùm ex præceptorum omnium communi appendice ὀφθαλμοφανῶς liquet.

LI. In singulis *præceptis* Decalogi omnia in universum peccata severissimè prohibentur & damnantur.

LII. In *appendice* autem fulmina anathematum in omnes peccatorum autores vibrantur, Deoq; laus justitiæ tribuitur amplissima.

LIII. Quo jure igitur Deus optimus maximus absoluto quodam decreto ac bene-

beneplacito reprobos ad æternam damnationem, ejusq; causas prædestinâsse, utq; impiè viverent, creâsse, dici poterit?

LIV. *Secunda* Catecheseως Lutheranæ pars tribus constat *fidei articulis*, cum quibus singulis istud ἄτοπον Φοελικὸν, καὶ βλάσφημον adversâ fronte pugnat.

LV. Ac *primò* quidem cum articulo, in quo partim opus creationis, quo Deus hominem ad imaginem suam condiderit, partim misericordia Dei infinita, ut causa ejus πρωτοτύπη; præclarissimè celebratur.

LVI. Sed utrumq; pessundant & conculcant, quantum in ipsis est, Zwinglio-Calviniani, furiosè asserentes: *Deum quosdam ad damnationem & damnationis causas creâsse: idq; ex mero & absoluto quodam odio, sinè omni infidelitatis aut impœnitentiæ intuitu.*

LVII. In *secundo* Fidei articulo celebratur *Redemptio* per Christum facta, eaq; planè universalis, attestante passim universâ tum Veteris tum Novi Fœderis Scripturâ. In V. T. *Gen. 12, 4. c. 18, 18. Esa. 53, 6.* In N. T. *Joh. 1, 36. c. 12, 32. 47. 1. Joh. 2, 2.*

LIIX. Sed quid absoluti istius decreti architecti & Patroni? Contra unanimẽ totius chori Prophetici & Apostolici

παναφεσιολατρ, universalem Redemptionem in particularem transformant, apertè negantes: Christum pro toto mundo, & æquè etiam pro reprobis atque electis passum & mortuum esse. *Beza* in Colloq. Mompelg. f. 114. *Num verò Christus totius mundi peccata sustulit, ut vos de SINGULIS hominibus interpretamini? Et certè nobis INTOLERABILIS vox vestra visa est: Christum esse mortuum pro damnatis.* *Zanchius*: in Miscell. l. 2. p. 280. *Christus est propitiatio TANTUM pro peccatis Electorum, qui aut jam credunt in ipsum, aut sunt aliquando credituri.* *Tossanus*: In disput. Mense Julio habitâ Anno 89. thes. 20. *Gravis est error si Christus pro omnibus hominibus mortem dicatur oppetisse.* *Piscator*: in disp. de prædestin. *NON PRO SINGULIS mortuus est CHRISTUS: sed TANTUM pro ALIQUIBUS.* Item: *CHRISTUS pro SOLIS electis mortuus est.* *Beza* iterum Resp. 2. ad act. Coll. Momp. p. 221. *Iterum dico, & coram tota Ecclesiâ Dei profiteor: falsum, blasphemum, impium esse dicere Christum sive quoad ad Dei consilium attinet, sive quoad effectum, non minus pro damnatorum & æterno judicio adjudicandorum peccatis, passum, crucifixum, mortu-*

mortuum esse & satisfeciſſe, quàm pro peccatis Petri, Pauli & omnium Sanctorum.

LIX. In *tertio* Symboli Apoſtolici articulo: credimus nos certò certiùs per & propter Chriſtum vitam æternam conſecuturos eſſe.

LX. Hanc verò fidei πληροφορίαν & ſpei noſtræ certitudinem omninò evertit, adeoq; ampliſſimam ad deſperationem viam pandit, προμολύνειον illud Zwinglio-Calvinianum.

LXI. In *tertia* Catecheſeωs Lutheranæ parte, quam conſtituit *Oratio Dominica*: DEUM PATREM noſtrum appellamus, propter cauſas ſummi ponderis & momenti.

LXII. Inter quas & hæc non eſt poſtrema, quòd ardenter & ſeriò noſtram ſalutem ſitiat, nihilque magis in votis habeat, quàm ut FILII gratiæ ſimus & maneamus.

LXIII. Zwinglio-Calviniani autem commento illo ſuo, de abſoluto decreto & arcanâ & abſonditâ voluntate, Deum fingunt & pingunt, non ut PATREM φιλόστοργον: ſed ut tyrannum ἄστοργον: non ut Deum veracem: ſed ut Hypocritam mendacem.

LXIV. Sic enim blasphemus ille *Piscator* thes. 8. de prædest. *Deus non semper vult, quod se velle significat: sed interdum simulat.*

LXV. *Quarta* Catecheseως Lutheranæ pars sibi vendicat doctrinam de *Baptismo*, ad quam utiq; non aliquibus saltem: sed in universum *omnibus* patet aditus; juxta illud non magis πολυθρύλλητον, quàm καθολικὸν: Matth. 28. *Euntes ergò docete OMNES gentes, baptizantes eos in nomine PATRIS & FILII & SPIRITUS SANCTI.*

LXVI. Cum quo sanè absolutum Calvinistarum decretum nullo planè modo stare potest; præsertim, cùm Baptismus *consilium* Dei nominetur. *Luc. 7, 30.*

LXVII. Idq; adeò certum est & evidens, ut Beza, absoluti decreti asserendi gratiâ, efficaciam Baptismi, quàm ex Dei ordinatione obtinet, negare ausus; dum in Colloquio Mompelgartensi in verba hæc perquam impia & horrenda furiosè erupit: *Idem in Baptismo quoq; fit, quem multa millia infantum accipiunt, qui tamen nunquam regenerantur; sed in æternum pereunt.* fol. 479.

LXIIX. *Quinta & ultima* Catecheseως Lutheranæ pars est de *Cœna Domini*, institu-

tuta

tuta pro *omnibus* iis, quibus animus suam confirmandi fidem.

LXIX. Sed hunc epuli hujus sanctissimi finem nobilissimum figmentum illud Calviniſticum itidem evacuat; quòd accedit, quòd reprobos præter nudum, putumq; in Cœnâ panem & vinum nihil amplius accipere, clamitant.

LXX. Et hactenus quidem refutatio istius παραλογίας Zvvinglio-Calvinianæ, quam ideò juxta seriem partium Catecheseos Lutheranæ instituere libuit, cùm nescii non simus, quòd Genti Sacramentariæ aureolus ille Liber sudes fit in oculis.

LXXI. Restant *fundamenta*, quibus structura commenti istius nititur, brevi leviq; negocio destruenda.

LXXII. Eorum autem potissima, maximeq; classica extruere consueverunt ex *Epistola Pauli ad Roman. c. 9.*

LXXIII. Ubi primò occurrit *historiola de Esavo & Jacobo*, quæ non adducitur παραδειγματικῶς, quasi sit exemplum absolutæ & æternæ Electionis & Reprobationis. Minimè. Sed tantummodò τυπικῶς, quatenus inibi typus quidam gratuitæ acceptationis ad vitam æternam latet,

ducitur; argumentum ἐκ τῦ μᾶλλον: Si carnalis prærogativa nihil facit ad acquisitionem boni corporalis & temporalis, multò minus ea aliquid faciet ad consequendam æternam salutem. Sed verum prius, ut constat ex historiâ Esavi & Jacobi. Ergo. &c.

LXXIV. Dicta ex *Exodo 33, 19.* allegata *v. 15. Miserebor &c.* Et *v. 16. Itaq; non volentis est &c.* non opponuntur ordini divinitus sancito: sed nostrorum operum meritis & dignitati, adversus Judæos propriam operum justitiam constituere quærentes.

LXXV. Illustratur hoc contrario misericordiæ exemplo, *indurationis* videlicet Pharaonis, *v. 17, 18. ex Exod. 9, 16.* quem Deus *induravit* non operatione efficaci, quasi autor foret illius, ut peccati: absit: sed desertione, permissione, traditione in potestatem Satanæ &c. ut justus Judex, quatenus induratio est pœna antegressæ impietatis &c.

LXXVI. Idem quoque esto judicium de eo, quod ibidem dicitur: Deum Pharaonem *excitâsse*. Præterquam enim, quòd ἐξηγέρω etiam interpretari licet, *Erexi*, juxta proprietatem verbi הֶעֱמַדְתִּיךָ vel

etiam,

etiam, *è morte* quasi *resuscitavi*: *excitare* sanè illud intelligendum est; non de *causâ efficiente*, quasi Deus voluerit Pharaonem adeò obstinatè esse impium, ut gloriam suam ostendat.

LXXVII. Verùm de *fine* salutari, ad quem Deus, pro inenarrabili sua sapientiâ, pervicaciam Tyranni Ægyptii, ab ipso instinctu Diaboli, sponte contractam, reduxit. Hoc enim sibi volunt hæc verba ibi addita: *UT ostendam in te potentiam meam, & UT annuncietur nomen meum in tota terrâ.*

LXXIIX. *Vasa iræ*, de quibus *vers.* 23. Deus non præparat, sicut Vasa gratiæ, quæ ipse γνωρίσας πλοῦτον τῆς δόξης ἑαυτοῦ προετοιμάζει: sed illa à Diabolo κατηρτισμένα invenit & tolerat ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ pœnitentiam eorum subinde expectans. *Rom.* 2. *v.* 4. 5. 2. *Pet.* 3, 13.

LXXIX. *Instant* porrò adversarii: Si absolutum Dei decretum negatur: quæ causa, quæso, afferri poterit, cur Deus non omnibus largiatur fidem?

LXXX. *Resp.* Causa hujus defectus non in Deum & ejus decretum reprobationis absolutum rejicienda est: Sed tota

dependet ab *instrumento fidei* πρὸς ἡμᾶς, quod est auditus verbi, *Rom. 10, 15, 16.*

LXXXI. Sed cur non omnes ex auditu Verbi fidem concipiunt? Estne culpa in Deo? Minimè gentium. Ipse enim vult efficax esse ubique per Verbum à se, ex sapientissima quadam εὐδοκίᾳ eum in finem ordinatum, ut sit ὄργανον, γεννητικὸν καὶ ποιητικὸν τῆς πίστεως. *Esa. 65. v. 2. c. 55, 1. 1. Cor. 1, 21.*

LXXXII. Culpa verò hæret in hominibus, qui non eo modo Verbum audiunt, quo audire debebant, immemores gravissimæ exhortationis Christi: QUI AURES AD AUDIENDUM HABET, AUDIAT, *Marc. 4, 9. 33. Luc. 8, 8.* Et iterum VIDETE, QUID AUDIATIS *Marc. 4, 24.*

LXXXIII. Itaq; dum non præstant, quod præstare poterant, & quo facto Deus fidem ipsis haud dubiè largiturus fuerat: Sed obstinatè obstrepunt Spiritui Sancto: quid mirum, nec Deum præstare, quod vi ordinationis & εὐδοκίας suæ, præstare maximè voluit.

LXXXIV. Exemplum hujus rei admodum evidens habemus in Judæis sermonem Dei repellentibus, & è converso in gentibus eundem sermonem audientibus,

bus, glorificantibus, cum gaudio suscipientibus, & ob id in numero Electorum esse palàm pronunciatis.

LXXXV. Neq; verò hæc sententia *Pelagianismum* vel *Synergismum* quendam resipit. Auditus enim verbi non meriti: sed medii πρὸς ἡμᾶς rationem habere asseritur; nec dicitur quid voluntas agat, *ut* obediat: sed quid agat, *ne* obediat: Ut enim in illo est ociosa & ἄεργος: ita in hoc admodum negotiosa & ἐνεργής.

LXXXVI. Nugæ quoq; sunt impiæ & gerris Siculis inaniores (in quo tamen præsidium causæ suæ collocant) quicquid Calvinisticæ factionis Duces, *Beza*, in Colloquio Mompelgartensi, & *Tossanus* in thesibus contra articulos Visitationis Saxonicæ, afferunt de *Ostensione justitiæ Divinæ*; quasi Deus non fuisset αὐτοτελῶς justus; quasi non in Angelis lapsis, quasi non in Filio pro nobis passo, crucifixo, mortuo, omnem vim justitiæ suæ sufficientissimè exeruerit; si maximè nulli usquam forent reprobi, in quos iræ suæ fluctus effunderet.

LXXXVII. Frivolum denique & temerariũ est, quòd Zvvinglio-Calviniani decreto absoluto patrocinium quærũt, in *libro*

Luthe-

Lutheri, quem de *servo arbitrio* conscriptum posteritati reliquit.

LXXXIIX. In libro namque illo Reverendus Pater agit contra Erasmum, qui Scholasticos secutus ex Philosophiâ potius & judicio rationis: quàm ex Scripturâ vires liberi arbitrii defendebat. Hunc ut gladio suo jugulet Lutherus, ex Erasmi principiis, ex rationis videlicet judicio, contra adversarium pugnat.

LXXXIX. Itaque, dum Erasmus ex judicio rationis libertatem voluntatis humanæ supra modum extollit: tum Lutherus, imitatione Patrum, εἰς τὸ ἀνθρώπινον ἀποκλίνων, ex judicio rationis, omnia ex absoluta necessitate fieri contendit, & ita Antagonistam propriis ipsius principiis confundit.

XC. Interim tamen eâ ipsâ disputatione ostendit, se contra rationem naturalem superbam illam Dominam pugnare, ut sese subjiciat verbo divinitus revelato, nec expostulet, murmuret, blasphemet, ob judicia Dei, quæ ipsa non capit aut intelligit.

XCI. Liquet illud tum ex aliis libelli istius locis, tum vel maximè ex verbis hisce sequentibus, quæ inibi continentur:

Quo-

Quomodo hoc justum sit, ut indignos coronet, incomprehensibile est modò, videbimus autem cùm illuc venerimus, ubi jam non credetur, sed revelatà facie videbitur. Tom. 3. Jen. Lat. fol. 207.

XCII. Deinde non attendunt *Epistolam Lutheri* circa illud ipsum tempus *ad Christianos Antverpienses* perscriptam, è qua meridiano sole clariùs exsplendescit, quod sanctus isthic vir Dei neutiquam fuerit in sententiâ, quam ex libro de Servo arbitrio Antagonistæ ipsi affingunt.

XCIII. Sic enim ibi Μαρρήδιω scribit: Derhalben ist meine bitte/ ob euch dieser Geist mit der hohen Frag von dem heimlichen willen Gottes viel wolt bekümmern/ so weicht von jhm vnd sprecht also: Ists zu wenig/ daß vns Gott lehret von seinem (NB) offentlichen Willen/ den er vns offenbaret hat? Was narrestu vns/ vnnd wilt vns dahinein führen/ das vns zu wissen verboten vnd vnmüglich ist/ vnnd du selbest nicht weissest? Las Gott solches befohlen seyn/ wie das zugehet/ vnd ist gnug/ daß wir wissen/ wie er keine Sünde will/ wie er aber die Sünde verhenget/ oder will/ sollen wir lassen gehen/ Ein Knecht soll nicht wissen seines

nes HERRN heimligkeit / sondern was jhm sein Herr gebeut / viel weniger soll ein arme Creatur ihres Gottes Majestet heimligkeit erforschen vnd wissen wollen. *Tom. 3. Jen. Germ. f. 102.*

XCIV. Denique Calviniani sicco pede transiliunt, *præmonitionem Lutheri*, qua & mentem suam declaravit, & qua fraude fanatici libri illius sui auctoritate abusuri essent, Prophetico Spiritu prædixit, in cantione illâ suâ Cygnæâ, hisce verbis omnium memoriâ dignissimis: *Post mortem meum multi meos libros proferent in medium, & inde omnis generis errores & deliria sua confirmabunt. Scripsi autem inter reliqua esse omnia absoluta & necessaria, sed simul addidi, quod aspiciendus sit Deus revelatus &c. Sed istos locos omnes transibunt & eos tantùm arripient, de abscondito Deo. Vos igitur, qui nunc me auditis, memineritis me hoc docuisse: Non esse inquirendum de prædestinatione Dei absconditi: sed in ea acquiescendum esse, quæ revelatur per Vocationem & Ministerium Verbi. Ibi enim potes de fide & salute tua certus esse & dicere: Ego credo in Filium Dei, qui dixit: Qui credit in Filium, habet vitam æternam, &c.* In c. 26. Genes.

XCV. Sed hîc pedem figimus, Deque

que gratias agimus summas, pro Voluntatis suæ benignissimæ patefactione: supplici ter eundem venerantes, ut suo sancto Spiritu ita nos regat, ut in ea humiliter acquiescamus, gnari & memores illius Salomonis: *Scrutator majestatis opprimetur à gloria.* Proverb. 25, 25.

III.

CONTROVERSIA

DE UNIVERSALI OMNIUM INDISCRIMINATIM HOMINUM ELECTIONE

D. Samuelis Huberi.

RESPONDENTE

M. ANTONIO MENSCHINGIO

Ecclesiaste in Apelern in Comitatu Schawenburg.

Præfatiuncula

I.

MEmorabilis est Doctoris gentium Prophetia, quam posteritati reliquit in sua concione valedictoria ad Ecclesiæ

siæ Ephesinæ presbyteros habita: Ex VOBIS IPSIS, inquiens, *exorientur Viri loquentes perversa, ut abducant discipulos post se.* Act. 20.

II. Prædictioni huic ex asse respondit eventus, non tantùm in florida tum Ecclesiæ enascentis ætate: verùm etiam, circa hanc extremam Mundi vesperam, in Ecclesiæ denascentis senectute.

III. Ut enim alia, brevitatis studio, prætereamus: testatur sanè id vel maximè exemplum *Huberi*, qui in hac Academiâ, aliquot abhinc annis, docendi munere functus, se Lutheranæ Veritatis Assertorem, unà cum aliis acribus & strenuis ejusdem ὑπερασπισταῖς, professus est.

IV. Sed mox ex ipsis egressus est & factus, phrasi Apostoli, *Vir loquens perversa*, eo studio, *ut abduceret discipulos*, vel studiosos Theologiæ, post se.

V. Maximè verò Electoralis Munificentiæ Alumnos, quorum ἐπισκοπὴ ipsi singulariter erat commendata.

VI. Et ausus est sanè Homo importunus etiam de justificatione & regeneratione errores quosdam seminare: sed postea tamen à Theologis admonitus, destitit in-

tit indè statuendo, quod justificatio & regeneratio non sint Universales; sicut patet ex *Actis Colloq. Witteberg. Anno 94. Mense Februario* institutis.

VII. Utinam verò, atq; iterum utinam, in Colloquio illo eò etiam adigi potuisset, ut errorem suum de prædestinatione agnovisset: seq; vocabulo *Electorum* καταχρηστικῶς, pro *dilectione* Dei, erga genus humanum, usum fuisse fassus esset!

VIII. Sed id neq; tum: neq; ad hunc usque diem obtineri potuit. Quid? se de Electione *propriè*, imò *propriissime* sic dictâ loqui palam contendit: *Catachresin* verò, ut *orationem mendacem, falsam, erroneam*, planè rejicit & explodit.

IX. Et sic quidem Huberus ex nobis egressus est: sed non erat ex nobis. Si enim fuisset ex nobis, mansisset utiq; nobiscum: Sed ut manifestum fiat, quòd non sit ex nobis: nobiscum non mansit, nec ad nos, post tot fidelissimas admonitiones, rediit: sed in errore suo contumaciter perseverat, nec ullo sibi modo παλινῳδίαν Ecclesiæ canendam persuaderi patitur.

X. Nobis igitur etiamnum contra

ipsum, in palæstrâ Theologica, decertandum, hoc præsertim tempore valdè ἐριστικῶ, quo ἀλλοτριοεπίσκοποι & πολυπράγμονες nonnulli illud τὸ κακὸν ἐυκέμφορον, non absq; scandalo, iterum movere audent.

XI. Ceterùm quoniam non modò aliis in rebus: sed maximè etiam in pugnâ, nihil ordine melius: aciem utiq; nostram hunc in modum disponere juvat. 1. Statum controversiæ perspicuè proponemus. 2. Sententiam nostram breviter exponemus. 3. Huberi opinionem solidè refellemus. 4. Absurdas phantasmatis Huber. consequentias perstringemus. 5. ἀντιλογίας ex Libro Concordiæ, Articulis Visitationis Saxonicæ & Lutheri scriptis Huberò opponemus. 6. Fundamenta & asyla dogmatis Huberiani præcipua diruemus.

XII. Domine sanctifica nos in Veritate. Verbum tuum est Veritas! *1. Sam. 7. 28. Psal. 119, 43, 86 Joh. 17, 7.*

I. Status Controversiæ.

XIII. In charta quadam Anno 1604. Halæ excusa, cujus ἐπιγραφὴ Erklerung &c. Statum Controversiæ Huberus sic formavit: *An Deus in Christo omnes homines ad vitam æternam ordinârit vel elegerit?*

14. Ubi

XIV. Ubi quidem, suo more, perquam obscurè & ambiguè loquitur, partim dum τὸ *ordinare* & *eligere*, ut synonyma, conjungit: partim in verbis: (IN CHRISTO) quæ diversimodè intelligi possunt.

XV. Interim ex explicatione ipsius eò loci, sicut & alibi, facile & promptum est colligere, hanc esse ipsius sententiam: *An nimirum velit Deus, ut omnes in universum homines in Christum Universalem totius Mundi Salvatorem credant, & sic per ipsum salvi fiant & num id propriè, imò propriissimè dici possit ac debeat Electio?*

XVI. Unde apparet, quòd duo distincta ζητήματα permisceantur, quorum unum ἀναμφισβήτητον: ἀμφισβητήσιμον alterum.

XVII. ἀναμφισβήτητον est, & in Scripturâ decantatissimum, quod Deus omninò velit, (*voluntate antecedente*) ut omnes in universum homines in CHRISTUM Universalem Mundi Salvatorem credant; & sic per ipsum salvi fiant.

XIIX. Imò hoc ipsum est, quod tanto ardore adversus Zwinglio-Calvinianos, absoluti decreti Patronos, propugnamus.

XIX. Ἀμφισβητήσιμον verò est: *An hæc universalis Dei Voluntas propriè, imò propriissimè appellari possit ac debeat electio*, adeò, ut dici possit: *Deum ab æterno, in ipso prædestinationis actu etiam eos, quos nunquam credituros præscierit, ad vitam æternam elegisse.*

XX. Ἰδὲ ξόδος· ἰδὲ πόδημα. Hîc vel affirmativa: vel negativa tenenda ac tuenda est.

XXI. Et Huberus quidem, suis cum Assecłis, *Affirmativam* arripit: γνησίως καὶ ὁλοψύχως Lutherani *Negativam* amplectuntur.

II. Sententia verè Lutherana de de hoc negocio.

XXII. Estque hæc ipsorum, κεφαλαιωδῶς εἰπεῖν, sententia.

XXIII. I. Mysterium prædestinationis complectitur certam τάξιν, inenarrabili Dei erga genus humanum dilectione, sapientissimè constitutam, eum ob finem, ut saluti illius, post miserabilem Protoplastorum lapsum, iterum consulatur.

XXIV. II. Hæc τάξις hisce potissimùm membris constat & absolvitur. I.

Quod

quòd DEUS *Filium suum Mundo dedit*, qui morte & passione sua totum genus humanum ab omnibus peccatis & condemnatione æternâ redemit.

XXV. 2. *Quod Deus gratiam suam & meritum Christi*, per Verbum & Sacramenta eidem, *affectu serio, offerri fecit.*

XXVI. 3. *Quòd per hæc media à se ordinata, velit esse efficax* in omnibus iis, qui operationi Spiritus sancti contumaciter non resistunt, adeoq; in iis Fidem in Christum salvificam operari.

XXVII. 4. *Quòd eos, quos ita in Christum credituros, atque fide constanter usq; ad finem perseveraturos præviderit*, singulari gratiâ & dilectione complexus sit, eosq; *ad vitam æternam elegerit.*

XXIIX. 5. *Quòd contra eos, quos vel in Christum non credituros: vel à fide defecturos præviderit*, propter hanc ipsam inobedientiam & incredulitatem finalem, vi justitiæ suæ, *reprobârit* & damnandos pronunciarit.

XXIX. III Quod priora membra attinet: ea planè universalia sunt, pertinentque ad *Antecedentem* Dei Voluntatem, quam nonnulli Theologorum, ante motam hanc controversiam, significatione

laxiori & impropriâ (im weitleufftigen Verstandt *in Apolog. articul. visit. Saxon. f. 291.*) *universalem Electionem* appellare soliti.

XXX. *IV.* Quod duo posteriora decreta spectat: in iis utique ἀνθυπαίρεσις sese offert, respectu credentium & non credentium, pertinetque ad Voluntatem Dei consequentem, illi Antecedenti non ἀνυποθέτως: sed ὑποθετικῶς subordinatam.

XXXI. Sed ne videamur φρονεῖν ὑπὲρ ὃ γέγραπται, id quod seriò prohibet Apostolus *1. Cor. 4.* doctrinam hanc nostram confirmamus ex Scripturâ divinitus inspirata, præmisso hoc syllogismo θεοπνευστικῶς.

XXXII. Qualis decreti electionis executio & patefactio: talis etiam illius ab æterno, in consilio Trinitatis, facta constitutio. Atqui in Scriptura traditur decreti illius executio & patefactio, jam breviter adumbrata. Ergo.

XXXIII. Major ex regulâ, in Scholâ Theologicâ, ὁμολογουμένως receptâ, solidè & stabiliter est extructa.

XXXIV. Minorem probamus breviter partim gemmeâ Christi *sententiâ*: partim appositâ ejusdem *parabolâ*. Non enim

tam

tam numeris, quam pondere rationum pugnandum est.

XXXV. *Sententia* Christi memoriæ prodita extat *Joh. 3.* estque isthæc: *1. Sic Deus dilexit Mundum; 2. Ut* FILIUM *suum unigenitum daret, 3. Ut omnis, Qui* CREDIT *in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam. Non enim misit Deus Filium suum in Mundum, ut condemnaret Mundum: sed ut servetur Mundus per eum. Qui* CREDIT IN EUM, *non condemnatur. 4. Qui verò non credit,* JAM JUDICATUS EST. *Quia non credit in nomen unigeniti Filii Dei.*

XXXVI. Hic ipse Filius Dei, qui est in sinu Patris, ordinem electionis illustrem, in modum patefecit, & perspicuè explicavit, quænam præcipuè ordinis illius constitutionem ingrediantur.

XXXVII. Recenset autem numero quatuor. *1. Dilectionem Dei* ardentissimam erga totum Mundum (*Sic Deus dilexit Mundum*) 2. *Redemtionem*, per Christum toti Mundo donatum, quo Φιλανθρωπίαν suam summam pluſquam abundè declaravit (*ut Filium suum unigenitum daret.*)

XXXIIX. Atq; hæc duo pertinent ad *antecedentem* Dei voluntatem.

XXXIX. 3. *Fidem* in CHRISTUM Re-

demptorem. 4. *Incredulitatem* causam reprobationis.

XL. Hæc posteriora duo spectant Voluntatem Dei *consequentem*, in qua duo sese offerunt decreta ἀντιδιῃρημένα, quorum alterum vocari solet decretum *Electionis*, hisque verbis comprehenditur: *Omnis qui credit in eum, non perit: sed habet vitam æternam &c.* Alterum dici consvevit decretum *Reprobationis*, hisque verbis effertur: *QUI non CREDIT, JAM (JAM) judicatus est.*

XLI. *Parabola* Christi est illa *Matth.* 22. de nuptiis regiis, in qua exponit totam Electionis τάξιν sequentibus sex membris comprehensam.

XLII. 1. Deus Pater cœlestis, ex immenso suo *amore*, erga genus humanum in peccatis alioquin periturum, Filio suo parat nuptias per missionem ipsius in carnem.

XLIII. 2. Mactat altilia sua, quo *oblatio* Christi pro toto Mundo, in ara crucis denotatur.

XLIV. 3. Emittit servos suos, qui convivas ad epulum nuptiale invitant, nihilq; magis in votis habet, quàm ut omnes

mnes compareant. Et hæc est universalis omnium hominum *vocatio*.

XLV. 4. Hanc vocationem, etsi multi contemnunt, imò servis Dei crudeles injiciunt manus: tamen reperiuntur quidam, in quibus vocatio est efficax, quiq; ei obsequuntur. (Quo *justificatio*, quæ fit per obedientiam Fidei, designatur.)

XLVI. 5. Hi nuptiarum cœlestium fiunt participes, hîc in regno gratiæ incoativè: illic verò in regno gloriæ consummativè.

XLVII. 6. Qui verò vocationem ad nuptias cœlestes malitiosè repudiant, vel veste nuptiali (quæ est justitia Christi imputata) carent, vel si veste nuptiali induti fuerunt, eam iterum amiserunt (quales sunt renati, gratiâ Dei per peccata contra conscientiam rursum excidentes, & in hac ἀποστασίᾳ perseveranter persistentes) illi ob id non modò epulo nuptiali judicantur indigni; sed etiam ligati pedibus & manibus in tenebras exteriores ejiciuntur. Qua allegorica periphrasi incredulorum *reprobatio* graphicè depingitur.

XLIIX. Hæc membra singula & universa τῇ τάξει προσοχικῇ continentur, ea-

que omnia Deus etiam ipse πανοψία suâ simul ab æterno fuit complexus, cum consilium Electionis iniret.

XLIX. Summa: Ad nuptias regias, id est, ad salutis consequendæ negocium, non tantùm agni tollentis peccata Mundi mactatio, ex clementissimâ Dei Patris voluntate facta, pertinet: sed etiam requiritur, ut convivæ actu obediant vocationi.

III. Refutatio opinionis Huberianæ.

L. Sed jam tempus est, ut ad καινοτομὴν νεοδοξίας Huberianæ refutationem nos accingamus.

LI. Ἀκέφαλος ejus esto isthic Syllogismus cardinalis: Quicquid non modò ἄγραφον: sed etiam ἀντίγραφον, id est, Quicquid non tantùm absq; Scripturâ: sed etiam contra Scripturam, in Theologiâ statuitur: id falsum & erroneum est, nihilq; aliud, quàm hominis τὸν νῷν διεφθαρμένου phantasma. Atqui ejusmodi est opinio Huberi, de universali omnium promiscuè hominum Electione. Ergo.

LII. Ἐν μὲν τῇ ἀκολουθίᾳ in Majore ἀναντίῤῥητον esse, etsi nemo est, qui non videat:

deat: Superaddimus tamen, ἐκ τῆς θεοπνεύστου, tum Divinæ *Scripturæ Oracula*: tum Orthodoxæ *Antiquitatis suffragia.*

LIII. *Dicta Scripturæ* ex V. T. *Esa. 8. Ad legem & testimonium &c.* Ex N.T. *1. Pet. 4. Si quis loquitur* (loquatur) *ut eloquia Dei. &c.*

LIV. *Suffragia, Orthodoxæ Antiquitatis*, è multis pauca hæc sunto: *Tertullianus* lib. de resurr. carnis c. 3. *Auferr hæreticis, quæ cum Ethnicis sapiunt: ut de Scripturis solis quæstiones suas sustineant, & stare non possunt.* Idem in libro de carne Christi NON RECIPIO QUOD EXTRA SCRIPTURAM. *Hieron.* in c. 23. Matth. *Quod de Scripturâ sacra non habet auctoritatem eâdem facilitate contemnitur, quâ probatur.*

LV. Minoris δεῖξιν bimembrem esse oportet. *Priori* in membro τὸ ἀγεφόν: in *posteriori* τὸ ἀντίγεφον demonstrandum.

LVI. Quòd opinio Huberi manifesto *Scripturæ testimonio destituatur*, vel inde liquet: quòd *in Colloquio VVittebergensi*, ne unicum quidem locum è Scripturâ proferre potuit, quo universalem suam Electionem, atque hanc adeò propositionem: *Deus omnes in universum homines elegit*, confirmaret. Unde & magnæ autoritatis Theologus, in medio tùm colloquio, coram assidente & audiente Hubero,

bero, propalam dixit: *D. Hubere, primò monstra in Scripturâ universalem Electionem. Deinde quòd dilectio universalis vocetur Electio. Hoc ostende ex Scripturâ, & lis erit decisa.* Sessione IV. à prandio die 5. Febr.

LVII. Sed Huberus nihil respondit: verùm ad secundum Theologorum argumentum sicco pede transiliit. Ideoq; ibi mox sequitur, in Actis: *D. Huberus totties à nobis & ab ipsis Commissarius admonitus, ut proferret unicum saltem Scripturæ testimonium: ne gry quidem potuit ex Scripturâ hiscere: & nihilominus in suâ sententiâ perstitit, atq; ita ad secundum argumentum transiit.*

LIIX. Et licèt alias multum glorietur de axiomate isthoc Paulino: *Eph 1. ELEGIT NOS IN CHRISTO*, quasi inibi, si non quoad verba, tamen quoad sensum opinio ipsius stabiliter firmata & firmiter stabilita sit.

LIX. Facit tamen illud gloriationem perquàm vanâ & inani, sicut, ἔξω τοῦ θεοῦ, pluribus ostensuri sumus, in ipso Disputationis actu.

LX. Interim huc adscribimus hunc paragraphum ex *Epistola VVirtebergensium* Theologorum ad Huberum 8. Decemb. Anno 1593. exaratâ. *Locus certè Eph. 1. à te cita-*

citatus pro universali Electione stabilienda minimè facit, cum diserte ibi sanctorum & fidelium mentionem faciat, & dilectionem respectu Christi definiat: quo non agnito, nec per fidem apprehenso, locum non habet electio. *Quæ de re Concordiæ Formula* in Articulo de Electione §. 4. *sic habet*: Prædestinatio seu æterna Dei electio tantùm ad bonos & electos Dei Filios pertinet: & hæc est causa ipsorum salutis. Etenim salutem ipsorum procurat, & ea quæ ad ipsam pertinent, disponit. Super hanc Dei prædestinationem, salus nostra ità fundata est, ut inferorum portæ eam invertere non queant. *Quæ sanè commodissima & tutissima loquendi ratio est, congruens cum illa sententia Dei Servatoris, qui multos vocatos, paucos electos ait. Quod sanè nunquam dicturus fuisset, nisi multo latiùs vocatorum cœtus, quàm electorum numerus pateret, ac nisi inter visibilem vocatorum & invisibilem electorum cœtum constaret differentia.*

LXI. *Dicta Scripturæ*, in quæ monstrosus Huberi error adversâ fronte illudit & impingit, τῆς εὐσεβείας ἔνεκα, in Quinque classes distribuere possumus.

LXII. *Prima* est eorum, quibus apertè ac diserte *negatur*: *Deum omnes in uni-*

universum homines elegisse: Joh. 13. *NON de OMNIBUS vobis loquor. Ego scio, quos elegerim.* 1. Corinth. 1. *Videtis enim vocationem vestram fratres, quòd NON MULTI sapientes secundum carnem, NON MULTI potentes, NON MULTI claro genere nati: verùm quæ stulta erant secundum Mundum, delegit (ἐξελέξατο) Deus, ut pudefaceret sapientes. Et quæ erant imbecilla in Mundo contempta, delegit (ἐξελέξατο) Deus, & ea quæ non erant, ut ea quæ sunt, obliteraret, ut ne gloriaretur alla caro coram ipso.*

LXIII. Unde talis συλλογή: Scriptura apertè & disertè negat universalem omnium hominum electionem. Ergo.

LXIV. *Secundæ* classi accensemus ea Scripturæ Oracula, quibus Deus vel explicitè vel implicitè, *eos solùm homines ab æterno elegisse dicitur, qui fide in Christum prædicti,* inque eâ constanter perseverant. Joh. 6. *Hæc est VOLUNTAS ejus qui misit me, ut omnis, qui videt Filium & CREDIT IN EUM, non pereat: sed habeat vitam æternam.* Rom. 8. *Quos præscíverat, eosdem & præfinivit & quos prædestinierat: eosdem & vocavit, & quos vocavit, eos & justificavit, hos & glorificavit.* Eph. 1. *ELEGIT nos IN CHRISTO, antequam jacerentur fundamenta Mundi &c.* Item: *Qui*

præde-

prædestinavit nos, ut adoptaret, in Filios per Jesum Christum in sese juxta beneplacitum Voluntatis suæ: Item. *Prædestinati sumus secundum propositum ipsius, cujus vi fiunt universa, juxta decretum Voluntatis ipsius ut simus nos in laudem gloriæ ipsius, qui priores speravimus* (προηλπικότας) *in Christo.* 2. Thes. 2. *Elegit vos Deus ab initio in salutem, in sanctificatione* SPIRITUS *ac* FIDE VERITATIS. Jac. 2. *Nonne Deus elegit mendicos Mundi hujus, divites in Fide & hæredes regni.*

LXV. Unde hoc rursum emergit argumentum: Quoscunq; Deus elegit ab æterno, ii in fide perseverant usque ad finem. Non omnes autem in fide usq; ad finem perseverant. Ergo.

LXVI. Ad *tertiam* classem referimus ea sacrarum literarum loca, in quibus *ii, quos Deus elegit Mundo vel incredulis aut reprobis* ἀντιδιαιρῦνται. Johan. 15. *Si è Mundo fuissetis, Mundus, quod suum est, diligeret. Quia verò è Mundo* (ἐκ τοῦ κόσμου) *non estis, sed ego elegi vos è Mundo,* (ἐκ τοῦ κόσμου) *propterea odit vos Mundus.* Joh. 17. *Manifestavi nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de Mundo.* Item. *Non rogo pro* MUNDO: *Sed pro eis* QUOS DEDISTI *mihi.* NON *sunt* DE MUNDO, *sicut* NEC *ego sum* DE MUNDO.

Audi-

Audientes autem gentes gaviſæ ſunt & glorificabant ſermonem Domini. Et crediderunt, quotquot ordinati (τεταγμένοι) ad vitam æternam. Act. 13.

LXVII. Unde ulterius ſic argumentari licet: Quoſcunque Scriptura κατ' ἀνθυπαίρεσιν opponit iis, quos Deus elegit: ii his nullo modo accenſeri poſſunt ac debent. Atqui Scriptura Mundum & incredulos opponit iis, quos Deus elegit. Ergo.

LXIIX. *Quartam* claſſem conſtituunt ea loca, *in quibus electi nomine reliquiarum*, & huic ſimilibus vel Synonymis indigitantur, veluti: Eſa. 4. *Et erit omnis qui RELICTUS fuerit Sion, & RESIDUUS in Hieruſalem, ſanctus vocabitur, Omnis qui SCRIPTUS eſt in vita in Hieruſalem.* Rom. 9. *Si fuerit numerus filiorum Iſrael ut arena maris, RELIQUIÆ (καταλειμμα) ſalvæ erunt.* Rom. 11. *Sic igitur & in hoc tempore RELIQVIÆ ſecundum electionem gratiæ fuerunt.*

LXIX. Unde iterum ſic inferimus: Ubicunque reliquiarum fit mentio: ibi indicitur aperta ſeparatio à reliqua multitudine. Atqui Electi dicuntur reliquiæ ſecundum electionem gratiæ &c. Ergo &c. & per conſequens &c.

70. *Quin-*

LXX. *Quintæ* classi ascribimus ea codicis Biblici testimonia, quæ sonorâ voce pronunciant, *quosdam à Deo non fuisse ab æterno electos*, ac libro vitæ inscriptos, cujusmodi sunt: Apoc. 17. *Mirabuntur inhabitantes terram, QUORUM NOMINA SCRIPTA NON SUNT IN LIBRO VITÆ à condito Mundo.* cap. 20. *QUI NON INVENTUS EST in libro vitæ scriptus, conjectus est in stagnum ignis.*

IV. Consequentiæ perquàm absurdæ & ἀθεόλογοι ex dogmate Huberiano propullulantes.

LXXI. Sed quid opus est tantâ prolixitate in re manifestâ? accessum faciamus ad *absurditates & consequentias* ἀθεολόγους, id est, in principia Theologica impingentes, quæ ex Huberi dogmate, ex altera quasi Lernâ, tanquam capita quædam monstrosa & horrida, propullulant & enascuntur.

LXXII. Syllogismo rem complectimur tali: Quodcunque dogma ita comparatum est, ut inde consequentiæ in Theologiâ noxiæ & absurdæ oriantur: illi veritatis suscepto patrocinio masculè est

occurrendum. Sed ejusmodi est dogma Huberi. Ergo.

LXXIII. Major est ipsius Huberi in chartâ, cujus Epigraphe *Appellatio & provocatio*, hunc in modum disputantis: *Hoc ideò faciendum, ut Veritatis & salutis nostræ sempiternæ patrocinio susceptо erroribus & præsertim illis occurratur, qui ut D. Lutherus in libro de Ecclesiâ & conciliis gravissimè monet, Antecedens tale faciunt, ex quo inevitabile consequens allaturum naufragium fidei Christianæ, oriri necesse est. Non enim in hoc tantùm attendendum, quid jam disertis verbis vel ab hoc, vel ab illo nondum proferatur & asseratur, sed cujusmodi principia statuantur, ex quibus non potest non vera Jesu Christi lux & notitia extingui.*

LXXIV. Minorem firmamus ἐπαναγωγῆ vel ἐπαγωγῆ absurditatum & consequentiarum in principia Theologiæ impingentium, quasq; Huberus ipse ex suo prodigioso dogmate nectit.

LXXV. *Prima* est, quòd propriam ac *genuinam verbi eligendi significationem in Scripturâ traditam enervat &* pessundat.

LXXVI. Sic enim ipse autoritate plusquam prætoriâ dictitat in Scripto, cui titulus: *Modus ineundæ concordiæ* thes. 24.

Vocis

Vocabulum electionis ita ponitur in Scriptura, ut nullam ex opposito habeat vim separationis, *sicut Matth. 12. Christus dicitur, Filius dilectus, quem Deus elegit.* Nulla *hîc* separationis vis, *in vocabulo isto; alioquin Deus præter Filium unigenitum, plures habuisset filios.*

LXXVII. Sed falli & fallere Huberum, pluribus documentis irrefragabilibus constat.

LXXIIX. 1. Vox enim *Electionis* hoc palam ostendit, imò, vi præpositionis (EX) importat selectionem vel segregationem ex numero, multitudine, cœtu, sive cumulo.

LXXIX. Et sic semper ac ubique nomen *electionis* & verbum *eligendi* in sacris literis usurpata reperiuntur, nec ullum in contrarium adduci potest exemplum.

LXXX. 2. Idipsum oculis subjiciunt dicta Scripturæ παράλληλα, ut: Deut. 7. בְּךָ בָּחַר *te elegit Dominus, ut sit ei populus peculiaris* (לְעַם סְגֻלָּה) *de cunctis populis, qui sunt supra terram.* Lev. 20. וָאַבְרִיל *& separavi vos de populis, ut essetis mei.*

LXXXI. 3. CHRISTUS itidem urget Grammaticum istud significatū & præpositio-

sitionis emphasin Johan. 15. dicens: Ego ELEGI VOS DE MUNDO (NB. ἐκ τοῦ κόσμου)

LXXXII. 4. Recepta etiam est nostris in Ecclesiis isthæc loquendi formula: quod Deus EX GENERE HUMANO sibi colligat & eligat Ecclesiam.

LXXXIII. 5. Eodem collimant Tituli, quibus Orthodoxi Scriptores hunc de Electione articulum insigniunt, appellantes non Electionem omnium hominum; sed *Electionem* vel *prædestinationem Salvandorum, Sanctorum, Credentium.*

LXXXIV. *Secunda* dogmatis Huberiani consequentia in principia Theologica impingens est, quod non veretur homo impudens celeberrimam illam & utilissimam *distinctionem Voluntatis Dei in Antecedentem & Consequentem*, cum cachinno quasi explodere.

LXXXV. Ita enim scribit in chartâ, cui titulum fecit *Appellatio & provocatio. Similiter omnis permittur fides, si DE DUPLICI VOLUNTATE NOVUM hoc in ista controversia ADMISCEATUR ARTIFICIUM, in hoc inventum & excogitatum, ut per hanc duplicitatem & evacuationem electionis & ordinationis ad vitam, in Voluntate* (ut vocant)

cant) *antecedente, quæ objectum esse debet fidei, ex toto objecto electio evellatur seu ordinatio ad vitam in Christo.*

LXXXVI. Sed non esse tale artificium, sicut effrons nugarum artifex blaterat; id utiq; distinctionis illius & *autoritas & antiquitas* ipsum vel invitum cogent confiteri.

LXXXVII. *Autoritatem*, clarissima in luce monstrant, distincta *Scripturæ testimonia*, è quibus distinctio illa in Schola Theologicâ, omnium notissima, solidè & stabiliter est extructa.

LXXXIIX. De *Voluntate Dei Antecedente* hæc concionantur Scripturæ dicta: Ezech. 18. *Nolo mortem Morientis dicit Dominus.* Item c. 33. *Vivo Ego, Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur & vivat.* 1. Tim. 2. *Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* 2. Pet. 3. *Non vult Deus ullos perire: sed omnes ad pœnitentiam pervenire.*

LXXXIX. De *Voluntate* autem *consequente* & quidem eâ, quæ usitate *gratiæ & electionis* voluntas dicitur, hæc sonant Scripturæ loca: Joh. 6, 39. *Hæc est Voluntas ejus, qui misit me, ut omnis, qui videt Filium, & credit in eum, non pereat: sed habeat vitam æternam.* 1. Cor. 1, 21. *Placuit Deo* (εὐδόκησε)

per stultam prædicationem salvos facere credentes.

XC. De *Voluntate* verò *judicii & Reprobationis* intelligenda sunt hæc dicta Scripturæ: 1. Sam. 2, 26. *Non obedientes voci Patris sui, quia* DOMINUS VOLUIT *illos occidere.* Rom. 9, 18. *Et quos Vult, indurat.* Ibid. v. 22. *Et Volens ostendere iram suam adversus vasa iræ*, h. e. adversùs reprobos Divini verbi sui contemtores.

XCI. *Antiquitatem* porrò distinctionis illius Theologicæ vel indè æstimare licet, quòd eam proponit ac tradit *Chrysostomus* serm. 1. in Epist. ad Ephes. ex quo eandem *Theophylactus* Chrysostomi abbreviato, in comment. in eandem Epistolam, & hoc antiquior *Damascenus* lib. 2. ὀρθ. πίσ. c. 29. reperierunt. Adde quod Lutherus in Postill. Eccles. Dom. Sexages. eandem, & præsertim voluntatis consequentis συνδιαίρεσιν, suo ipse calculo comprobet.

XCII. *Tertia* Phantasmatis Huberiani Consequentia σοφόδοξος καὶ ἀλόγος est, quòd is, & ipsius Asseclæ *mutabilem* sibi imaginantur *Electionem* & omninò talem actiunculam, quæ libidini & arbitrio humano subjecta sit,

93. Ta-

XCIII. Tale enim Theologus quidam Huberi applausor illi Esaiæ 48. (*Ecce excepi te, sed non ut argentum: Elegi te in fornace tribulationis*) glossema assuit: *Multi qui Voluntate Dei fuerant electi, sua impietate fiunt reprobi, &c.*

XCIV. Cui rectè & graviter Lutheranus Doctor respondit. *Quid sinceros Theologos, qui hæc vident & legunt, judicaturos putatis? Certè primùm mirabuntur hæc heterogenea à vobis combinari. Cùm enim Propheta non de Electione propriè sic dicta ab æterno: sed de temporanea, quæ est probatio per ignem tentationis, sicut alibi aurum & argentum dicitur electum vel preciosum (quia satis superq; purgatum & probatum) loquatur, quomodo N. N. hoc dictum conciune ad æternam illam electionem deterqueere potest? Deinde, quomodo solidum & firmum stabit fundamentum Dei.* 2. Tim. 2. *Si illi, qui Dei voluntate erant electi, sua propria voluntate seipsos faciunt reprobos? Ubi manent illa dicta Pauli? Rom. 8.* Nemo potest electos separare à dilectione Dei, quæ est in Christo Jesu. Et Rom. 11. Dona & vocatio Dei sunt ἀμεταμέλητα. Item illud Daniel. 12. Omnis qui scriptus est in libro vitæ (*hoc est electus*) salvabitur. Denique illud CHRISTI, Matth. 24. Pseudo

Christi tanta dabunt signa & prodigia, ita ut in errorem inducantur (si fieri posset) etiam electi.

XCV. *Quarta* dogmatis Huberiani Consequentia supra modum absurda est, quòd & ipse *fidei respectum* ex prædestinationis actu eliminat & proscribit, contra tot tamque solida Scripturæ fundamenta superiùs allegata.

XCVI. Verba ejus propria hæc sunt: Rettung pag. 5. *Prædestinatio seu æterna Dei electio nequaquam tantùm ad bonos & dilectos Dei filios est referenda: (hoc enim extremè foret Calvinianum) sed æquè ad malos & infideles, quia simpliciter ad omnes, sive in unigenitum Dei Filium fuerint credituri, sive non credituri. Imò Deus elegit (NB) Tantùm infideles, quales omnes naturâ sumus.* In confut. brev. f. 10. *Aliud est de actu Dei, aliud de ejusdem effectu loqui. Actus Electionis præter misericordiam Dei & sacrosanctum meritum Christi, nihil requirit.* In responso ad Cens. Theol. Tubing. *Sed Scriptura hanc habet phrasin, quòd ante jacta fundamenta seculi, ante omnem respectum Fidei & operum nostrorum per Christum, ex quo causa fidei & operum nostrorum oritur, electi sumus à Deo.*

XCVII. *Quinta* καινο-καὶ κενοδοξίας Hube-

Huberianæ consequentia, insigni cum absurditate conjuncta, est, quòd Deus ab æterno *nullum* fecerit *discrimen inter fideles, & infideles*, electos & reprobos. Rettung pag. 5. *Respectus agnitionis Christi, & in eum fidei nihil pertinet ad æternum illud consilium Electionis: sed tantùm ad Fruitionem, quæ fit in tempore, & oppositio credentium, qui salvantur & non credentium, qui non salvantur, locum habet demum post applicationem, quæ fit in tempore, & nequaquam in ipso Divinæ Electionis consilio æterno.*

XCIIX. Sed opinionem hanc funditùs evertit argumentum ex collatione executionis propositi salvationis hominum, quæ fit in tempore, cum ejusdem constitutione facta ab æterno extructum.

XCIX. Cæteras hominis absurdissimi absurditates suo loco relinquimus, transeuntes indè ad *testimonia Libri Concordiæ, Visitationis Saxonicæ & Lutheri*, Hubero opponenda.

V. Ἀνυλογία Libri Concordiæ, Visitationis Saxonicæ & Lutheri, Hubero oppositæ.

C. *Librum* igitur sanctissimum *Concordiæ* quòd attinet, in eum sanè Huberus

solenniter juravit, & nusquam non ad eundem provocare solet.

CI. Quam honorificè autem interim de Symbolo isthoc Ecclesiarum Augustanæ confessioni γνησίως addictarum, augustissimo, sentiat: ex eo cuivis promptum & in proclivi est colligere: quod immodestiâ sibi familiari scribere non veretur. Rettung E. 5. fac. b. Was sie sonst von Concordi Buch / welches sie vor jhren Wischlumpen herumb schleppen / fürgebracht haben / das ist ihnen aus der Faust starck vnd vnüberwindlich gerissen worden.

CII. Sed audiat Thraso iste Librum Concordiæ, secumque expendat altiori animi trutinâ, paucula hæc tantùm ejus testimonia, &, si non planè traditus est in reprobum sensum, det palmam Veritati: *ÆTERNA verò electio seu prædestinatio DEI ad salutem, non SIMUL AD BONOS ET AD MALOS pertinet, sed tantùm AD FILIOS DEI, qui ad æternam vitam consequendam electi & ordinati sunt, priusquam Mundi fundamenta jacerentur: ut Apostolus testatur inquiens: Prædestinavit nos in adoptionem filiorum, per Jesum Christum in ipsum.* Item fol. 801. *Sed ad eum modum divinam electionem meditemur; quemadmodum Dei consilium, propositum & ordinatio in Christo Jesu (qui est verus ille liber vi-*

ta)

tæ) per verbum nobis revelatur. Totam igitur DOCTRINAM DE PROPOSITO, CONSILIO, VOLUNTATE & ORDINATIONE DEI (omnia, videlicet, quæ ad nostram redemtionem, vocationem, justificationem & salutem pertinent) SIMUL MENTE COMPLECTAMUR. Sic enim D. Paulus hunc articulum in scriptis suis tractavit & explicuit: Idem fecit Christus in parabola illa, de nuptiis: quod videlicet Deus in suo consilio & proposito decrevit hæc. Item fol. 808. Quare nequaquam sentiendum est, ut paulò ante monuimus, eos etiam in electorum numero habendos, qui verbum Dei contemnunt, repellunt, execrantur, atq; persequuntur: qui audito verbo corda sua contra illud obsirmant: qui Spiritui sancto resistunt; qui in peccatis absq; pœnitentiâ perseverant: neque in Christum verè credunt: externâ tantùm specie pietatem præ se ferunt: aut extra Christum alias justitiæ & salutis rationes quærunt. Ut enim Deus in æterno suo consilio ordinavit, ut Spiritus sanctus electos per verbum vocet, illuminet, atq; convertat, atq; omnes illos, qui Christum verâ fide amplectuntur, justificet, atq; in eos æternam salutem conferat: ita in EODEM SUO CONSILIO DECREVIT, QUOD EOS, QUI PER VERBUM VOCATI, illud repudiant, & Spiritui Sancto (qui in ipsis per verbum efficaciter operari & efficax esse vult) resistunt, & obstinati in ea contuma-

tumacia perseverant, indurare, reprobare, & æternæ damnationi devovere velit. Et in Epitome f. 618. *Prædestinatio seu æterna Dei electio, tantum ad bonos & dilectos filios Dei pertinet: & hæc est causa ipsorum salutis. Etenim eorum salutem procurat, & ea, quæ ad ipsam pertinent, disponit. Super hanc Dei prædestinationem salus nostra ita fundata est, ut inferorum portæ eam evertere nequeant. Hæc est Dei prædestinatio non in arcano Dei consilio est scrutanda, sed in verbo Dei, in quo revelatur, quærenda est. Verbum autem Dei deducit nos ad Christum: is est liber ille vitæ, in quo omnes inscripti & electi sunt, qui salutem æternam consequuntur. Sic enim scriptum est. Elegit nos in Christo, ante Mundi constitutionem.*

CIII. Judicet nunc universa Christi Ecclesia, num Huberus candidè se profiteatur socium & membrum Ecclesiarum, qui doctrinam Libro Concordiæ comprehensam γνησίως καὶ ὁλοψύχως amplectuntur.

CIV. Garrit præterea Huberus dogma suum de universali Electione, in *Visitatione Saxonica* fundatum esse, talem, in sua *Confessione* de Prædestinatione, faciens titulum: Daß aber die Lehr von der allgemeinen Gnadenwahl / auch in der Sächsischen Visi-

Visitation gesetzet vnd gegründet sey: sind diese argumenta &c.

CV. At enim verò, si omnia quam diligentissimè perlustraveris: Universalem quidem Dei voluntatem ex Scripturâ inibi asseri deprehenderis: de Universali autem Electione ne unicum quidem apiculum.

CVI. Quid? In *Refutatione libelli Calvinistici* contra articulos illius Visitationis publicati (Widerlegung des Calvinischen Büchleins/ etc. zur rettung der Visitations Artickul) inter alia, & hic paragraphus ponitur, imò ex diametro quasi promiscuæ Hubèri Electioni opponitur: Vnd zwar eben darumb/ dieweil sie nicht wollen gehorchen/ sind sie billich zu solchem Gericht beschrieben/ vnd hergegen nicht geschrieben im Buch des Lebens/ von wegen jhres Vnglaubens vnd Vngehorsams/ vnd nicht von wegen eines gemachten Decrets vnnd Vorsatz Gottes/ damit er sie schlecht dahin zur Hellen geschleudert hette von Ewigkeit. fol. mihi 454.

CVII. Quòd denique in *Confessione sua* autoritatem *Lutheri* jactitat: id à Dn. Doctore Hunnio p.m. jamdudum in cineres & fumos redactum & dissipatum est.

108. Nos,

CIIX. Nos, ut tyronibus studii Theologici, hac etiam in parte, aliquid demus: ἰδιογλώσσως huc adscribimus sententias quasdam magni illius Germaniæ Vatis, ex ἐξηγήσει cap. 17. Johan. Tom. VI. f. 174. Da stehet vnser Trost vnd Trotz / wieder alle vnsere Feinde / daß wir / so an Christum gleuben / vnnd an seinem Wort hangen / EBEN DJE SJND / DJE JHM SJND ZV EJGEN GEGEBEN VON GOTT DEM VATER. f. 181. Er setzet aber wol dabey / Denen / die du mir gegeben hast / von der Welt. Denn wie es niemand offenbaret vnd predigen lest denn er / also kan auch NJEMAND dieselbe Offenbahrung verstehen oder annehmen / DENN DJE / SO JHM GEGEBEN SJND / Die andern verachtens oder ergern sich / verfolgens vnnd lesterns. Ibidem. Will nun jemand wissen / Ob er erwehlet / oder wie er mit GOTT dran sey / der sehe nur auff CHRJSTI Mund / Nemlich / auff diesen vnnd der gleichen Sprüche. Denn ob man wol nicht gewißlich darauff reden kan / Wer es zukünfftig werden oder endlich bleiben soll / So ist doch das gewißlich wahr / Daß / WELCHE DARZV VERVR-

FEN

JEN VND KOMMEN SJND/ daß sie diese Offenbahrung/ das ist/ CHRISTJ WORT HÖREN/ So ferne/ daß sie es auch mit ernst annehmen/ das ist/ gentzlich dafür halten/ vnd gleuben/ daß wahr sey/ DJE SJNDS/ DJE CHRISTO GEGEBEN SJND VOM VATER/ welche jhm aber gegeben sind/ wird er wol erhalten. f. 184. HANGET an dem HERRN CHRISTO: so bistu gewißlich vnter dem Hauffen/ die GOTT von anfang dazu ERWEHLET HAT/ Daß sie SEJN EJGEN seyn sollen/ Sonst würden sie nicht herzu kommen/ Noch solche Offenbahrung hören vnnd annehmen.

VI. Fundamenta & latibula dogmatis Huberiani præcipua diruuntur.

CIX. Restant *fundamenta & latibula* Huberi, quorum pluscula sibi fabricatus. Nos ut methodo nostræ satisfiat, ea duntaxat perstringemus breviter, quæ duabus chartis, *Anno 1604.* circa nundinas Lipsienses Paschales sparsis illevit.

CX. *Primò* ex *universalitate dilectionis Dei, & redemtionis* Electionem omnium promiscuè hominum extruere audet. Sed hoc longè est absurdissimum. Sic enim ex iisdem principiis universalem etiam justificationem, & salvationem elicere liceret.

CXI. Nec quicquam obtinet dicto, *Ephes. 1. Elegit nos in Christo*, quod tamen nobis ubique, ut Ajacis clypeum, objicit.

CXII. Christus enim Mysterium electionis ingreditur non tantùm ratione meriti toti Mundo acquisiti: sed ratione apprehensionis, quatenus Meritum ipsius ab hominibus accipitur Fide, per quam Christo inserimur. *Johan. 15, 5. Rom. 11, 20, 22.*

CXIII. Et quis quæso est in Christo, nisi per fidem, extra quam Christus nobis est ociosus. *Gal. 5, 2.*

CXIV. Hanc interpretationem ipse Apostolus, loco allegato, nobis suppeditat; dum verbis immediatè subsequentibus, ordinem Electionis exponens, ejusmodi electorum requisita recenset, quæ sine fide ne cogitari possunt.

CXV. Futilis præterea & futilis est, Sophi-

Sophistæ distinctiuncula inter ἐκλελεγμένους & ἐκλεκτοὺς, vel inter *Electos participialiter & nominaliter* sic dictos.

CXVI. Nam 1. planè est ἄγραφος, & in Scholâ Theologicâ antehac inaudita.

CXVII. 2. Planè est ἀφιλόσοφος, & naturæ τῶν συστοίχων adversatur. Electum enim esse, & Deum quendam elegisse, prorsus sunt Synonyma, teste Christo in isto pervulgato, quo utrumque conjungit: Διὰ τοὺς ἐκλεκτοὺς, οὓς ἐξελέξατο. *Propter* ELECTOS QUOS ELEGIT: Marc. 13.

CXIIX. Eodem pertinet quòd Apostolus Electos appellat eos, οὓς προώρισεν *Rom. 8, 29. Eph. 1, 5.* οὓς εἵλετο 2. *Thes. 2, 13.*

CXIX. 3. Prorsus etiam in Theologiâ est ἀσύστατος. Vel unico enim hoc Apostoli pronunciato *1. Cor. 1. Deus non elegit* (οὐκ ἐξελέξατο) *sapientes hujus seculi: Sed quæ stulta sunt coram mundo*, ad terram usq; prosternitur & evertitur.

CXX. Disertè nimirum affirmatur: *Solos* ἐκλεκτοὺς esse ἐκλελεγμένους: contrà verò negatur: ἐκλελεγμένους appellari posse eos, qui non sunt ἐκλεκτοί.

CXXI. 4. Adde quòd Huberus ipse,

initio istius certaminis, nondum excogitatâ illa ψευδοδιαθήκῃ, totum genus humanum, ex verbis Petri *1. Epist. 2.* absurdissimâ ψευδεπιμιξίᾳ γένος ἐκλεκτὸν omnesq; promiscuè homines ἐκλεκτοὺς appellârit, usq; dum à Collegis urgeretur evidentiâ verborum Christi *Matth. 20. & 22.*

CXXII. Monstrari potest id ad oculum ex *Thesibus* ipsius *Tubingæ* in disputationem propositis *Thes. 734. 737. 752.*

CXXIII. Particularitatem in objecto fidei, quam nostris Ecclesiis sine rubore affingit, quod attinet: purum & putum est mendacium cum virulentâ calumniâ conjunctum.

CXXIV. Objiciat illud particularitatis monstrum Calvinianis apud nos nulla cuditur absoluta paucitas, nullos ea apud nos habet assertores.

CXXV. Nostri Theologi Dei gratiâ universalitatem misericordiæ Dei, universalitatem Meriti Christi, universalitatem promissionum Evangelii constanter tenent & tuentur; & ita fundamentum Evangelii contra Calvinianos strenuè propugnant, imò absolutam indè particularitatem intrepidè oppugnant.

CXXVI. Neque opus est, ut ideò Electio

lectio universalis contra totam SPIRITUS SANCTI Theologiam fingatur, ut particularitas Calvinistica eò fortiùs oppugnari possit. Nam mendacia mendaciis refutari haud queunt, neq; facienda sunt mala, ut eveniant bona. Rom. 3.

CXXVII. Tandem ad ea, quæ de *consolatione perterritarum conscientiarum* admiscet, sic respondemus: posse eas ignita tentationum Satanæ tela excutere: 1. Pia ἀναμνήσει sui Baptismi, per quem Christo fuerunt insiti, & in fœdus Dei gratiosum recepti. 2. ὑπομνήσει universalis misericordiæ Dei, universalis Meriti Christi, universalium promissionum gratiæ, undè nemo absoluto decreto est exclusus. 3. ἀκροάσει Absolutionis. 4. χρήσει Sacrosanctæ Cœnæ, qua hæc omnia ipsis singulatim applicantur, firmissimeq; obsignantur. Et quidem multò facilius & felicius, quàm si prædestinatio universalis à fide separata fingatur.

CONCLUSIO.

CXXIIX. Quòd superest: Διασκέψει huic colophonem imponimus hac δοξολογίᾳ Apostoli, *Eph. 1.*

Benedictus DEUS & PATER DOMINI nostri JESU CHRISTI, qui benedixit nos omni benedictione Spirituali in cœlestibus in CHRISTO. Quemadmodum elegit nos in ipso, antequam jacerentur fundamenta Mundi, ut essemus sancti & irreprehensibiles coram illo per caritatem. Qui prædestinavit nos, ut adoptaret in filios per JESUM CHRISTUM in sese, juxta beneplacitum Voluntatis suæ, ut laudetur gloria gratiæ suæ in æternum, AMEN.

DISPUTATIO XV.

DE PECCATO MORTALI, ET VENIALI: DEQUE BLASphemia in SPIRITUM SANCTUM.

Præside LEONHARTO HÜTTERO D.
Respondit M. JOHANNES LIPPIUS *Argentinensis.*

21. Septembr. 1610.

I.

MUltiplex & varia est *Peccati Actualis* distinctio pro diversitate variorum respectuum, quos peccati hujus consideratio sortitur.

2. In

II. In Controversiam autem vel maximè hodiè inter nos & Jesuitas venire solet ea, quâ peccatum hoc dividitur in *Mortale & Veniale*: & Mortale quidem rursus subdividitur, in *Blasphemiam in Filium Hominis, & in Spiritum Sanctum*.

III. Quamquam in eo multi hallucinantur, quod peccatum *Mortale* simpliciter & per omnia ejusdem cum peccato *regnante sive dominante*, de quo differit Apostolus *Rom. 6, 12. & 14.* latitudinis & naturæ esse autumant.

IV. Certè non ἀντίστροφον, sed ἀναστρέφον saltem, duarum istarum specierum, ad se mutuò est natura & affectio: ut omne quidem peccatum regnans sive dominans, sit etiam mortale: non verò vice versa, omne peccatum mortale sit etiam regnans sive dominans.

V. Cæterùm, distinctio hæc peccati in Mortale & Veniale, non respicit subjecti loco, ipsum peccatum *in se* & ratione *actus* sui, ex lege consideratum: sed tantùm *conditionem personæ peccantis*.

VI. Omne enim peccatum in se, per se, & secundum legis sententiam, est mortale, ne unico, vel leviſſimo etiam, imò nec Veniali excepto.

VII. Sententiam hanc tulit Deus ipse, Deut. 27, 26. Gal. 3, 10. *Maledictus omnis, qui non permanserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea.*

IIX. Hinc Apostolus indefinitè pronunciat *Mortem stipendium esse peccati*: Rom. 6, 23. & Jacobus planè ἀωξηλωτῶς: *Si quis vel totam legem servaverit, offendat autem in uno, illum omnium factum esse reum*: c. 2, 10.

IX. Graviter ergò errat Jesuita *Bellarminus*, scriptitans, *Venialia peccata, etiam ratione actus sui considerata, non perfectè esse peccata, si cum mortalibus conferantur*: lib. 1. de amiss. grat. & statu peccati, cap. 12.

X. Erroris fundamentum est, quòd somniat Jesuwita, peccatum mortale à Veniali distingui, ratione *actus*: planè ἀπαιδεύτως.

XI. Nam Actus hujus consideratio, non nisi ex lege dependet, quæ omnem transgressionem tàm mentalem, quàm sensualem, ut cum Scholasticis loquamur, tàm levem, quàm magnam, æternæ morti ac maledictioni adjudicat: secundum illud *Ezech. 18, 4. Anima quæ peccaverit, ipsa morietur.*

XII. Neque etiam hîc attenduntur *gradus* vel peccatorum, vel pœnarum: secun-

cundum quos peccata imparia esse, haud inviti concedimus: sed tantùm illud sub disquisitionem venit: *An peccata etiam Venialia, si ex se, ratione actus sui, & secundum legem Dei considerentur, haud minus atque peccata mortalia, æternæ morti subjaceant?* Ubi nos *affirmativam* per omnia amplecti, jam modò ostendimus.

XIII. Accedit, quòd talis perfectio in lege requiritur, quâ quisq; non ex semisse, sed ex asse: hoc est, ut Scriptura loquitur, *ex toto corde, ex tota animâ, & omnibus viribus Deum super omnia, Proximum autem sicut seipsum diligere debeat.* Deut. 6, 5 Matth. 22, 37.

XIV. Jam talis perfectio, ne quidem in renatos hac in vitâ cadit. Qui ergò Actus transgressionis legis divinæ, etiam in renatis, non perfectè sit peccatum? quatenus ille, ut dixi, actus, in se, per se, & secundum Legis rigorem expenditur.

XV. Corrigimus proindè errorem Jesuitæ, sic statuentes, *Fundamentum distinctionis Peccati mortalis & Venialis non petendum esse ex consideratione actus peccati in se, & respectu Legis: sed* (uti jam dictum) *ex conditione personæ peccantis.*

XVI. Cùm enim ne quidem in renatos talis cadat perfectio, qualem lex requirit,

quirit, & ratione hujus defectus, Homo non possit non mortaliter peccare: ideò Deus nostri misertus, perfectionem illam legalem à Filio præstari, nobis autem in hunc credentibus, verè imputari: & mediante hac imputatione, omnia credentium peccata, quantumvis in se mortalia, ita tegere voluit, ut reatu mortis & maledictionis per Filium expiato, evadant jam per accidens Venialia, quæ per se & ratione actus sui, sunt mortalia.

XVII. Homo ergò renatus, quatenus talis, peccat venialiter: neq; aliter aut priùs peccat mortaliter, quàm cùm *desinit esse talis*: quando nimirùm prævaricatur contra conscientiam, fidem & pœnitentiam veram amittit, ac Spiritum Sanctum excutit.

XVIII. Id quod tribus potissimùm fit modis: primùm, *errando circa fundamentum fidei*; sive hæresin in ipsam substantiam articulorum Religionis Christianæ impingentem concipiendo.

XIX. Deindè *concupiscentiis carnis vel occultè assentiendo: vel desultoriâ temeritate ruendo in quævis scelera ac flagitia, reclamante conscientiâ.*

XX. Tandem *hypocrisin prophanitate mix-*

mixtam, sive publice sive clàm fovendo: ut si renatorum aliquis, fastu Pharisaico fascinatus, gratia Dei frui, veramq; fidem habere se posse existimet; si vel maximè peccatis ac sceleribus frena liberiùs laxet, vel circa doctrinam, manifestis hæreticis palpum faciat, aut quovis modo assentiatur.

XXI. Distinctionem hanc agnovit regius Propheta David, inter peccatū & peccatū, hoc est, inter id, quod per imprudentiam & *infirmitatem*, & quod *destinata voluntate* à renatis est designatum, accuratè discernens: *Delicta*, inquiens, *quis intelligit? ab occultis meis munda me, & à contumaciis parce servo tuo: Si mihi non fuerint dominatæ, tunc immaculatus ero, & emundabor à delicto maximo.* Psal. 19, 13. & 14.

XXII. Et Apostolus, Rom. 7, 19. asserens *se malum quidem peragere*: sed mox cap. 8, 1. subjiciens, *nihil esse condemnationis his, qui sunt in Christo Jesu.*

XXIII. Et Johannes Apostolus de renatis, indifferenter omnibus enuncians: *Si dixerimus, quòd peccatum non habeamus, ipsi nos seducimus, & veritas non est in nobis*: 1. cap. 1, 8. Sed mox cap. 3, 6. & 8. scribens: *Qui peccat, non agnovit Deum: Et qui facit peccatum, ex Diabolo est, &c.*

XXIV. Quæ sanè pronunciata manifestam contradictionem implicarent, nisi distinctione peccati in mortale & veniale, omnis ἀντίφασις penitus tolli posset.

XXV. Quô re piciens B. Lutherus noster *in Comment. ad Galat.* satis & breviter & nervose infert: *Deus semper odit peccatum, imò omne peccatum, quoad substantiam facti, est mortale: Quod autem credenti non est mortale, fit propter CHRISTUM propitiatorem.*

XXVI. Passa est purior hæc Ecclesiarum nostrarum doctrina, acrem omninò contradictionem, à *Papatu* cumprimis, tàm veteri quàm recentiore.

XXVII. *Scholastici*, Pharisæorum secuti dogmata, distinguebant præcepta legis in *magna* & *parva*: Magnis opponentes peccata *mortalia*: parvis verò *venialia*.

XXIIX. Quin in specie ex Gregorio Magno, fortè non satis intellecto, *septem* enumerabant *peccati mortalis species*: 1. Superbiam sive inanem gloriam: 2. Iram: 3. Invidiam: 4. Acediam sive ignaviam: 5. Gulam: 6. Avaritiam: 7. Luxuriam sive lasciviam: *septem* his opponentes *virtutes* contrarias: 1. Humilitatem: 2. patientiam: 3. Charitatem:

tem: 4. Diligentiam: 5. Abstinentiam. 6. Liberalitatem: 7. Castitatem.

XXIX. Jam ut errorem impietate augerent, statuebant sola hæc septem peccata, suâ naturâ esse mortalia: reliqua verò singula ac universa, ita esse parva & levia, ut licèt ipsa per se displiceant Deo, Homo tamen propter ea minimè displiceat: siquidem non sint contra legem, sed tantùm præter legem Dei.

XXX. Hinc *Magister sentent. lib. 2. dist. 42. lit.* E. sic delirat: *Mortale peccatum obligat nos æternæ pœnæ: Veniale autem pœnæ temporali, sed quæ facilè indulgeatur.*

XXXI. Hinc *Thomas* etiam sic ineptit, 1. secundæ quæst. 89. *Peccatum Veniale non causat maculam in anima, & est in sensualitate: sicut Mortale est in ratione.*

XXXII. Quas tenebras sic evolvit & explicat noster *Chemnitius*: part. 3. locorum: *Quando sensualis motus carnis concipit aliquam illecebram peccati, cui plerumque inferior portio rationis & cogitationis, scilicet delectatio aliqua, sed non diu adest, & si non accedat voluntas perficiendi, quam dicunt esse superiorem rationis portionem, tùm Scholastici volunt peccatũ esse Veniale: ut sunt primi motus, itẽ quæ ex surreptione aliqua, infirmitate aut ignorantia*

fiunt,

fiunt, ita ut actus subitus, non deliberatus, quantumvis malus, sit Veniale peccatum; imò non habeat rationem peccati: neq; de tali peccato opus sit contritione: quippe quod impedire haud queat, quò minùs obedientia renatorum hac in vita sit integra & perfecta: imò vitam æternam promereri possit.

XXXIII. Et ne impietas isthæc modum haberet, excogitarunt Scholastici certa remedia, quibus *peccata Venialia*, etiam sine merito Christi, ab ipsis hominibus *expiari* queant: qualia ex ipsorum doctrina, hæc sunt præcipua:

1. Confessio generalis: vel recitatio Orationis Dominicæ. *Delet enim hæc oratio minima & quotidiana peccata: delet & illa, à quibus vita fidelium scelerate etiam gesta, sed pœnitendo melius mutata discedit:* uti habet *Jus Canonicum: de pœnit. dist. 3. c. de quotidianis.*

2. Devota pectoris tunsio: *quâ quisq; majorem in se severitatem debet exercere, ut à seipso judicatus, non judicetur à Deo. Est enim pœnitentia bonorum & humilium fidelium pœna quotidiana, in qua pectora tundimus:* de pœnit. dist. 1. c. tres sunt actiones.

3. Aquæ benedictæ aspersio, secundum illud: *Aquam sale conspersam populis benedi-*

medicamus, ut eâ cuncti aspersi sanctificentur & purificentur. Nam si cinis vitulæ, sanguine aspersus, populum sanctificabat atque mundabat: multò magis aqua sale aspersa, divinis precibus sacrata populum sanctificat atq; mundat, insidias diaboli avertit, & aphantasmatum versutiis homines defendit. De Consecr. dist. 3. c. Aquam.

4. Episcopalis benedictio, & Sacerdotalis, quin & monialis: *Sacerdotes enim pro populo interpellant, & peccata populi comedunt, quia suis precibus & oblationibus ea delent, atq; consumunt*: ut legitur, causa 1. quæst. 1. c. ipsi Sacerdotes.

5. Digna communio in Missa, *quæ omne crimen atque peccatum delet*: ut habetur de Consecr. dist. 2. c. cùm omne.

6. Eleemosynarum largitio, & pœnitentiæ dolor. *Neque enim sufficit mores in melius commutare, & de præteritis malis recedere, nisi etiam de his, quæ facta sunt, satisfiat Deo per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis*: de pœnit. causa 33. quæst. 3 dist. 1. c. Non sufficit: & c. Quamobrem: & c. Medicina. Antonin. part. 3. summæ, tit. 10. cap. 1. § quando.

7. Unctio extrema: flagellorum patien-

tientia: injuriarum remissio: & tandem quodlibet opus bonum, uti communiter hodiè tradunt novelli monachi Jesuwitæ: cumprimis *Gretserus in suis de Cruce analectis.*

XXXIV. Neque ab istâ impietate vel tantillum abhorret *Bellarminus*: quin eam mirificè potiùs adauget, scriptitans: *Peccatum veniale* EX NATURA SUA *distinguitur à mortali, ac sine ulla relatione vel ad prædestinationem, vel* AD MISERICORDIAM DEI, VEL AD STATUM RENATORUM, *est ejusmodi, ut pœnam quidem mereatur, sed non æternam: &* DEUM *offendat;* SED NON USQUE AD AMICITIÆ DISSOLUTIONEM. lib. 1. de amiss. grat. & statu pec. cap. 9.

Item: *Peccatum veniale, aut est tale* EX GENERE SUO, *ut verbum otiosum: aut ex imperfectione operis, & hoc vel ex subreptione, ut desiderium rei illicitæ, non plenè deliberatum: vel ex parvitate materiæ, ut furtum unius oboli, vel alterius rei, nullo aut vilissimo pretio æstimatæ. Peccatum igitur Veniale ex subreptione non est perfectè voluntarium, proindè nec perfectè peccatum. Peccatum autem Veniale ex parvitate materiæ est quidem perfectè voluntarium, sed non perfectè contra legem. Lex enim non prohi-*

bet

bet furtum unius oboli in specie, sed prohibet furtum in genere &c. ibid. c. 11.

XXXV. Cæterùm, quibus argumentis bella hæc societas impietati fucum facere studeat, in ipso disputationis actu accuratiùs dispiciemus.

II. *De Peccato sive blasphemia in SPIRITUM SANCTUM.*

XXXVI. Peccati mortalis tristissima species est blasphemia sive *Peccatum in SPIRITUM SANCTUM*: de quo Servator liquidò asserit, quòd sit *irremissibile* tùm in hoc, tùm in futuro seculo: quodq; sit obnoxium æterno judicio. *Matth. 12, 31. & 32. Marci 3, 28. Luc. 12, 10.*

XXXVII. Respicit verò *Objecti* loco peccatum hoc, non vitam aut mores hominum: ita ut quanta quanta detur vitæ morumq; conscelératio, ea tamen sub peccati hujus definitionem minimè cadat.

XXXIIX. Insulsi proindè illi sunt Concionatores, qui vitia Auditorum paulò liberiùs taxantes, haud rarò peccati in Spiritum Sanctum reatum illis impingere haud verentur.

39. Sed

XXXIX. Sed respicit *doctrinam Religionis Christianæ*, & directè quidem doctrinam Evangelii: eamq; vel totam, vel primariam aliquam ejus partem.

XL. Etsi enim fieri potest, ut etiam respectu *Legis*, non quidem quoad mores, sed quoad doctrinam, tale committatur peccatum, quod ad naturam peccati in Spiritum Sanctum quàm proximè accedere videatur: ut si quis circa doctrinam legis, defendat errorem aliquem contra conscientiam: eundemq; mordicùs defendere, veriorem q; sententiam sciens volensq; ex destinata malitiâ odio prosequatur, & convitiis proscindat: minùs tamen propriè, minusq; secundum Scripturarum sensum, Peccati in Spiritum Sanctum appellatio, tali errori competit.

XLI. Assertionis hujus fundamentum satis luculentum suppeditat *Epistola ad Hebræos*, cap. 10, 28. & 29. *Qui*, inquiens, *aspernatus fuerit legem Mosis, absq; misericordiâ sub duobus aut tribus testibus moritur: quantò putatis pejoribus supplicijs afficiatur, qui Filium* DEI *conculcarit, &* SANGUINEM TESTAMENTI *ceu rem profanam habuerit,* PER QUEM *fuerat sanctificatus, &* SPIRITUM GRATIÆ *contumelia affecerit.*

42. Et

XLII. Et versic. præced. 16. *Si volentes peccaverimus*, POST ACCEPTAM COGNITIONEM VERITATIS, *non ultrà pro peccatis reliqua est hostia.*

XLIII. Cæterùm, ut neq; ex parte ἐνδείας, neq; ex parte ἐλλείψεως circa definitionem peccati hujus aberremus, cumprimis notanda fuerint *requisita* sive προϋποκείμενα, quæ ex Scripturæ sensu propriam ejus essentiam constituunt & absolvunt.

XLIV. *Primum* est: *Abnegatio Evangelii cum blasphemia.* Matth. 12, 31. & 32. Marci 3, 28. & 29. Luc. 12, 10. *Quisquis blasphemaverit Spiritum Sanctum, non remittetur ei neq; in hoc seculo, neq; in futuro*: hoc est, Marco interprete, *non habebit remissionem peccatorum in æternum, sed æterno tenebitur judicio.*

XLV. Quanquam verò Filius etiam Hominis, teste ipso Christo, locis jam citatis, blasphematur: & tùm contumelia simul in Patrem & Spiritum Sanctum redundat: hæc tamen blasphemia nondum est aut dici debet illa, quæ κατ' ἐξοχὴν *blasphemia in Spiritum Sanctum* nominatur, propter evidentes diversitatum rationes, quas utriq; blasphemiæ invicem intercedere, ex subsequentib9 ultrò patebit.

XLVI. Vulgò illud obtinuit, ut in Scholis Theologorum peccatum in Filium Hominis dicatur *Infidelitas*: peccatum autem in Spiritum Sanctum, *Blasphemia*: & blasphemia quidem non in generali significatione, prout Budæus eam definit, per *quodvis nocens dictum*: sed in *specialissima*, quâ tale notatur peccatum, *quo aliquid de excellentiâ, bonitate, ac veritate officii Spiritus Sancti detrahitur*: uti haud ineptè censuit *Thomas, 2. secundæ q. 13. art. 1.*

XLVII. Et sanè prudentiam hanc ac circumspectionem Theologorum minimè improbamus: sed ipsi quoq; inter *infidelitatem & blasphemiam*, hoc loco, accuratè distinguendum esse statuimus.

XLIIX. *Infidelitas* proindè consistit propriè tum in interno aliquo, sed falso assensu de Deo rebusq; divinis: tum in externa asseveratione falsi, ex tali interno assensu proveniente: idq; vel affirmativè, vel negativè.

XLIX. *Blasphemia* autem propriè non consistit in ipso assensu, vel asseveratione falsi; sed in dictis falsis ac manifestè impiis, de Deo, rebusq; divinis, quibus tamen internus animi assensus non respondeat.

50. *Alte-*

L. *Alterum* προσκείμενον sive requisitum Peccati in Spiritum Sanctum est, ut non à quovis, sed *ab eo committatur, qui evidentem habeat veritatis doctrinæ cœlestis agnitionem.*

LI. Exprimit hanc notam Epistola ad Hebræos, cap. 6, 4. & 5. *Impossibile* inquiens *est, ut, qui semel fuerint illuminati, & gustaverunt donum cœleste, ac participes fuerunt facti Spiritus Sancti, & gustarunt bonum Dei verbum, ac virtutes futuri seculi, si prolabantur denuò, ut per pœnitentiam renoventur.*

LII. Et clariùs, cap. 10, 26. *Voluntariè peccantibus post acceptam cognitionem veritatis, nulla pro peccatis reliqua est hostia.*

LIII. *Tertium* est ἀποστασία, sive πρόσκομμα *defectio, aut abnegatio agnitæ veritatis*: eaque non quævis; nam & D. Petrus ter abnegavit Christum, quem tamen in Spiritum Sanctum peccasse, nefas vel cogitare fuerit, sed talis, *quæ conjuncta est cum novâ crucifixione ac illusione Filii Dei*, ejusq; sanctissimi meriti: hoc est, quæ blasphemiis & sarcasmis Filium Dei, totumq; redemtionis meritum proscindit: sic definiente Epistola ad *Hebræos cap. 10, 25.*

LIV. *Quartum* est; *Voluntaria defectio* sive ἀποστασία. Nam, eadem docente Epistolâ,

ἑκουσίως ἁμαρτανόντων; qui *voluntariè* sic abnegant veritatem, ex proposito & destinatâ malitiâ, deserentes aggregationem fidelium, & Filium Dei ludibrio exponentes, non habent ultrà pro peccatis reliquam hostiam. *cap. 10, 25. & 26.*

LV. Excluditur ergò ab hac peccati specie, ea sive abnegatio, sive defectio, quæ oritur vel ex *infirmitate*, vel ex *metu periculi ac persecutionis*: qualis erat Petri Apostoli, & ante annos 62. Francisci Spieræ Civitatulani Itali, qui non destinato consilio, sive ex προαιρέσει: sed metu periculi, & infirmitate carnis, agnitam doctrinæ Evangelicæ veritatem, Venetiis, coram legato Pontificis, Archiepiscopo Beneventano, sine ullâ tamen blasphemiâ abnegavit: ac postmodùm facti pœnitudine ductus, inter horrendos conscientiæ terrores desperabundam animam exhalavit, falsò sibi persuadens, se peccatum in Spiritum sanctum commisisse. Anno C. 1548.

LVI. *Quintum* est ἀυτοκατάκριμα: Tit. 3, 11. Ut nimirùm qui hoc peccatum designat, sit ἀυτοκατάκριτος, *proprio judicio condemnatus.* Tit. 3, 11.

LVII. Quæ sanè nota, etsi interdum in

in illis quoq; deprehenditur, qui in Spiritum Sanctum propriè non peccarunt, sed ex infirmitate aliqua agnitam veritatem abnegarunt: ut in Francisco Spiera videre licuit: tamen hoc non semper evenire solet; uti exemplo Petri Apostoli demonstrari potest, qui ἀνθκατάκριμα non erat.

LIIX. Jam verò ἀνθκατάκριμα hoc, ita propria & perpetua nota est peccati in Spiritum Sanctum, ut cum eo simplicissimè convertatur, ita ut stimulos damnationis intus semper persentiscant sic peccantes: licèt tanta eorum sit obstinatio, ut verbis id profiteri nolint.

LIX. Et observationem meretur, quòd Apostolus loco jam citato, hanc notam non indifferenter ac promiscuè tribuit quibusvis vel errantibus in doctrinâ, vel veritatem abnegantibus: sed in specie illis, qui reclamante conscientia, & aliquoties moniti ac convicti, agnitam veritatem pertinaciter oppugnant, persequuntur, & blasphemiis proscindunt.

LX. *Sextum* ac postremum est, ut qui peccat in Spiritum Sanctum, is *universa salutis media*, per quæ ad agnitionem peccati, & seriam pœnitentiam perduci queat,

volenter, contumaciter, ac præfractè oppugnet, abjiciat, contemnat, ac Spiritui Sancto pœnitentiam per ministerium verbi operaturo, pertinaciter resistat.

LXI. Cujus potissimùm notæ respectu, Peccatum hoc suam denominationem, est sortitum, ut *in Spiritum Sanctum* diceretur: Siquidem Spiritus Sanctus est, qui nos convertit, illuminat, & fide in Christum ad salutem æternam instruit.

LXII. Exprimit hanc quoq; notam, satis dilucidè *Epistola ad Hebræos, cap. 10, 29.* asserens, quòd *qui voluntariè post acceptam veritatis agnitionem peccant, illi Filium Dei conculcent, sanguinem Testamenti, per quem fuerant sanctificati, profanum ducant, & SPIRITUM GRATIÆ contumelia afficiant.*

LXIII. Sex istis notis ac requisitis, non seorsim aut divisim sumtis, sed semper *simul junctis* definiri debet Peccatum in Spiritum Sanctum, quòd sit *voluntaria ac destinato consilio suscepta apostasia sive abnegatio agnitæ veritatis Evangelicæ, vel ex toto, vel ex parte, contra proprium cordis ac conscientiæ testimonium, sanguinem Testamenti Filii Dei profanum ducens, ac ministerium Spiritus Sancti, sive media salutis hostiliter oppugnans, & contumeliâ afficiens.*

64. Un-

LXIV. Undè promtum erit colligere, quòd *Peccatum in Filium hominis* nihil sit aliud, quàm doctrinæ Evangelicæ, vel nondũ agnitæ, per ignorantiam oppugnatio: vel jã agnitæ ex infirmitate ac metu periculi, sine ulla tamẽ ejus blasphemiâ, abnegatio.

LXV. Patet hinc & illud, Cur & quo sensu Christus de Peccato in Spiritum S. pronunciaverit, Quòd sit *Irremissibile*.

LXVI. Non certè, quòd sub talem simplicem cadat Remissionis ἀδυναμίαν, ut sua atrocitate, & misericordiam Dei patris, & Christi meritum superet & excedat.

LXVII. Hoc enim pacto plurima sequerentur absurda: Nam sic peccatum exuberaret supra gratiam, quod διαῤῥήδην negat Apostolus *Rom. 5, 20.* 2. Sic meritum Christi non esset καθολικὸν: id quod expressè negat Scriptura, *1. Johan. 2, 2.* Christum asserens propitiationem exolvisse Deo patri, pro peccatis totius mundi. 3. Sic promissiones Evangelicæ non essent Universales: id quod rursus negat Scriptura: *1. Tim. 2, 4. Joh. 3, 16.* &c. 4. Sic deniq; mandatum Christi de vocandis omnibus ad regnum Christi, esset hypocriticũ, neq; universale: id quod vel cogitatu im-

tu impium, & Scripturis è diametro contrarium.

LXIIX. Sed *Irremißibile* est ac dicitur, quia nunquam ipso *actu* remittitur: ita, ut Terminus iste (*Irremißibile*) hoc loco aliquomodo impropriè accipiatur; & magis τὸ γινόμενον, quàm τὸ δυνατὸν, magis, quid fiat, quàm quid fieri possit, denotet.

LXIX. Sunt enim & dicuntur multa impossibilia, quæ licet nunquam fiant, fieri tamen poterant.

LXX. Ideò autem huic peccato, ipso actu, non obtingit remissio, 1. quia hoc modo peccantes, ab ipso Christo, extra quem pro peccato non ulla reliqua est hostia, voluntariè deficiunt.

LXXI. 2. Quia organa ac media salutis, sine quibus SPIRITUS SANCTUS conversionem nunquam in homine operatur, directè, contumaciter ac præfractè, negligunt, projiciunt, & pedibus conculcant.

LXXII. 3. Quia hoc peccatum individuum quasi comitem secum trahit, Finalem indurationem: ita ut Deo justo judicio suam subtrahente gratiam, obfirmato postea quodam proposito, scientes volentes veritatem agnitam horribiliter impugnare & blasphemare pergant.

73. Vo-

LXXIII. Voluit hoc innuere Servator ipse, descriptioni peccati in Spiritum Sanctum, hanc statim παιγνίαν subjiciens: *Si dæmon expulsus ex homine, postmodum denuò in pristinum hospitium admittatur, non venit ille solus: sed assumptu septem deterioribus spiritibus ingreditur, ut postrema illius hominis fiant deteriora primis.*

LXXIV. His ita observatis, planum fit, quo sensu Apostolus Johannes scripserit, esse peccatum quoddam *ad mortem, pro quo non sit orandum:* 1. Joh. 5, 16.

LXXV. Intelligit nimirùm peccatum in Spiritum S. καθ' ἐξοχὴν *mortale* dictum: pro quo si quis orandum esse censeret, is tàm absurdus foret, ac si statueret, orandum esse, ut Deus aliquem sine CHRISTO, aut potius contra ipsum, item sine verâ pœnitentiâ, & sine mediis ad hunc finem ab ipso Deo ordinatis, salvare vellet.

LXXVI. Cæterùm, finis disputationis hujus is potissimùm jam esto, ut peccati in SPIRITUM SANCTUM atrocitate probè pensitatâ, non modò à diserta abnegatione veritatis agnitæ: sed & ab omni specie sive simulatione abnegatæ veritatis, etiam atq; etiam nobis caveamus.

LXXVII. Deindè, ut ne sive seriò, sive exercitii gratia, Articulos fidei, eos præsertim, de quorum certitudine in corde convicti sumus, licentiùs ac vehementiùs oppugnemus: nedùm in parte eximiè alicujus eruditionis ponamus, si de rebus sacris, in utramque, quod ajunt, partem, disputare queamus.

LXXVIII. Fieri enim potest, imò fit sæpissimè, ut paulatim magis magisq; Pyrrhonica hæc disputandi ratio nobis arrideat, & habitum quasi quendam contrahat, ut nihil tàm sanctum, tamq; verum ac certum ex Scripturis dicatur, quod non in dubium vocare audeamus.

LXXIX. Quo vel uno impietatis gradu, in animo hominis sedem figente, proclive admodum ad atheismum, ac consequenter ad peccatum istud in SPIRITUM SANCTUM paratum est præcipitium: id quod multorum doctissimorum virorum, & inter recentiores potissimùm Johannis Pistorii Apostatæ Medici, aliorumq; exemplis luculenter patet.

LXXX. Personet potiùs in animis ac auribus nostris illud Apostolicum: *Nihil contra veritatem: sed omnia pro veritate facite.* 2. Cor. 13, 8.

NO-

ΠΟΡΙΣΜΑ.

Quæritur: *An de peccato in Spiritum Sanctum à priori judicium fieri posſit & debeat?* Aff. ſed per diſtinctionem.

II.

An Forma peccati in SPIRITUM SANCTUM in Scripturis ſatis liquidò ſit expreſſa? Aff. contra P. Caniſium, in Inſtitutione Catechetică; & alium quempiam Theologum in ſua Officinâ, hoc negantem.

III.

An Concupiſcentia in renatis, non ſolùm non conſtituat hominem reum: ſed neque poſſit conſtituere, cùm (in ſe etiam conſiderata) non habeat veram peccati rationem? uti cenſet Bellarminus lib. 5. de amiſſ. grat. & ſtatu peccati, cap. 5. Neg.

INDEX

INDEX PRIMUS DISPUTATIONUM.

I. Disp. De Ascensione Christi in cœlum & sessione ad dextram Dei Patris omnipotentis. pag. 1.

II. De Antichristo, syntagmati & Epistolæ Gasparis Scioppii opposita. p. 51.

III. De fractione panis. p. 238.

IV. De pace Ecclesiæ Evangelicæ. p. 284.

V. De distributione præceptorum Decalogi. p. 348.

VI. De Hæreticis & quomodo sint coercendi. p. 411.

VII. De Deo Trino & Uno. p. 519.

IIX. De Justitiâ Fidei. p. 569.

IX. De dicto Joh. 1. v. 29. Ecce agnus Dei. p. 630.

X. De Verbis Testamenti Christi. p. 670.

XI. De Baptismo. p. 724.

XII. De

XII. De Ecclesiâ militante. p. 793.
XIII. De processione Spiritus S. à Patre & Filio simul. p. 867.
XIV. De Indurations, Absoluto decreto & universali omnium hominum indiscriminatim electione. p. 930.
XV. De peccato mortali & veniali & de Blasphemia in Spiritum S. p. 996.



IN-

INDEX SECUNDUS LOCORUM THEOLOGICORUM.

Prior numerus disputationem, posterior thesin notat.

DE DEO UNO ET TRINO.

An Deus unus in Essentia & trinus in Personis? 7. 45. seq.

An Pater sit verus Deus? 7. 94. seq.

An Filius & Spiritus S. sint verus unus Deus cum Patre? 7. 137. seqq.

An Spiritus S. sit verus Deus? 7. 102. seq.

Quando error de processione Spiritus S. à solo patre originem sumserit? 13. 22. 38.

DE DECALOGO EJUSQUE PRÆCEPTORUM DISTRIBUTIONE.

An in Decalogo sint leges ceremoniales & judiciales? 5. 75.

An distributio præceptorum decalogi in Catechismo Lutheri possit argui Papistica, & fuerit priori seculo ignota? 5. 67. seq.

An 9. & 10. præceptum sint distincta? 5. 63. seq.

DE PRÆDESTINATIONE.

An Deus omnes homines in Christo ad vitam æternam

nam ordinarit vel elegerit? 14.c.3.13. seqq.

DE CHRISTO.

An nihilominus Filius Dei factus fuisset agnus s. verus homo: si peccatum in mundo non fuisset? 9. 79. seqq.

Quomodo caro Christi unita λόγῳ ubique præsens? 1. 134.

Quomodo sedeat caro Christi ad dexteram patris? 1. 131.

An elevatione corporis in altissimam altitudinem opus fuerit Christo, ut ad patrem veniret? 1. 60. seq.

Quænam sit justitia, quâ homo coram Deo consistere; quam accusationi legis opponere & in qua tempore tentationum firmiter acquiescere possit? 8. 2. seq.

DE PECCATO.

An peccata venialia, si ex se & ratione sui actus, & secundum legem Dei considerentur, haud minus atq; peccata mortalia æternæ morti subjaceant? 15. 12. seqq.

An Deus autor indurationis? 12. 115. seq.

DE JUSTIFICATIONE.

Cur Deus non largiatur fidem omnibus? 14. c. 2. 79.

DE BONIS OPERIBUS.

An ex bonis operibus Electi exactè discerni à reprobis possint? 12. 30. seqq.

DE

INDEX II.
DE ECCLESIA.

An universalis militans Ecclesia errarit & errare posſit? 12. 131. seqq.

Quinam fratres sint in Ecclesia? 4. 48.

An sub phariſaismo fuerit vera Ecclesia? 12. 159.

Quænam in Ecclesiâ benè obſervanda? 3. 28.

An sub Papatu fuerit & sit vera Ecclesia aliqua? 12. 155. seq.

An apud Calvinianos sit vera Ecclesia? 12. 171. seq.

An Romana Ecclesia, quæ revera tantùm est una particularis (sicut olim Antiochena) errarit? 12. 141. seq.

An tota, in quâ vivunt hæretici, sit damnanda? 12. 498. seq.

Quid sint hæretici? 6. 9. seq.

Quodnam jus habeat Antichriſtus in eos, quos hæreticos nominat? 6. 3. seqq.

Quomodo hæretici cohercendi? 6. 221. seq.

Hæreticus qua ratione capitis pœnam magiſtratus decernere queat? 6. 5. 49. 234.

DE MINISTERIO VERBI.

An Deus largiatur fidem omnibus per prædicationem Evangelii, an verò tantùm aliquibus abſolute ab hoc ab æterno deſtinatis? 4. 142.

Quæ claves commiſſæ Apoſtolis? 1. 144.

DE

INDEX II.

DE ADIAPH.

Ἀδιάφορον quid? 3. 132.

DE BAPTISMO.

An Arianus conferat verum Baptismum? 11. 110.

DE COENA.

Cœnæ appellatio unde desumta? 3. 87.
An verba Testamenti κατὰ ῥητὸν intelligenda? 10. 46.
An placentæ orbiculares in cœnâ tanquam necessarium quid adhibeantur? 3. 35. seq.
An in cœnâ ultima Christus fregerit panem? 2. 30.
Quomodo Lutherus fractionem & distributionem panis conjungat? 3. 121. seq.
An sit indifferens, ut Ecclesia propter graves causas fractionem panis introducat? 3. 33.
An Ecclesia vetusta modum frangendi panem in cœna observarit? 3. 31.
An validum Calvinianorum argumentum pro fractione panis ab exemplo Christi sumtum? 3. 62.
Quid pius faciendum, quibus sub schemate correctionis fractio panis obtruditur? 3. 27.
An fractionis ritus aliquid necessarium sit in administratione cœnæ? 3. 63.

An Apostoli mandatum de fractione acceperint à Christo? 3. 74. 69.

DE SEDE BEATORUM.

An supra firmamentum cœli sit sedes beatorum? 1. 12.

An corpora beatorum in cœlo Physica locatione certa spacia secundum latitudinem occupent? 1. 37. seq.

INDEX TERTIUS LOCORUM SCRIPTURÆ, quæ in hoc secundo tomo explicantur, & à detorsionibus adversariorum vindicantur.

GENESIS.

Cap. 1. v. 6. 7. Divisit aquas Deus. 1. 9.

14. v. 18. Melchisedech rex Salem protulit panem & vinum &c. 2. c. 6. 123.

17. v. 22. Adscendit Deus ad Abraham. 1. 70.

18. Domini mei ne transiveritis. 7. 117.

EXODUS.

Cap. 7. v. 3. Indurabo cor Pharaonis. 14. 25. seq.

20. v. 5. non incurvabis te eis, neq; coles ea. 5. 110.

v. 23. Ne faciatis mecum Deus argenteos &c. 5. 90.

32. v. 1. Fac nobis Deos &c. 5. 94.

34. v. 14. 17. Non incurvabis te Deo alteri. 5. 91.

NUMERI.

C. 20 v. 4. Cur eduxisti Ecclesiam in solitudinem. 12. 2. 21.

DEUTERON.

Cap. 5. v. 6. Ego sum Dominus Deus, qui te eduxi è terrâ Ægypti. 5. 15. seq. 41. seq.

v. 9. Non incurvabis te eis neq; coles ea. 5. 110.

6. v. 14. 15. Non ambulabitis post Deos alios è Diis populorum. 5. 105. 106.

7. v. 25. Sculptilia Deorum ipsorum combures igni. 5. 120.

12. v. 32. Quod præcipio tibi hoc tantùm facito, neq; addas quicq; nec minuas. 12. 42. seq.

28. v. 64. Coles ibi Deos alienos, quos non nosti tu, &c. 5. 95.

1. SAM.

Cap. 27. v. 7. Fuit numerus dierum &c. 2. c. 1. 19.

PSAL.

8. v. 7. Constituisti eum &c. 1. 128.

19. v. 5. In omnem terram exivit sonus eorum. 2. c. 1. 39.

26. v. 12. In Ecclesiis benedicam Domino. 12. 1. 2.

68. v. 27. In Ecclesiis benedicite Deo Domino de fontibus Israël. 12. 1. 2.
72. v. 17. Fecit nomen ejus in secula &c. 7. 130.
82. v. 6. Ecce dixi, vos Dii estis. 6. 51.
99. v. 1. Jehova sedet inter Cherubin 5. 115.
122. v. 8 Propter fratres meos & proximos meos loquar nunc pacem de te. 4. 48.

CANTIC.

Cap. 2. v. 15. Capite nobis vulpeculas. 6. 224.

ESAIAS.

Cap. 6. v. 3. Sanctus, Sanctus, Sanctus Deus Zebaoth. 7. 119. seq.
42. v. 8. Gloriam meam non dabo alteri. 1. 158. seq.

EZECH.

Cap. 34. v. 22. Servabo pecudes meas. 2. c. 6. 145.
39. v. 28. Cum transmigravero eos in gentes & congregavero eos super terram. 2. c. 6. 147.

DANIEL.

Cap. 7. v. 8. Ecce cornu aliud parvum adscendebat. 2. c. 1. 3. 5. seq.

9. v. 27. Cessare sacrificium faciet & oblationem &c. 2. c. 6. 112.
ib. Et roborabit pactum. 2. c. 1. 45.
11. v. 22. Insuper & dux fœderis. 2. c. 5. 2.
v. 28. Venerabitur auro & argento & lapide pretioso. 2. c. 5. 22.
v. 41. Introibit in terram gloriosam & multæ corruent. 2. c. 6. 101.
12. v. 1. In tempore salvabitur populus tuus. 2. c. 6. 91. 92.
v. 11. A tempore cum ablatum fuerit juge sacrificium &c. 2. c. 6. 115. seq.

ZACHAR.

Cap. 14. v. 3. Et egredietur Jehova &c. 2. c. 7. 10.

2. MACCHAB.

Cap. 2. v. 4. Illud etiam proditum extat, ut tabernaculum & arcam &c. 2. c. 6. 130. seq.

MATTH.

Cap. 12. v. 18. Filius hominis est etiam Dominus Sabbathi. 3. 144.
19. v. 18 19. Non occides, non mœchaberis &c. 5. 54.

v. 28. ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim judicantes, &c. 1. 147.
22. v. 2. 3. 13. 15. Super cathedram Moſis ſedent ſcribæ &c. 12. 161.
ib. Parabola Chriſti. 13. 41. ſeq.
24. v. 24. Surgent Pſeudochriſti & Pſeudoprophetæ & dabunt ſigna magna. 2. c. 6. 6.
26. v. 24. Amodo videbitis filium hominis ſedentem &c. 1. 138.

LUCAS.

Cap. 1. v. 33. Regnabit in domo Jacob in æternum & regni ejus non erit finis. 1. 65.
16. v. 29. Habent Moſen & Prophetas, audiant illos. 12. 119.
18. v. 8. Filius hominis veniens putas-nè fidem &c. 2. c. 6. 79.
21. v. 24. Jeruſalem calcabitur à Gentibus &c. 2. c. 6. 94. 95. ſeq.
22. 69. Ex hoc erit filius hominis ſedens à dexteris virtutis Dei. 1. 138.

JOHANNES.

Cap. 1. v. 9. Chriſtus eſt lux illa vera &c. 9. 131.
v. 14. Videmus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti &c. 1. 122.

v. 29. Ecce agnus ille Dei. 9. per totam.
v. 33. Qui misit me baptizare. 11. 4.
v. 39. Nondum erat Spiritus. 7. 182. seq.
3. v. 3. Nisi quis renatus fuerit &c. 11. 85.
v. 13. Nemo adscendit. 1. 52.
v. 16. Sic Deus dilexit &c. 14. c. 2. 36. seq. c. 3. 36.
15. v. 26. cum venerit paracletus &c. 7. 170. Qui à Patre procedit. 14. c. 1. 133. 150.
16. v. 14. De meo accipiet. 13. 154.

ACTA.

Cap. 2. v. 34. Non enim David adscendit in cœlos, sed dicit ipse, dixit Dominus Domino &c. 1. 152.
3. v. 21 Quam oportet cœlum capere. 1. 54. seq.

AD ROMANOS.

Cap. 2. v 21. 22. Qui prædicas non furandum &c. 5. 55.
7. v. 7. Cupiditatem non nossem, nisi lex &c. 5. 56.
13. v. 9. Non mœchaberis, non occides &c. 5. 57.

1. AD CORINTH.

Cap. 8. v. 11. Peribit frater tuus in scientiâ tuâ &c. 9. 132.

11. v. 23. fregit panem. 3. 79. loca parallela vide Matt. 26. v 26. Marc. 14. 22. Luc. 22. 19.
24. Hoc facite in mei recordationem. 3. 98. 70.
v. 29. Qui manducat & bibit indignè judicium sibi manducat. 10. 13.

2. AD CORINTHIOS.

Cap. 6 v. 14. Nolite ducere jugum cum infidelibus, quæ participatio justitiæ. &c. 4. 35.
12. v. 2. Novi hominem raptum in tertium usq; cœlum. 1. 18. & 21. seq.

AD GALATAS.

Cap. 5. v. 1. Qua libertate vos Christus. 3. 146.

AD PHILIPPENSES.

Cap. 2. v. 11. Ad nomen Jesu exaltati flectitur omne genu. 1. 30.

AD COLOSS.

Cap. 1. v. 3. Quæ sursum sunt quærite, ubi est Christus. 1. 25.

2. THESSAL.

Cap. 2. v. 2. Non citò moveamini à vestro sensu &c. 12. 111. 112.

2. AD TIMOTH.

Cap. 2. v. 22. Sectare charitatem & pacem. 4. 44.

3. v. 14. 15. At tu persiste in his, quæ didicisti &c. 12. 120.

1. JOHANN.

Cap. 2. v. 22. Hic est Antichristus, qui negat patrem & filium. 2. 18. in proœm.

APOCALYPSIS.

Cap. 3. v. 7. Hæc dicit sanctus & verax, qui habet clavem. 1. 143.

v. 12. Qui vicerit, faciam eum columnam, &c. 2. 60.

13. v. 3. Vidi unum ex capitibus ejus &c. 2. c. 6. 23.

17. v. 3. Vidi mulierem insedentem bestiæ. 2. c. 1. 73.

20. v. 7. seq. Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur Satanas. 2. c. 7. 5.

INDEX QUARTUS RERUM.

Prior numerus disputationem notat, posterior thesin: ubi verò tres reperiuntur numeri, medius qui literam (c) præpositam habet, in disputatione secundâ *Caput* in decimâ quartâ *controversiam*, designat, & ubi est litera (P) legendum in *Proœmio*.

A.

Absolutum decretum *contra omnes catechismi partes pugnat. 14. 6. 2. 50. seq.*

Adoratio *Christo tribuitur etiam secundum carnem. 1. 137.*

Adrianus *Pontifex dixit*: Urbs Roma nostra est, non Imperatoris. *2. c. 1. 52.*

Adscendendi *vox quid in articulo de adscensione significet? 1. 63. seq.*

Adscensio *Christi in cœlum quid significet? 1. 51. non tollit præsentiam in cœnâ. 4. 191.*

in cœ-

in cœlum facta localiter 1. 76. visibiliter. 78. certo tempore. 81. quænam de hoc articulo diligenter notanda. 154.

Aitare sacrificiorum *in V. T. stabat sub dio. 5. 124. & cur. ib.*

Antichristi *vox quid notet. 2. 3. 4. P. illam* Scioppius *interdum propriè, interdum typice & mystice accipit. 1. P. ejus descriptio. 2. seq. P. Summus Christi Adversarius & æmulus. 3. p. Veterum de eo traditiones habet Pererius in Daniel. libro 8. p. 445. 9. p. magnus persecutor. 10. p. dona Spiritus luctatur. 11. p. ejus typus Simon Magus 13. P. Ebion & Cerinthus. 14. p. negat patrem & filium 16. p. & quomodo 16. seq. p. Tempus adventus ejus. 5. p. ratione conceptionis, tempore Pauli & Johannis fuit, dominatus autem ante Gregorii Magni tempora non innotuit. 5. p. multos signis & prodigiis mendaciisq; in errorem duxit. 6. p. paulo ante finem mundi revelandus. c. 1. 2. ex ejus adventu Christi adventus ad judicium colligitur. 2. ejus durationem usq; ad extremum judicium Scioppius ex Daniele & Apocal. probare conatur. 3. sed vehementer cum Bellarmino impingit. 3. omnia fraudulenter agit c. 5. 15. Deum ejusq; verbum abnegat, dispensat in matrimonialibus, relaxat juramenta, hæreticis fidem minimè servandam*

docet, testamentum Filii Dei corrigit, ejus meritum corrumpit 18. interdixit confessoribus Jesu aqua & igni. 10. ejus doctrinæ atque imperii propagationem. vid. per tot. cap. 6. Apostolorum in miraculis fidem confirmantibus æmulus. c. 6. 8. Instinctu diaboli agit omnia. 18. tempora & dies mutavit. 22. Persecutiones exercet. 2. sanguine Martyrum ebrius 85. Conatus ejus irritus in persequenda Ecclesiâ 148. multi Ecclesiæ doctores ab eo non occisi, sed placidè mortui 85. damnabitur. 148.

Anabaptistæ negant hæreticum à magistratu puniendum. 6. 61. eorum ratio. 62. Responsio ad hanc 63. ratio secunda. 64. Responsio ad hanc. 65. ratio tertia 68. Responsio ad hanc. 69.

Antiochus defuncto fratre Seleuco regnum Syriæ invasit. 2. c. 5. 4.

Antitrinitarii veteres in triplici differentiâ. 7. 48. seqq. recentes qui? 64. seq. distinguunt inter Deum creatorem & creatum. 166. Christum solum Deum nuncupativè esse dicunt. 167. Baptismum aquæ penitùs ex Ecclesiâ removere cupiunt. 11. 61. destruunt fundamentum Redemptionis. 7. 140. conservationis & gubernationis Ecclesiæ. 141. Invocationis. 143. mortuorum resurrectionis. 144. fontes Sophismatum illorum sunt ratio & μετάφασις εἰς ἄλλο

ἄλλο γένος. 186. Quinam Auctores legendi contra illos. 189. Modus refutandi illos. 187.

Apostoli peragrarunt omnes mundi partes. 2. c. 1. 36. omnibus gentibus prædicarunt Evangelium. 32. seq. quod Tertullianus & Hieronymus approbant. 33.

Aqua res terrena in Baptismo in multis scripturæ locis necessariò subintelligenda. 11. 54. seq. interdum non. 58. est organon Spiritus S. in baptismo. 82. potest sano sensu in baptismo dici signum sanguinis Christi. 101.

Aquinatis de cœlo Empyreo sententia. 1. 33.

Argumenta illorum, qui primum præceptum faciunt illud: Ego sum Dominus &c. 5. 184. qui omittunt præceptum de Sabbatho. 1. 89. qui præceptum de parentibus referunt ad secundam tabulam. 5. 81. quod Joh. 3. aqua non possit tropice intelligi. 11. 83. Calvinianorum sex pro fractione panis. 3. 61. plenæ sessionis carnis ad dexteram Dei. 1. 140. Hæreticos non interficiendos probantia 6. 155. seq. 169. seq. ubi instantiæ. 170. Responsio ad illas. 171. 175. objectio. 176. Rr. 177.

Ariani sub imperatore Constantino Magno orti. 6. 210. negant æternitatem Spiritus S. 7. 58.

Athanasius primæ tabulæ 5. tribuit præcepta 5. 7. 19.

Articuli cardinales qui? 12. 102. Nec serio, nec exercitii gratiâ vehementius oppugnandi. 15. 77. pro-

77. propter magnum periculum. 79. Baptismi & S. Cœna ad fundamentum religionis accensendi sunt. 12. 96. 97. 98.

Artotyritæ panem in cœnâ caseum admiscuerunt. 3. 44.

Aventinus dicere solitus: Romani majestas populi, quâ olim orbis regebatur, sublata est de terris. 2. 6. 1. 51.

Augustini de dicto Deut. 5. v. 6. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi &c. sententia. 5. 15. seq. & Dan. 7. v. 8. Ecce cornu parvum. 2. c. 1. 7. vocat sacramentum verbum visibile. 3. 95.

B.

Blasphemia in Spiritum S. in quo consistat. 15. 49. à quo committitur. 50.

Bandini de dicto Deut. 5 v. 6. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te &c. sententia. 5. 15. seq.

Baptismi definitio. 11. 1. Lutheri. 2. discrimen inter Johannu & Lutheri. 11. consensus. 17. in effectu. 21. illum non perficit Christus ipse, nisi per ministerium discipulorum. 13. post resurrectionem de novo ordinat seu firmat. 14. ejus res substantiales duæ. 49. tropicus scripturæ. 63. Efficacia. 151. necessarius ad salutem. 164. Ad ejus ritum veteres precationes quasdam pias lingua populari ordinarunt. 143. Forma ej. 9. 104.

Baptizare in casu necessitatis Laicus potest. 11. 114.

11. 114. Ebrioſus miniſter quâ ratione non poſſit baptizare. 109. Adulti inviti non ſunt baptizandi. 11. 121.

Bedæ *de dicto Deut. 5. v. 6. Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te &c. ſententia. 5. 15.*

Bellarminus *ſcribit, venialia peccata etiam ratione actus ſui conſiderata non perfectè eſſe peccata, ſi cum mortalibus conferantur. 14. 9. Dicit fidem melius per ignorantiam quam per ſcientiam eſſe definiendam. 8. 67. Fatetur cum ſuper petrum dicitur ædificata Eccleſia, intelligendum hoc de Petri confeßione 12. 90. De dicto Gen. 49. v. 17. fiat Dan coluber in via &c. ſententia. 2. c. 2. 6.*

Beatorum *certus locus in S. Scripturâ nuſpiam definitur. 1. 15.*

Bernhardi *de dicto Deut. 5. v. 6. Ego ſum Dominus Deus tuus qui eduxi te &c. ſententia. 5. 15. ſeq.*

Beryllus *Chriſtum, antequam fieret homo, non extitiſſe per ſe perſonam dixit. 7. 52.*

Beza *de orali manducatione carnis Chriſti ſententia, 4. 72. amicitiam cum Lutheranis inire recuſavit 4. 179. Statuit ſedem beatorum eſſe ſupra cœlum cryſtallinum. 1. 14. Dicit oportuiſſe Hevam & Adamum per Satanam decipi, ut Deus finem creationis hominis conſequeretur 4. 156. Cum quovis liquore baptizare vult. 11. 69.*

11. 69. Baptismum in pueris esse regenerationem negat. 4. 68. Ejus distinctio unde orta inter Baptismum internum & externum. 11. 103. Somnia de signo & signato in Baptismo 11. 99. Opiniones de effectu Baptismi. 11. 165. seq.

Blandratæ *de Deitate Christi opinio. 7. 67.*

Bullingerus *statuit sedem Beatorum esse super cœlum Crystallinum. 1. 14.*

Burgentis *de dicto Psal. 72. v. 17. Fecit nomen ejus &c. sententia 7. 130.*

C.

Calviniani *mirum extenuant controversiam de cœna. 10. 6. Verba institutionis exhibilant. 30. caput 6. Johan. in hoc negotio semper obtrudunt. 44. Fundamentum controversiæ de cœna sunt verba institutionis. 10. 22. seq. De ascensione in cœlum sententia 1. 155. Summâ injuria afficiunt Lutheranas Ecclesias 5. 192. pessimè urgent distributionem per se imperfectam. 193. Hæreticos capitali supplicio afficiendos suadent. 6. 6. particularem redemptionem constituunt. 14. v. 2. 58. Ex Doct. Luthero autumnum faciunt. 10. 80. De merito Christi contradictio expressa. 4. 60. De dicto Act. 3. v. 21. quem oportet cœlum capere sententia. 1. 54. seq. Corpus Christi in Cœnâ metaphoricè*

edunt. 4. 182. Nullam vocem in verbis institutionis depravativè intactam relinquunt. 10. 47. seq. Dicunt reprobatos non posse salvari, etiamsi millies baptizati. 4. 171. seq. publicis scriptis sibi parci cupiunt. 4. 102. quæstiones, de quibus utrinque multis jam annis controvertitur, sic esse comparatas dicunt, ut sint istorum notitia multi utrinque sint salvati, neque salutis ratio etiam in istis versetur. 106. Lutheranos satanicorum mendaciorum patronos & hæreticorum omnium pessimos proclamant. 107. statuunt corpus Christi semper sursum esse in cœlo, ibidemque manere. 3. 16. Eorum perfidia in l. de cœna quadrupliciter potest notari 3. 18. Expressè agi de cœna Johan. 6. asserunt. 3. 21. sanguinem Christi non pro toto mundo suffusum. 3. 13. multa speciosè garriunt in l. de cœnâ. 3. 25. In comitiis Augustanis fraternitatem cum Lutheranis respuerunt. 4. 51. Deum efficere non posse, ut Christi corpus uno eodemque tempore pluribus locis essentialiter præsens sit, aut ut alibi nunc sit quam in cœlo, statuunt. 56. decretum absolutum habent. 57. Deum causam necessariam lapsus Adami statuunt. 58. Ex 2. Corinth. 12. v. 2. supra cœlum crystallinum confirmant cœlum empyreum. 1. 18. Judaizantes 3. 97. pro luce tenebras in Ecclesiam invehunt. 104.

Deum in hominibus indurationem efficaciter operari & quidem abscondito suo consilio sentiunt, panem à Lutheranis in cœnâ adhibitum nebulam panis vocant. 3. 37. 14. c. 1. 112. De distributione decalogi sententia. 5. 46. propter periculum à pontificiis studeant Lutheranis fraternitatem. 4. 199. periculosæ consequentiæ in loco de prædestinatione. 47. seq.

Calvini de dicto Johan. 3. v. 3. nisi quis &c. opinio prava. 11. 89. De absoluto decreto 14. c. 2. 9. Zanchii, Spindleri, Marlorati, Boquini, Rennecheri, Piscatoris, Keckermanni, Polani, Zvvinglii sententia. p. 16. salutem à baptismo pendere negant. 4. 67. Centies Deum autorē esse reprobationis se confiteri dicit. 156. Inepte discerni nonum & decimum præceptū de concupiscentiâ dicit. 5. 63. Judeariani zans. 7. 69. Ejus socii, 16. 70. Abominationem esse dicit imagines conspici in templis Christianorum. 5. 103. Corpus de meritis & efficacia corporis Christi accipit 4. 70. non verum & essentiale, sed νοητῶν intelligendum statuit. 16. De dicto Coloss. 3. v. 2. quæ sursum sunt &c. sententia. 1. 25.

Caro Christi per incarnationem exaltata est ad virtutes dexteræ Dei. 1. 116.

Carolstadius juxta sola statuta Reip. Judaicæ

nos nostrasq3 actiones conformare voluit. 6. 110.

Carolus Borboniorum princeps clamantem VII. in vincula conjecit. 2. c. 1. 87.

Catalogus testium veritatis habet martyrum confessiones, protestationes & testimonia contra Papatum. 2. c. 6. 103.

Cœlum in artic. de ascensione in cœlum quid significet. 1. 50.

Ceremoniæ nullæ in specie à Christo mandatæ in Ecclesia. 4. 119.

Character ordinationis Pontificiæ 2. c. 6. 45.

Clement. Alexandrini de dicto Deut. 5. v. 6. Dominus Deus, qui eduxi te &c. sententia. 5. 15. seq. De distributione decalogi sententia. 5. 60.

Claves cœlorum omnibus Apostolis sunt commissæ. 12. 85. 86.

Christiana libertas à Calvinianis in periculum adducitur 3. 139. Non omnes Christiani, qui ore se tales esse asserunt. 6. 206.

Christophorus Hoffmannus tempore Lutheri pastor Jenæ 1. 25. De dicto Philip. 3. nostra conversatio in cœlis sententia. 25.

Christi corpus nunquam sine ore editur 2. 188. cur dicatur Melchisedech. 2. c. 6. 124. post finem mundi de sede dexteræ Dei non deturbatur. 1. 165. In statu exinanitionis omnia quæ ad sa-

lutem,

lutem, collectionem & conversationem Ecclesiæ pertinebant potestate infinitâ peregit. 1. 163. summam potestatem per carnem unitam exertuit. 151. Actio nostra instituitio. 3. 63. facta non sunt statim exempta 62. secundum divinitatem nihil accepit. 103. Neq; ad dexteram Dei secundum eam collocatus 101. Jußit edere & bibere corpus & sanguinem suum non sub unâ, sed sub utraq; specie 2. c. 6. 118. Caro ejus in statu eximanitionis propter unionem fuit etiam in cœlo. 1. p 152. In Bethaniam post resurrectionem cum discipulis se contulit. p. 2.

Cochleus adoctionem, quâ justificamur ipsum esse Deum scribit. 8. 45.

Codex vetustus septimi generalis concilii prolatus, in quo patrum subscriptiones erant, & processio Spiritus sancti a patre continebatur. 13. 54.

In Colloquio Marpurgensi, Maulbrunensi, Mumpelgardensi, ora obdurata sunt. 4. 131

Conceptus formalis metaphysicus. 5. 118.

Concilium Tridentinum statuit originale peccatum solum expiásse. 9. 36.

Cornu parvum apud Danielem c. 7. v. 8. Turcicum Tyrannum indicat. 2. c. 1. 6.

Corpus & sanguis mediatè percipiuntur. 10. 108.

Corpus communicantibus pius in Christo fit unum. 3. 112.

Costerus donum justitiæ nobis infusæ esse ipsum Spiritum Sanctum. 8. 45.

Cultus divinus requirit tantum ea, quæ Deus præcipit aut prohibet. 3. 138.

D.

Damascenus cœlum cœlorum appellat primum cœlum 1. 31.

Danæus statuit domicilium beatorum esse supra cœlum crystallinum 1. 14. statuit Christum saltem pro electis esse mortuum 4. 60. dicit Deum, quæ impiè agunt, voluntate effectivâ velle. 156.

Decalogus continet duas tabulas, & in iis decem præcepta. 5. 1.

Decreta Electionis & Reprobationis non absoluta 14. c. 2. 26.

Dei essentia pingi & sculpi, imò nec fingi potest. 5. 119.

Dextera Dei in Scriptura quid significet? 194. seq.

Diabolus solutus est mille annis ab Apostolorum prædicatione 2. c. 6. 15.

Differentia inter ἐκπορεύεσθαι & ἐξελθεῖν, ἐλθεῖν & ἐπελθεῖν. 13. 66. 72. 73.

Distinctio inter Errorem & Hæresin. 6. 17. inter hæreticum & schismaticum. 23. Schisma quidè 6. 22.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-23885/fragment/page=1068

Distinguunt Pontificii inter justificationem primam & secundam. 8. 150.

Distinctio pœnarum fluit ex peccatorum distinctione. 6. 49.

Distributio decalogi in Ecclesiis Lutheranis non est papistica. 5. 194.

Distributio Decalogi Philonis Judæi 5. 58. seq. Cl. Alexandrini. 60. Augustini 61. 63. 64. sententia.

Doctrina de morte & passione Domini enervatur & corrumpitur traditionibus de meritis & satisfactionibus hominum &c. 6. 119.

Durandi de pane Eucharistico sententia 3. 31. Chrysostomi.

Deitatem filii negarunt Ebion & Cerinthus. 2. 18. in proœmio.

E.

Ebion & Cerinthus negarunt Deitatem Filii Dei. 2. 18. in proœmio. Dixêre Christum esse merum hominem 7. 5.

Particula ECCE geminam in Scriptura vim habet. 9. 5.

Ecclesia militans quid? 12. 1. particulares constituunt suo complexu universalem militantem ib. Est visibilis & invisibilis suo modo 4. seq. Vis

sibilis complectitur bonos & malos simul conjunctos 5. seq. invisibilis quid 13. quæ à Pontificiis oppugnatur 19. ejus notæ verbi divini prædicatio, & divinorum Sacramentorum dispensatio 34. seq. Nulla ubi nõ verbum & Sacramenta dispensantur 50. Ejus notas quomodo oppugnant Pontificii 52. Errare potest & revera erravit 123. Illum errare non posse Pontificii acriter propugnant. 133. Quinam vera Ecclesia sub Papatu fuerint? 164. Salva sit in ea Legis atq; Evangelii doctrina, rectè sonet concio pœnitentiæ, in negotio operum valeant præscripta divinarum tabularum, vigeat charitatis studium, consternatis mentibus nunquam desit consolatio efficax, usus Sacramentorum rite habeatur. 3. 128. Omnia fiant ordine & decenter ad ædificationem 16. 131. In primitiva nemo ad fidem coactus 6. 202. Super Petrum & ejus successores non est exstructa 12. 84. 85. Fuit olim & adhuc est hodie in extremis terræ locis 12. 169. Novæ ejus notæ à Bellarmino excogitatæ 12. 77. & quæ illæ 12. 79. 80. 81. seq. Omni tempore & in omni loco fuit, est & erit, aliqua sive maxima sive mediocris, sive minimorum minima ubicunq; verbum & Sacramenta dispensantur 12. 47.

Ἔκπορευσις quid? 13. 68.

Elias Cretensis duos ex Scriptura statuit cœlos. 1. 10. de

10. de dicto Pauli 2. Cor. 12. v. 2. novi hominem in tertium cœlum raptum sententia. 1. 21.
Embdenses Calvinianæ negant cœnam Domini esse Testamentum morituri Christi. 10. 3.
Erasmi de pace & pugnâ sententia 4. 33.
Explicatio præcepti non concupisces uxorem proximi 5. 128. & ejus occasio 130. domum, servum, ancillam, asinum, agrum proximi sui. 136. Scripturæ quomodo instituenda. 11. 95. verborum Testamenti 10. 52. fundamentum hujus ex Luthero. 59.
Evangelium instar fulguris 2. c. 6. 139.

F.

Falsæ doctrinæ disseminatores ad frugem reversi in pristinum locum in Ecclesia non restituuntur, sed locus illis inter auditores maneat. 6. 132.
Fides & charitas distinguuntur formaliter. 8. 105. est notitia. 8. 65. illa solâ in Christum salvamur. 2 c. 5. 9. quatuor complectitur. 8. 115. quomodo interdum instrumentalis & formalis dicatur? 137. quæ natura ejus justificantis? 8. 64.
Formula concordiæ Christum secundum utramq; naturam creaturis præsentem esse asserit. 4. 177.

Frangere panem, phrasis ambigua. 3. 79. seq. de fractione panis in cœna legem non habemus. 3. 42. quæstio de fractione panis ab initio reformationis Evangelicæ actu non fuit. 4. 112. fractionis usus venit ab Ecclesiis populosioribus. 3. 57.

Fundamentum Religionis quid dicatur? 12. 92. 94. 95. quibus opponatur? 12. 103. seq. in quibus contineatur? 12. 99. 109.

G.

Gabriel Scholasticus statuit peccato etiam non incidente Christum nihilominus fuisse venturum. 9. 85.

Gregorius de dicto Dan. 7. v. 8. Ecce cornu parvum, sententia. 2. 6. 1. 7.

Gentiles in locum Judæorum recepti. 2. 6. 6. 70.

Genevensium de præsentia corporis Christi in cœna sententia. 4. 71.

Gratia Dei tanquam causa efficiens justificationis tribuitur omnibus personis Trinitatis. 8. 117.

Grynæi de dicto Col. 3. v. 2. quæ sursum, quærite &c. sententia 1. 25. Christum tantum pro fidelibus esse mortuum statuit. 9. 109. consentit Beza 110. Tossanus ib. Zanchius. ib. Bellarminus 112.

Guilermus corpus Christi Deitate esse imbalsimatum, I. 120.

H.

Hæretici vocis varia explicatio. 6. 9. 99. *definitio.* 6. 25. *eorum vitia morum contra utramq; tabulam.* 6. 57. *notæ hæresin constituentes.* 6. 26. *& ab eâ pugnantes. seq. hæreses variæ de Spiritu Sancto.* 13. 89. *seq. Spirituale adulterium.* 6. 151. *quidam patienter ferendi.* 6. 66. *argumenta eorum, qui magistratui jus in eos derogant.* 6. 60. *qui illos occidendos dicunt.* 71. *seq. ab excommunicatione eorum ad occisionem N. V. C.* 6. 147. *seq. Hæresis quærenda in intellectu & voluntate hominis respectu rerum divinarum.* 6. 24. *Quidam prædestinati sunt appellati.* 4. 170.

Heidelbergensium expositio vocis edendi. 4. 70.

Helchesaitæ dixerunt, Spiritum Sanctum esse sororem Christi. 13. 10. *quam habuerint hæresin.* 6. 209. *sub primo imperatore orta.* 16.

Heschyus ex Decalogo verba illa: Recordare Sabbathi, ut sanctifices illud, exterminat. 5. 46.

Hesshusius blasphemum esse statuit CHRISTUM

ſtum ſecundum utramq; naturam ubiq; eſſe. 1. 164.

Hieronymi de dicto Col. 3. v. 2. quæ ſurſum ſunt, quærite &c. ſententia. 1. 26. *quatnor præcepta primæ tabulæ tribuit.* 5. 12. 27. *ſeq. H. Pragenſis in ſynodo Conſtantienſi non convictus damnatus.* 6. 218.

Hieroſolyma 40. fere annis ab adſcenſu Chriſti devaſtata. 2. 6. 1. 30.

Hoſtes obſtimati nunquam diligendi. 4. 85.

Hubert errores. 14. c. 3. 6. *refutantur.* 50. *ſeq.*

I.

יהוה *nomen* παραχάραγμα. 1. 14. Ἀνεκφώνητον. *ib.* 15. שם המפורש *ibid.* 16.

Jeſuitæ fundamentum diſtinctionis peccati mortalis & venialis non petendum eſſe ex conſideratione actus peccati in ſe & reſpectu legis: ſed ex perſonæ peccantis conditione dicunt. 15. 15. *Miracula eorum Lituanica, Brabantica, Bavarica ſunt diabolica* 2. c. 6. 10. *fiunt talia propter lucrum temporale, teſte Lyra* 2. c. 6. 11. *quæ Melchior Canus ſummè Eccleſiæ nocere ſcribit. ibid.* 12. *Operum eorum idea.* 6. 203. *De Imaginibus apud Chriſtianos.* 5. 108.

Imago crucifixi indicat nos Lutheranos nequaquam ſtatuere omnipræſentiam carnis, quæ ſit exten-

extensio seu expansio carnis per totum mundum. 5. 121. cur in templis spectet occasum? 5. 121.

Imperatores decreta sua non ad executionem, sed ad terrorem condiderunt. 6. 132. ejus honor cessit Papæ. 2. 6. 43. Quid habet totum habet à Papa. 2. 6. 34.

Impii corpus Christi in cœna accipiunt. 3. 12. seq.

Incarnationis primaria causa liberatio generis humani 9. 96.

Indurationis mentio quotupliciter fiat in Exodo. 14. 6. 1. 12. bifariam accipitur 49. seq. Pharao septem atrocissimis sceleribus pœnam sibi attraxit 14. 39. seq. Deus concurrit ad eam dupliciter 14. 6. 1. 70. Homo ejus causa interna. 14. 6. 1. 55. seq.

Interpretatio Scripturæ quomodo institui debeat? 12. 55. seq.

Joachimus Abbas quando vixit 7. 59. Docet personas Trinitatis habere quidem unam essentiam, sed unitate collectiva & similitudinaria 8. 16.

Johannes illud 1. Joh. 2. v. 22. Hic est Antichristus &c. scripsit contra Ebionem & Cerinthum. 2. 18. in proœm. De præcipuis fidei articulis prædicavit 11. 42.

Johannes Hus in Synodo Constantiensi non convictus damnatus est. 6. 218.

Jose-

Josephus quinque præcepta primæ tabulæ tribuit. 5. 7. 8.

Josephus, Philo, Nazianzenus, Origenes, Hieronymus, Ambrosius nonum & decimum præceptum conglutinant. 5. 49.

Isodori de dicto Deut. 5. v. 6. Ego sum Dominus Deus tuus, qui eduxi te &c. sententia 5. 15. seq. Primæ tabulæ tria præcepta tribuit. 5. 13. ut & glossa ordinaria. ibid.

Multi Judæi convicti agnoscunt promissiones in Christo Nazareno esse impletas. 2. c. 6. 90. Eorum conversio ante finem mundi. 2. cap. 6. 88.

Juramentum Pontificiorum Episcoporum 12. 136. Pistorii Apostatæ. 150.

Justitia varia habet nomina 8. 114. dicitur Dei, Christi, fidei imputata. Ibid. quid in Scriptura significet? 8. 7. Quotuplex? 8. 39. seq. In homine quatuor ejus reperiuntur species. 8. 9. Originalis. 16. Naturalis scil. carnis 14. ad quam pertinet hypocritica & Pharisaica 261. Inchoata 29. Consummata. 36.

Justificatio opponitur condemnationi 8. 110.

Justini de dicto Esaiæ 42. v. 8. gloriam meam alteri non dabo, sententia. 1. 159.

L.

Locutio divinarum Scripturarum secundum linguæ

guæ cujusq́ proprietatem accipienda. Augustinus. 14. 133. c. 1.

Λόγος totus carni Christi est unitus. 1. 115.

Lombardi, Augustini, Isidori, Bandini, Bernhardi, Bedæ, CL. Alexandrini, Szegedini, Zwinglii de dicto Deut. 5. v. 6. Ego sum Dominus Deus tuus, sententia. 5. 15. seq.

Lucas articulos de adscensione Christi & sessione ad dexteram Patris nervosè descripsit. d. 1. 1.

Lutherani rem cœlestem in Baptismo cum aqua concurrere conveniunt, in determinatione ejus specialissimâ dissentiunt. 11. 72. seq. absque tamen impietate, quin potius sese satis explicant. 77.

Lutherus de quibus agat in libro de servo arbitrio 14. c. 2. 88. & quomodo iste liber cum fructu legendus. 16. seq. In Catechismo solertissimè docet distinguere præceptum 9. & 10. de non concupiscentiis 5. 152. Ejus de fraternitate cum Calvininais sententia. 4. 80. de dicto Ephes. 1. v. 22. Omnia in omnibus implens: sententia. 1. 131. seq. de manducatione sententia. 4. 188. Lutheranorum de cap. Joh. 6. sententia. 4. 192.

Lyra statuit duas Cherubin fuisse adolescentes Giganteos, alatosque, qui non tantum erant duo capita larvata, sed stabant

bant super pedes suos, & faciem vertebant in domum. 5. 113. ejus de voce Mooxin sententia 2. c. 5. 26. Consentit in distinctionem duorum præceptorum decalogi. 5. 155.

M.

Macedoniani statuerunt Spiritum S. nihil habere commune cum Patre & Filio, sed esse servum & ministrum. 7. 61.

Magistratus curet, ut ministerium Evangelii sit purum 6. 128. malè viventes, vel impiè docentes officio deponat. ib. 130. Falsæ doctrinæ disseminatores à ministerio legitimè convictos & tantùm alios seducentes vel carcere multet, vel regione excludat. 16. 131. jure in hæreticos legitimè convictos animadvertere potest, propter conservandam tranquillitatem publicam 6. 70. Illi Deus aliquod jus in causa religionis concessit 6. 52. exempla 54. oremus pro magistratu. 6. 55. utriusq; tabulæ custos est. 6. 52.

Ex Maccabæorum libris fidei articuli confirmari non possunt. 2. c. 129.

Mahometistæ quando orti? 7. 54.

Marcionistæ propter Ægyptiorum submersionem & Pharaonis indurationem Deum peccati autorem statuerunt. 14. 6, 1. 4.

Marty-

Martyris de distributione decalogi sententia. 5. 40. seq. statuit sedem beatorum esse supra cœlum crystallinum. 1. 14. de naturarum unione opinio. 4. 60. de fraternitate sententia. 4. 108. statuit V. & N. T. differre duntaxat qualitatibus. 9. 39.

Martyres sub Papatu innumeri. 12. 166.

Mensis apud Ebræos propter novilunium ab innovatione nomen habet. 2. c. 1. 18.

Monarchia Romana ultima. 2. c. 1. 56.

Ministrorum Ecclesiæ in hæreticos triplex officium. 6. 222.

Miracula in statu exinanitionis Christum in forma Dei esse cœpisse monstrant. 1. 121. Veteris T. nihil faciunt ad probanda miracula diabolica Antichristi. 2. c. 6. 20.

Missa Pontificiorum Deus est. 2. c. 5. 30. colitur à Pontificis auro, argento & pretiosis gemmis 2. c. 5. 32.

N.

Nazianzeni de dicto Act. 3. v. 21. quem oportet cœlum capere, sententia. 1. 57.

Neostadiana admonitio verbalem idiomatum esse prædicat: dicit. 4. 65.

Nestorius à patribus synodi Ephesinæ damnatus est. 4. 164.

N. T. quando cœperit? 11. 18.

O.

Oecolampadius corpus in cœnâ per corporis figuram explicat. 4. 70.

Omne peccatum in se est mortale. 14. 6.
Omnipræsentia & reliquæ divinæ proprietates sunt unum ἀδιαίρετον. 12. 186.
Omnium locorum intervalla in oculis Dei sunt puncto minimo minus aliquid. 1. 133.
Ὁμοούσιος significat essentiæ unitatem. 7. 30.
Origenes mentem Christi deificatam dicit. 1. 119.

P.

Palatini Calviniani in Christo ita unitas esse naturas, ut realiter commune nihil habeant, præter solam nominum, quæ inde sequatur, permutationem, Dei atque hominis, quodq; Christo secundum humanam naturam non omnia sint cognita finitam, dimensam atq; circumscriptam potentiam acceperit, impossibile Deo ut efficiat corpus Christi ubiq; præsens, quod adorari blasphemũ, totamq; carnem Christi pro nobis passam, illamq; non magis esse vivificam, quàm Petri alicujusve sancti docent. 4. 179. Eorum de cœnâ Eucharistica sententia. 180. Dicunt se Deum peccati autorem non statuere. 4. 152. sed per consequentias illud contrarium patet. 154. seq. Dicunt impossibile esse, ut electi damnentur. 4. 165. dicunt multas Ecclesias Lutheranas consentire cum eis in doctrina de ubiquitate. 4. 174.
De Pane Eucharistico sententia Gregorii 344. Paulini. 45. Basilii. 46. Clementis Alexandrini. 48. Epiphanii. 49.

Panis

Panis azimulentata in Græcia correctio. 3. 50. Descriptio à Calvinianis in cœnâ adhibiti. 3. 37.

Sub Papatu in articulo mortis veram doctrinam agnoverunt. 12. 164. seq preces piæ Gersonis prælectæ 165. Non est vera Ecclesia. 12. 152.

Particularum IN, CUM & SUB explicatio. 10. 77.

Patefactionum maximarum divinarum humores etiam ad Ethnicos pervenerunt, qui ulterius inquirere debuissent in eos, sicut de regressu solis per legatos fecit Rex Babyloniæ. 12. 68.

Patres sub V. T. habuerunt Christum præsentem ratione meriti sui. 9. 57.

Paulus Samosatenus Christum esse hominem, in quem pater inspirarit verbum suum, dixit. 7. 53.

Paulus omnibus gentibus prædicavit Evangelium. 2. 6. 1. 36. pro vace tradendi, quâ Lucas usus usq; ad cap. 2. 22. 19. utitur verbo frangendi. 1. Corinth. 11. v. 25. 3. 94.

Peccatum remittitur non ut non sit, sed ut non imputetur. 11. 195. peccati mortalis scholastici septem numerant species 15. 28. distinctio ejus varia. 15. 1. seq. In Spiritum sanctum committitur dupliciter. 6. 41.

פרא quid significet. 2. c. 1. 10.

Personæ Trinitatis realiter distinctæ 7. 89. seq. Quid sit? 37.

Petrum aliquot annos Romæ sedisse computari non potest. 12. 88.

Philippus Nicolai Ecclesiarum synopsim verarum collegit egregiam. 12. 170.

Philo Judæus primæ tabulæ quinq; præcepta tribuit. 5. 7. 9.

& quatuor præcepta ad primam tabulam refert & quare. 79. De distributione decalogi sententia. 5. 58. seq.

Phrases *scripturæ TEMPUS, TEMPORA, DIMIDIUM TEMPORIS quid significet? 2. c. 1. 9. seq.*

Platina *dicit Pontifices munus obire pontificum largitionibus 2. 12. in proœm.*

Pontifex *varia quærit pecuniarum aucupia de quibus in specie vide. 2. c. 5. 32. Crimen falsi in citatione concilii Niceni committit anno 413. 12. 113. Ab Augustino ex incorrupto exemplari ab Ecclesiâ Alexandrina petito refutatum. 114.*

Pontificii pro Christo alium recipiunt Christum. 2. 5. 14. In definienda fide summe sibi contradicunt. 8. 68. Distinguunt inter fidem formatam & informem 102. Miracula vel ficta vel per operationem Satanæ facta c. 6. 9. Errores de effectu baptismi. 11. 188. In medio Papatu partem de non faciendis sculptilibus expressè primo præcepto annumerarunt 5. 77. studium diabolicum emergendi per cædes veneficia & oppressiones aliorum. 2. c. 6. 17. Dicunt panem transsubstantiari in cœnâ. 28. Nonnulli baptisma infantum, virginitatem Mariæ, imò sanctam Trinitatem ex sacrâ Scripturâ demonstrari non posse contendunt. 12. 108. 109. Dicunt maximam ferè partem passionis dominicæ immissa à se repræsentari 3. 108. Missam dicunt esse sacrificium, inprimis propitiatorium pro vivis ac mortuis. 2. c. 5. 31. Calicem laicis non esse dandum ibidem, Religionem Lutheranam propter miraculorum defectum suspectam reddunt. 2. c. 6. 7.

Poter

Potentia divina una & indivisa. 1. 101. Infinita requiritur ad resuscitandos mortuos & judicandum orbem terrarum. 162.

Præsentia corporis Christi non pugnat cum ascensione. 10. 61. ejus veritas Christi in Cœnâ non oppugnatur articulo de sessione ad dexteram. 1. 156.

Præcepta quinq; tribuit primæ tabulæ Chrysostomus 5. 7. Josephus. 5. 7. 8. Philo Judæus. 9. Athanasius. 10. Chrysostomus. 11.

R.

Rabini v. 3. Esa. 6. Sanctus &c. explicant de Trinitatis mysterio. 7. 122.

Rationi humanæ multa videntur consentanea, quæ neq; ad fidei, neq; Ecclesiæ ædificationem faciunt. 6. 142.

Rebaptizandi qui? 11. 113.

Regula semper observanda in refutatione distinctionum & exceptionum Hæreticorum. 7. 163.

Rei modus rem ipsam neq; tollit, neq; minuit. 6. 109.

Renatus homo quando peccat mortaliter? 15. 17. seq.

Reum habere confitentem multum est. 12. 33.

Roma regnum super reges non habet jure. 2. c. 1. 85.

Romano germanicum imperium hodie habemus. 2. c. 1. 55.

Ex ῥώμη ῥύμη facta, anno 550. 2. c. 1. 48.

S.

Sacrificium N. T. passio & mors Domini & pura de ea prædicatio. 2. c. 6. 117. Hoc à Pontifice Romano sublatum, & in ejus locum Missa substituta est ibid. Eorum usus

expiravit tempore N. T. 2. c. 6. 121. Omnia V. & N. proprius verbis constant. 10. 64.

Serveti de Spiritus S. Deitate opinio. 7. 67. quo anno vixerit. 7. 62. quem errorem habuerit? 16.

Scelerum una eademq; pœnæ ratio semper esse nequit. 6. 145.

Sedere ad dexteram Dei quid significet? 1. 107.

Szegedini, Augustini, Isidori, Lomberti, Bandini, Bernhardi, Bedæ, Cl. Alexandrini, Zwinglii de dicto Deut. 5. v. 6. Ego sum Dominus Deus tuus sententia. 5. 15. seq.

Spiritus mendaci opera sunt, leges fingere sine verbo Dei, conscientias hominum vinculo injicere, summam pietatis in rebus externis constituere. 3. 126.

Spiritus S. nomen reperitur in Scriptura. 7. 131.

Scriptura non semper observat ordinem præceptorum decalogi. 50. neq; Patres. Ibid.

Scopus genuinus præcepti de non mœchando. 5. 133. de non concupiscenda uxore. 134. de non furando, & de non concupiscendo rebus proximi. 151.

Status servorum & ancillarum in politia Mosis. 5. 145. seq.

Sculptilia & imagines quomodo facere liceat. 5. 112.

T.

Tabernaculum suum Deus præparavit in domo Davidis. 2. c. 6. 108.

Tempus omne N. T. Scriptura vocat dies novissimos. 2. 5. in proœm.

Tertium cœlum quid in Scripturâ significet? 1. 22. 23.
De Testamenti verbis cur disputetur? 10. 2. in eo voluntatis quæstio admittenda non est. 10. 1.
Theodoreti de dicto 2. Thes. 2. v. 4. In templo Dei sedet. 2. c. 1. 62. 63.
Theodosius Major mulctam pecuniarum in hæreticos sanxit. 6. 211. T. Episcopus hæreticos persecutus. 6. 208.
Tigurinorum de præsentia corporis Christi in cœnâ sententia. 4. 7.
Tostanus statuit Christum non pro omnibus mortuum. 4. 60.
Translationis exempla præceptorum decalogi ex patribus. 5. 58.
Transsubstantiatio pontificiorum unde orta? 10. 100.
Tres sunt, qui testimonium &c. Joh. 5. ex eo colligitur nomen Trinitatis. 7. 32.
Tropus in verbis institutionis esse non potest. 10. 74.
Tyrannus Turcicus mutavit tempora & leges. 2. c. 1. 8.

V.

Verba activa non semper significant efficacem operationem, sed sæpe permissionem. 14. c. 1. 132. exempla ibid.
Veteres quid per deificationem carnis Christi intellexerunt. 1. 116.
V. & N. T. distinguuntur ipsa substantia. 9. 39. V. T. continet omnia, quæ ad salutem scitu sunt necessaria. 12. 118. in uno dicto. Gen. 3. v. 15. semen mulieris &c. 122. & in N. T. 121.

Via fraternitatis à Calvinianis Lutheranis monstratur. 4. 22. seq.

Unio panis & corporis, sanguinis & vini est mystica & sacramentalis. 10. 102.

Vocabulorum Sacramenti, signi, signaculi, figuræ, sermonis, spiritualis manducationis expositio. 10. 81. seq.

Z.

Zach. Ursini de distribut. decalogi sententia. 5. 40.

Zanchius statuit absolutum decretum. 4. 143.

Zizaniæ notatio. 6. 174.

Zonanæ de decalogo sententia. 5. 38.

Zwinglii de dicto Deut. 5. v. 6. Ego sum Dominus Deus tuus, sententia. 5. 15. Ejusdem, item Cl. Alexandrini, Augustini, Isidori, Bedæ, Bernhardi Baudini. P. Lombardi, Szegedini, & c. de dicto Deut. 5, 6. Ego sum Dominus &c. sententia. 5. 15. seq. peccatum originis non esse peccatum proprie dictum statuit. 3. 59. verba Cœnæ tropicè intelligit. 4. 69. vocem EST per significat, explicat. 70.

Errata.

Disp. 2. c. 1. th. 38. lin. 3. leg. vivam. & th. 46. lin. 15. Bulionao. & c. 2. 16. lin. 8. parati. 2. c. 6. 73. lin. 6. fascinati. 3. 107. lin. 6. sacramenti. 4. 23. lin. 1. regendorum. 4. 32. lin. 3. eam. 76. lin. 3. pomeria. 88. lin. 3. inculcant. 91. lin. 5. fidei. 163. lin. 3. ei. 5. 69. lin. 7. paupertatis. 194. CXCIV. 6. 75. habent, 166. lin. 8. ferendum. 7. 110. lin. 1. Fides. 8. 41.

FINIS II. TOMI.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-23885/fragment/page=1086

00 A 6279

ULB Halle 3
002 828 43X

VD17

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-23885/fragment/page=1091

Tomus Secundus
DISPUTATIONUM THEOLOGICARUM,

In Academiâ WITTEBERGENSI ab Anno 1606. usq; ad 1611. publicè habitarum,

Auctoribus ac Præsidibus

GEORGIO MYLIO D.

Farbkarte #13 B.I.G.
Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:3-23885/fragment/page=1093